This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

600084460S

C. CORNELII TACITI

DE VITA ET MORIBUS

CN. IULII AGRICOLAE

LIBER.

C. CORNELII TACITI

DE VITA ET MORIBUS

CN. IULII AGRICOLAE

LIBER.

AD FIDEM CODICUM DENUO COLLATORUM

RECENSUIT

ET COMMENTARIIS ENARRAVIT

FR. CAROLUS WEX.

BRUNSVIGAE

IMPENSIS FR. VIEWEG ET FILII.

MDCCCLII.

294. e. 51.

DIS. MAN. ET. MEMORIAE
CAROLI. REISIGI. THVRINGI
VNIVS. EX. PRINCIPIBVS. ARTIS
GRAMMATICAE. QVAM. NAVITER
OLIM. DOCVIT. HALIS. SAXONVM
VIXIT. ANN. XXXVI. M. II. OBIIT
VENETIIS. A. MDCCCXXIX
S. T. T. L.

PRAEFATIO.

In recensendo et explicando Taciti Agricola multorum olim et clarorum hominum studia versata sunt, nec nostra aetate qui in eandem curam incumberent defuerunt viri docti et eruditi. Sed novo editori ut non sit venia petenda, factum est huius libri fatis. Etenim Beati Rhenani et Iusti Lipsii divina ingenia, quum nullam haberent codicum manu scriptorum notitiam, novitiis Francisci Puteolani, primi editoris, commentis adeoque Venetae editionis, qua utebantur, operarum mendis misere retardata ac detenta sunt, ut quantum acumine effecerint, non quae aliis reliquerint, admireris. Deinde Gabrielis Broterii et Ernesti Dronkii laudabili industria innotuerunt quidem aliquantum veteres libri, eorumque dignitatem suspicari coeperunt U. I. H. Beckerus, mox Waltherus, alii; verum nova impedimenta allaturus alter interea exstiterat Puteolanus. Namque G. L. Walchius, quem post editas Emendationes Livianas huic libro crederes eximie profuturum, et potuerat profecto prodesse, ni semet et sua magis adamasset quam Tacitum et bonarum litterarum incrementa, sed ille et vulgatam corruptelam acerrime rursus defendere coepit, et nova inutilibus disceptationibus semina ministravit, ut quem-

admodum olim in refellendo Puteolano critici, ita iam in Walchio redarguendo operam et otium frustra consumerent interpretes. Nolo equidem insultare mortuo, sed notanda videbatur eius vaniloquentia, ne, si illius commenta aut breviter perstrinxissem aut prorsus omisissem, inertiae mihi aut arrogantiae crimen moveretur. Satis mihi ille, ut aliis, grandi supercilio et fastu imposuerat: vestigiis eum usquequaque secutus et singula perscrutatus mutavi sententiam plurimaque ad eum refutandum scripta resecui. Multum mihi profuit Io. Augusti Ernesti, quem honoris causa nomino, brevis adnotatio, qui ut in Cicerone edendo operam olim posuit multis non probatam, ita in hoc libro insignem attulit iudicii elegantiam, non quo expediverit difficultates, sed, quod maius est, acute animadvertit. Multa me discere olim memini ex Waltheri editione, cuius quartum tomum curavit F. A. Ecksteinius. Sed scriptiones et libri aliorum, quos cum magna mea utilitate adhibui, enumerati sunt sub prolegomenon finem. Quae post annum MDCCCXLVII ab aliis scripta sunt, haud perinde me docilem habuere, incertum mea an illorum culpa. Si quos in idem incidisse inveni, adnotavi, contraria raro adspersi.

Ante omnia equidem curandum putavi, ut codicum Vaticanorum scriptura tandem aliquando plene et accurate cognosceretur. In quo mihi contigit, ut insignem quorundam virorum experirer humanitatem. Primum Aemilius Braun, gnarus ille monumentorum Romanorum antistes, codicem, quem Δ nominavi, qui tunc deperditus vulgo fere batur, liberalissime mea gratia contulit. Deinde eiusdem ac Friderici Ritschelii auctoritate intercedente Henricus

Brunn eam mihi commodavit operam, ut eundem codicem totum mihi transscriberet et in hoc a se confecto exemplo alterius codicis Vaticani scripturam cum omnibus eius naevis, apicibus, asteriscis eximia diligentia adnotaret. Inde quum cognossem, quanta esset alterius huius codicis dignitas, et quanti momenti esset marginalis eius adnotatio, Theodorum Mommsen, Brunnium enim putabam non amplius Romae versari, precibus adii, ut illam marginis scripturam denuo mihi describeret. Is eximia humanitate et hoc et alia mihi gratificatus, cum Brunnii notationes omnino confirmavit, tum, ne quaedam illius indicia secus intelligerem, effecit. Habes igitur codicum memoriae testes satis locupletes. Itaque sicubi in indicanda librorum scriptura alii discreparent, supersedi id adnotare, praesertim quum, si quid aliter ab aliis relatum animadvertissem, egomet illos amicos Romanenses, ut libros denuo inspicerent, usque rogassem, neque illi propter unam litterulam in Vaticanum escendere recusassent. Veteres editiones Puteolanas mirifica accuratione meum in usum contulit amicus quidam, qui tunc adolescens, hodie nomen habet in his litteris. Cognovimus Dronkium bene in re sua versatum fere ubique illorum scripturam recte adnotasse.

His adiutus subsidiis tum emendare studui vulgatam scripturam, tum restituta Taciti verba interpretari. Sed ne quis requirat, quae praestare neque volui, neque potui: quum interpretis huius libri id munus esset, ut, quibus in locis singulae res gestae essent, indagaret omnesque antiquae Britanniae regiones suis quamque finibus terminaret et propriis, quae hodie habent, nominibus denotaret, coepi

egomet sane in his rebus operam curamque ponere haud Walchianam, mox id omittendum et Viris Doctis Anglorum in ipsa illa terra natis relinquendum existimavi. Multi quidem apud illos de his rebus libri conscripti sunt, sed quos maxime expetebam, eorum mihi aut non copia facta est, aut ex itinere tantum eos inspicere licuit. Facile erat ex Alexandri Gordonis Itinerario septentrionali, utili sane libro, quaedam excerpere, et plus semel eum allegavi auctorem, verum in multis eum peccasse et ipse cognoveram, et alios eius errores maximeque inania somnia etymologica ab aliis refutata inveniebam. Plus profecto profecissem ex Ioannis Horsleii Britannia Romana, sed eam diu expetitam sero vidi et raptim tantum inspicere potui. Libros autem recentiores, centum his annis conscriptos, quos quidem ego viderim, mox seponendos putavi utpote labe aliqua affectos. Plerique enim tanquam ex fonte veteribus scriptoribus aequiparando, ex libello quodam, quem a Ricardo Corinensi monacho de situ Britanniae scriptum aiunt, plurima hauserunt. Est autem hic liber, quod in prolegomenis demonstravi, pessima nebulonis cuiusdam fraude consarcinatus et prorsus subdititius. Inde quum iam metuere coepissem, ne alia quoque simili fraude supposita in his libris credule adoptata essent, quae a me secerni non possent, satius putavi, ex unis veteribus scriptoribus, Cornelio Tacito, Cassio Dione, brevem rerum a Romanis illa aetate in Britannia gestarum enarrationem concinnare, maximeque in ordinandis et digerendis annis elaboravi. Primarius autem fons illius antiquitatis quum sit Agricola, si forte meis in hoc libro positis curis Anglorum Viris Doctis in perquirenda antiquissima

Britanniae historia aliquid adiumenti attulerim, satis magnum percepisse mihi videbor horum studiorum fructum.

Quod in recensendis et redarguendis aliorum opinionibus parcus fui, laudabunt quibus non operae est eiusmodi copias pervolutare, et si qui sua breviter me attigisse neque fusius de his disputasse invenient, iis satis excusatus ero consilii mei ratione, qui id unum mihi proposuerim, ut Taciti librum quovis modo explicarem, disserendi autem anfractus et deverticula eo magis evitare debuerim, quum in enucleandis quibusdam rebus prolixiori enarratione supersedere non liceret. Erunt quibus videbor audacior fuisse. Hi si vulgata et tralatitia argumentis defendere potuerint probis et idoneis, neminem facilius in suam sententiam trahent quam me, qui alienus ab omni rerum novandarum libidine cum maxime id egerim, ut antiqua librorum scriptura retineretur, modo ne in suspicionem adduceretur Taciti elegantia. Tertium prolegomenon caput, quo de compositione libri agitur, tum in brevius contractum argues, tum commentariis ab illo titulo alienis contaminatum. Scilicet resecueram postmodo quae contra Woltmannos et Walchios de hoc loco disputaveram, supervacaneam ratus huiusmodi concertationum refutationem. Spreta igitur inani verborum luxurie subiunxi deinceps alia, quae peculiari capite complecti potueram.

In adnotatione critica ubi unum codicem nominavi, reliqui libri id habent, quod in verborum contextu expressum est. Addidi nomina eorum, qui librorum aliquam scripturam primi receperunt. Is si Lipsius est aut Rhenanus, intelligendum erit, hos ex coniectura reposuisse, quod in libris postea repertum est. Quae ego in programmate ab

hinc sex annis edito recipienda dixi, ea si ab iis, qui interea Taciti libros ediderunt, adoptata sunt, non opus visum id adnotare. Quae in prolegomenis resecanda dixi glossemata, pleraque postmodo satius putavi uncis inclusa nunc quidem in verborum serie retinere, non quo meum de his iudicium fluctuare coeperit, sed quia brevius sic et certius rebar locum indicari, quo panni isti interpositi leguntur. Si quae Taciti dicta in prolegomenis ad criticam rationem revocata ibidem simul explicata sunt, satis habui prolegomenon paginam semel notasse in critica adnotatione.

Reliquum hoc unum est, ut omnibus iis, qui praeter Romanenses illos vel libris commodandis vel aliis officiis in hac opera me adiuverunt, ex animi sententia gratias agam. Iidem autem amici quoniam sciunt me decimo iam abhinc anno de edendo Agricola cogitare coepisse, rogatos eos velim, ne per totum hoc tempus huic quasi foetui me incubavisse rati, maius quippiam exspectent. Et anni interiecti fuerunt, quibus nihil cogitavi de Agricola, et quae nunc foras dedi, ea diu meditata, celeriter scripta deinceps per longius tempus in librarii scriniis delituerunt premenda prelo, quam intus posita curisque pressa meis. A typothetarum erroribus ut bene purgatus hic liber prodiret, curavit H. Hausdörfferus.

Scribebam Suerini Megalopolitanorum.

PROLEGOMENA.

INDEX CAPITUM.

I.

DE VETERUM LIBRORUM FIDE AC DIGNITATE.

Exstant hodie Romae in bibliotheca Vaticana codices duo:

Δ. cod. membranaceus Vat. No. 4498 seculo XV. nitidis litteris scriptus. Insunt in eo: *Frontinus de aq. Rufus de provinciis. Sueton. de gr. et rhet. Plinius de viris illustr. Taciti Agricola, de orat., Germania. Fragmentum Julii Nypsi de mensuris. Aliud Fragm. de mensuris. Seneca ἀποκολ. Censorinus de die nat.* Cf. de hoc codice nunc Massmannum ad Germ. p. 13.

Γ. cod. chartaceus Vat. No. 3429 seculo XV. scriptus manu Pomponii Laeti, clari viri et doctissimi, qui anno aetatis fere LXX. Romae mortuus est anno 1497. (Conf. de eo [Niceron] *Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres* Tom. VII. p. 28 sq. X. p. 223. Heeren Gesch. der klass. Litt. II. p. 93 sq. et Naekii Opusc. 1, p. 118 sq.) In ipso enim libro notatum legitur: „*Cornelio Tacito della Vita d'Agricola, scritto di mano di Pomponio Laeto, ligato dietro al Tacito stampato. Ful. Vrs.*“ Scilicet continet ille codex principem Taciti editionem typis descriptam, quam curavit Vendelinus de Spira (Venetiis 1470), cui adglutinatum est Agricolae illud exemplum manu scriptum. Complevit igitur hoc modo Pomponius Laetus suum exemplar editionis Spirensis librorum Taciti, in qua editione satis constat Agricolam desiderari.

Praeterea autem codicibus adnumerandi erunt:

M. Margo codicis *Γ*. In huius enim codicis margine discrepantes alius cod. M scripturae eadem manu adscriptae sunt.

Y. *Vetus codex* Ursini. Libro, qui inscribitur: *Fragmenta historicorum collecta ab Antonio Augustino, emendata a Fulvio Ursino* Antverpiae ex officina Plantiniana apud viduam et Joannem Moretum. MDXCV additae sunt *Fulvii Ursini notae* cum ad alios scriptores tum ad Taciti Agricolam. In his notis *ad Agricolae vitam* p. 460—462. Fulv. Ursinus tum suas aliquot et Danesii coniecturas, tum *veteris codicis* lectiones affert.

Vulgatam, quae circumfertur, lectionem praebet

π. *Puteolani* recensio. Agricolae vita primum typis vulgata est a Francisco Puteolano, et tres quidem exstant huius recensionis editiones, quae nulla re inter semet differunt nisi vitiis typothetarum.

π1. *Julii Agricolae vita per Corn. Tacitum eius generum castissime composita*, quae continetur in editione principe panegyricorum veterum sine loci et anni notatione. Mediolani eam excusam existimant, alii anno 1476, qui annus sub finem exemplaris, quod Reviczky habuit, typis additus fuisse traditur, alii, inprimis F. A. Ebert (lex. bibliogr. No. 15743), qui illam anni notationem, quae neque in Parisino neque in Viennensi exemplari comparet, serius appictam putat, anno fere 1482 editam suspicantur. Neque potest profecto ante id tempus edita esse. Nam in epistola data ad Jacobum Antiquarium, Secretarium ducalem, cui liber est dedicatus, Puteolanus has orationes dicit se edidisse in gratiam Joannis Galeatii Sfortiae *nunc primum pubescentis et ad eloquentiam erudiendi.* Dux autem ille Mediolanensis natus anno 1469 sub illum fere annum pubertatem ingrediebatur.

π2. *Julii Agricolae vita per Corn. Tacitum eius generum castissime composita* in libro, qui C. Cornelii Taciti opera complectitur sine nota loci et anni, quo editus est. Mediolani eam prodiisse monuit Ebert (No. 22135), sed quod idem opinatur, ante illam panegyricorum editionem (anno fere 1475) vulgatam esse, in eo mihi quidem dubium non est quin a vero aberraverit, quod iam olim asseruit vir doctus in ephem. litt. Jenens. 1830. No. 18. p. 144. Hic quidem quibus argumentis nisus sit, quum Eberto obloqueretur, non magis scio, quam quibus de caussis nuper Dronkius illam Eberti sententiam comprobandam censuerit. Inter bibliographos enim nihil constat de hac re, ut comperi a Kopitario. Me, ut panegyricorum editionem priorem existimem, movet haec caussa, quia quaedam vitia alterius libri enata demum sunt ex sphalmatis typothetarum editionis prioris. Sic Agric. cap. 30 *cuncta vastantibus ΔΓ cuncts vastantibus* π1. *cunctis vast.* π2. π3. cap. 29. *hostis insederat ΔΓ hostes insederat* π1. *hostes insederant* π2. π3. cap. 17. *validamque ΔΓ validāsque* π1. *validansque* π2. π3. c. 45. *Mitius ΔΓ Nutius* π1. *nuncius* π2. π3. Talia puto plura documento afferri posse, sed et sufficiunt illa, et in re nostra omnis illa quaestio nullius est momenti, quia illas editiones demonstrabimus omnes esse spernendas.

π3. Taciti opera *Venetijs per Philippum pinci: sumptibus dn̄i Benedicti fontana. Anno dn̄i MCCCCXCVII. die XXII. martij.*

Qui post Franciscum Puteolanum Taciti opera ediderunt, J. Rivius Venet. 1512. Ph. Beroaldus Romae 1515. Andreas Alciatus Mediol. 1517. Basil. 1519. Beatus Rhenanus Basil. 1533. 1544.

Aldus Manutius Venet. 1534. Justus Lipsius Antverp. 1574. 1581. Lugd. Bat. 1595. Antverp. 1600. 1607. Curtius Pichena Francof. 1607. in vita Agricolae non usi sunt libris manu scriptis, quod plerique ipsi profitentur *). Neque ex quo G. Broterius ad codd. Vatt. animos advertit, praeter subsidia critica supra enumerata ad hunc usque diem quidquam inventum est. Neque Parisiensis neque Viennensis bibliotheca quidquam continet. Quum autem sedulo equidem circumspicerem, num alicunde subsidia parari possent ex scriptorum medii aevi memoria, nihil detexi nisi insignem nebulonis cujusdam fraudem, de qua re satis mirabili infra uberius disputabo.

Codex *Δ* ut nitide, ita admodum mendose scriptus est ab homine non satis docto, in exarando altero egregiam Pomponius Laetus ut criticus et grammaticus attulit diligentiam. Atque in hoc Pomponii codice una salus est libro nostro. Neque vero nobis inutilis est codex ille deterior. Quanquam enim uno tantum et altero loco, de quibus infra disputabimus, scripturam nobis servavit, quae probanda videatur, aut ad refingenda Taciti verba viam commonstret; magnam tamen eam ex operarii illius opella capimus utilitatem, quod ex eo fere cognoscimus, quae fuerit illa aetate scriptura libris propagata, indeque certius iudicare licet, summa cum fide et religione Pomponium Laetum exemplum suum descripsisse, neque arbitratu suo quidquam novasse. Praeterea multa alia, quorum fides et auctoritas alioquin in dubium vocaretur, illo codice confirmantur et a suspicione, ne coniectura sint invecta, liberantur.

Vitia codicis *Δ*, quae suo loco notabuntur, nihil attinet hic omnia recensere. Ac multa quidem sunt plane puerilia [1]), nec pluris facienda alia [2]). Saepe omisit singula verba [3]) ac syllabas, commutavit praepositiones aut prorsus eas omisit [4]). Talia quum multa ad-

*) Rhenanus ait: *in quinque prioribus voluminibus, quae reperta apud Corbeiam in Saxonibus paullo post Romae vulgata sunt, item in libello Germanorum, Oratorum dialogo Agricolaeque vita defuere quidem scripti codices, cum quibus conferrem, caeterum ipse editionem vulgatam percurri non prorsus indiligenter ac loca quaedam accuratius excussi.* Idem alibi: „*Nobis defuit exemplar vetus, ad quod conferremus. Itaque vulgatam editionem diligenter percurri meoque Marte quaedam errata deprehendi. Mutavi nonnulla, quaedam tantum indico, lectori iudicium relinquens: id fit in ambiguis.*

[1]) veluti *donos, intuero, savetas, altera, viseritis, dissolubiles* cett. pro *bonos, intueor, satietas, latera, visentis, dissociabiles* cett.

[2]) c. 4 *arcebat tamen* (*arcebat eum Γ*) c. 5 *iustitiam* (*inscitiam Γ*) c. 6 *felicitate* (*facilitate Γ*) c. 9 *facultas* (*facilitas Γ*) c. 12 *suffusa* (*subfusca Γ*) c. 15 *sapientia* (*patientia Γ*) c. 16 *plerique* (*plerisque Γ*) c. 30 *navibus* (*manibus Γ*) c. 34 *restituerunt* (*restiterunt Γ*) c. 37 *perlustrari* (*persultari Γ*) c. 40 *praetemptum* (*praeceptum Γ*) cett.

[3]) c. 2 *vocem pop. Rom.* ibid. *grande patientiae docum.* c. 18 *servitutis et reges* c. 23 *nominis gloria* c. 31 *etiam conservis* c. 40 *turbae servientium* c. 44 *sita sunt* c. 45 *nobis tam* cett.

[4]) c. 8 *proposuit*, c. 38 *profectus* (*praep. praef. Γ*) c. 9. 42 *adesse* (*deesse Γ*) c. 12

missa sint, in eodem loco habebis aliam scripturae discrepantiam [5]). Quatuor locis paullulum mutatus est verborum ordo [6]).

Sed videamus iam de codice *Γ* eiusque margine. In hoc codice quaedam voces aut singulae litterae sive virgula expunctae sive, ut delendae, punctis notatae sunt. Notatis his litteris Pomponii Laeti manu aliae superscriptae sunt. Sed aliis quoque litteris, quae non sunt expunctae, aliae superscriptae inveniuntur. Deinde ad marginem adscripta sunt vocabula vel syllabae vocabulorum, eaque aut simpliciter appicta sunt, aut adiecto compendio *Al'*, aut, quod tribus in locis factum est, addita voce *puto*. Ubique signum aliquod et marginali voci et textus verbo, ad quod referenda est illa, affixum est, modo ' modo ·' modo ∴ , : , :: .

Illa, quae punctis notata sunt, ea facile apparet a Pomponio Laeto manus errore scripta fuisse et animadverso errore statim emendata. Talia sunt c. 6 *inter praeturam quaesturam ac tribunatum* c. 15 *imbecillibus* c. 19 *per aliena exempla experimenta* c. 22 *moras eruptionis obsidionis* c. 23 *propior sinus sinus tenebatur* c. 26 *irrumpere* c. 29 *praedatam* c. 32 *diutius servos hostes* ~*quam servos* c. 36 *ictus ferire ictus* c. 9 *firtutum*^{v} (deleto *f*) c. 10 *itaque*^{quę} c. 6 *degressus*^{i} c. 11 *Calydoniam*^{e} c. 11 *hiberos*^{a} ibid. *hitasse* (i. e. *habitasse*), in margine notatur *occupasse*. Illud igitur oscitanter scripserat propter significationis affinitatem, c. 12 *ac*^{et} *sydera* c. 19 *hordeis*^{r} c. 22 *soluti*^{i} c. 25 *irruptoros*^{v} c. 29 *Graupiam*^{u} c. 33 *militum*^{e} c. 33 *decorum*^{lo} c. 36 *armarum*^{o} c. 36 *et*^{ac} *manus* c. 37 *summam* c. 38 *palantas*^{e}. Omnibus his locis id, quod superscriptum est, in cod. *Δ* vere legitur, nisi quod bis vitia notata sunt, quae etiam in cod. *Δ* comparent: c. 12 *impedite*^{n} c. 22 *conuiuiis*^{c}. Haec duo igitur vitia videtur Pomponius Laetus in suo codice le-

frigorum est c. 16 *mox fuit* c. 15 *cohabat* c. 39 *cepit* (*frig. abest; mox praefuit; incohabat; excepit Γ*). Syllabae omissae propter similitudinem vicinarum c. 38 *terrentur* (*terrerentur*) c. 4 *prima iuventa* (*prima in iuventa Γ*).

[5]) c. 2 *saevia et infelicia* (*saeva et infesta Γ*) c. 4 *honestatis artium* (*honestarum Γ*) c. 9 *temporis et curarum* (*tempora curarum Γ*) c. 6 *annum quietis et otio transiit* (*quiete et otio Γ*) etsi coniicere poteris in illo latere *quietus*, si quidem in illo cod. saepe *-us* et *-is* confunduntur, veluti c. 15 *novis* (*novus*) c. 16 *ausis* (*ausus*) c. 21 *saluberrimus* (pro *saluberrimis*) c. 18 *tranare extra* (*tranvex̃ Γ*). Magis mirum est c. 6 *medio luxuriae* (*medio rationis Γ*) sed illud enatum videtur eo, quod scribae oculi in sequentem lineam aberrasse videntur, in qua vox *luxuria* legitur. Nec multum tribuerim discrepantiae, si c. 4 *se appetendo* scriptum est pro *se anteponendo*.

[6]) c. 9 *etiam saepe boni* (*saepe etiam boni*) c. 12 *extrema parte Britanniae* (*ext. Brit. parte Γ*) c. 29 *commune periculum* melius quam *peric. comm.* uti legitur in *Γ*. c. 42 *Asiae et Africae* (*Af. et As. Γ*).

gisse et deinceps correxisse; vix autem talem quidem correctionem coniecturam appellabis.

Ex reliquis adnotationibus videamus primum eas, quibus nota illa *Al'* addita est. Eas esse discrepantes lectiones ex *Alio* codice enotatas, mihi quidem indubitatum videtur. Nullam omnino coniecturae suspicionem praebent hae, in quibus manifestum est falsam alius codicis scripturam insigni diligentia adnotatam esse: c. 45 *quas penitus animo figeremus.* (pin Al') c. 16 *Al'. facta exercitus licentia ducis salute.* c. 28 *praevehebantur*] *prebe. Al'.* c. 33 *instruebatur acies*] *institue. Al'.* Aliae codicis *Δ* auctoritate confirmantur: c. 33 *vix monitis coercitum*] *Al' munimentis* (sic *Δ*) c. 19 *tributorum auctionem*] *Al'. exactionem*, (*Δ* in contextu habet *exactionem*, neque ignorat alteram lectionem *auctionem*, quam in margine suo notatam habet hoc modo ..*auctionem*.. Semel igitur codicis *Δ* scriba expleta lacuna coniecturam fecit eamque felicem). c. 44 *nihil impetus in vultu*] *Metus Al'.* (In cod. *Δ* scriptum est *nihil metus et impetus in vultu.*) c. 39 *ut Domitiano moris erat*] *Al' ut erat Domitianus* (*ut Domitianus erat Δ*). Reliquae hae sunt eaeque satis dignae, ad quas animum sedulo advertas, in nonnullis enim vera latet et genuina scriptura: c. 10 *Al' unde et universis fama* c. 32 *tetra mancipia Al'.* c. 38 *Trucculensem*] *Trutu. Al'.* ibid. *praelecta Al'.* c. 41 *inercię et formidini Al'.* c. 42 *paratus simulatione*] *nis Al'.* c. 42 *sed in nullum re p̄ usum Al'.* c. 44 *Al' speciosę contigerant filia atque uxō.* c. 45 *Mettius Al'.* ibid. *Al' Nos Mauricium Rusticumque d i v i s i m u s.* ibid. *tam*] *tum Al'.*

Neque reliqua ad marginem notata vocabula, quibus illud *Al'* non appictum est, ex Pomponii Laeti coniectura enata iudicabis. Nam quas adnotavit tres coniecturas suas, iis addit voculam puto *). Atque, quod caput est, nonnulla libera sunt ab omni coniecturae suspicione: c. 22 castellis] *telis* c. 36 *foede recti*, in quo insunt verae scripturae vestigia. c. 7 *dum in templo*] ..*templum.* c. 11 *dãnari*] *dnãri.* c. 16 *nequa q̃*] *ne q̃*, quae nota quia ad priorem syllabam pertinet, intelligendum erit *nequamquam.* c. 22 *Tanaum*] *Taum.* Hanc quidem discrepantiam suspicor et ipsam ex alio codice desumtam sed in eum ex coniectura invectam esse. Pomponius, qui eam in interiori margine adnotavit, in exteriori margine, ubi nomina propria excerpta leguntur, adscribit: *Taus sive Tanaus.* Incertus igitur erat Pomponius Laetus, quam formam huius vocis in illo indice adoptaret.

*) c. 34 *fortissimum quoque animal*] *quodque p u t o* ibid. *quod tamdiu non invenistis restiterunt sic legendum p u t o* c. 28 *sua defensantium*] *ut sua p u t o.* Eandem voculam apponit quibusdam suis coniecturis, quas in reliquis Taciti scriptis, quae in eodem codice coniuncta sunt, adscripsit, veluti: *multi stulta spe p u t o ; ab externis f o r t e ; quo tibi p u t o.*

c. 31 *bona fortunae quę*] *q̈;* (i. e. *que*) c. 29 *viridis*] *virēs.* c. 45 *Albanam arcem*] *villam.* ibid. *comploratus*] *compositus.* Ex his quoque nonnulla confirmantur codice *Δ*, qui ea in textu habet: c. 8 *minister* ^ *referebat*] *fortunam*, quamquam hoc quidem poteris existimare a Pomponio in scribendo temere omissum et deinceps additum esse, ut erroris sit emendatio, non alius codicis scriptura, praesertim cum in interiore, non exteriore margine adnotatum sit. c. 9 infra vocem *gręcię* quae in infima linea legitur, adscriptum est *gratę* c. 12 *praecipue*] *praeceptum.* Discrepans alterius codicis scriptura si non vocabulo, sed una littera aut syllaba contineretur, satis habuit Pomponius Laetus istam litteram in ipso contextu voci superscribere: c. 15 $\overset{s}{\textit{manum}}$ c. 19 $\overset{v}{\textit{privatis}}$ (*privatius Δ*) c. 20 $\overset{m}{\textit{multus}}$ (*multum Δ*) c. 25 $\overset{um}{\textit{castella}}$ c. 36 $\overset{B.}{\textit{vatavorum}}$ (paullo post: *vatavi*) c. 43 $\overset{v}{\textit{nobis}}$.

Reliqua, quae ad marginem codicis adscriptá leguntur, nullum fere habent criticum usum [1]).

Jam quod nonnulli suspicati sunt, codices *Δ* et *Γ* ex uno eodemque libro exscriptos esse, id quamvis primo adspectu utriusque scriptura comparata universa probari videatur, singula tamen omnia cum accuratius perquirerem, quaedam mihi oboriebantur dubitationes. Abiecta igitur illa opinione deinceps id potius statuere coepi, ea, quibus Pomponius Laetus et codicis *Δ* scriba usi sint, exempla ex eodem archetypo descripta esse.

[1]) Primum nomina propria hominum, populorum et regionum quasi indicis loco enotantur eodem modo atque in libris typis vulgatis, veluti: *Arulenus Rusticus. Herennius Senetio* cett. *Mona ins. Bregantes ppli. Silurum gens. Ordovicum civitas. Graupius mons. Trucculensis portus* cett. Haud scio an huc pertineat quod c. 36 ad vocem *tratis* notatur: *Trates. ut traces.* Num *tratis* pro nomine proprio populi habuit, quae forma conferri posset cum *Thraces?* an illud est *Trates* **aut** *traces*, ut dubius fuerit, quomodo legendum esset in exemplo suo? Deinde breviter argumentum indicatur: *Britanniae descriptio: Calgacus concionatur: Agricolae contio.* Ad scribae aetatem referendum videtur, quod cap. 12 ad verba *nunc per principes* adnotatur: *ut nunc Italia est*, et ad c. 40 *Tradiderat interim* cett.] *ut nunc princeps q iā vir fa....* Tribus locis (c. 9 *vincere inglorium* c. 42 *Accessere quidam* c. 43 *nobis nihil comperti*) adnotatur: *n. l.* i. e. nota locum. Bis adnotatur *Cn̈*, quod quid sit nescio. Ad cap. 6, ubi de matrimonio Agricolae sermo est, ad marginem notatur in utroque codice: *Cicero.* Qua nota suspicor eum, qui adscripsit, legentium animos advertere voluisse ad ea, quae Cicero Xenophontem Oeconomico secutus de maritali coniugio disseruit. Conf. Columellam de re rustica lib. XII. praef.

In codicis *Δ* margine prima pagina haec adnotata sunt: *Bona ars eloquentia, quae laudat dignos s. ars laudandi bonos. — Rutilius uno volumine scripsit vitam suam: et M. Scaurus quatuor voluminibus suam. — Capitale fuit Rustico et Senetioni laudasse bonos. — Thrasea et helvidius Stoici et sapientiae professores cōpati brutis et catonibus. — Cap.* 6 ad verba *quam Neronis* cett. adnotatur *cont*ᵃ *Neronem.* Praeterea cod. *Δ* in margine nihil habet, nisi, id quod supra monuimus, cap. 19 codicis archetypi scripturam ..*auctionem.*

Hoc ut statuam, non me movent multae illae codicis Δ discrepantiae, nam plurimae sunt calami menda, quae uni inscitiae aut oscitantiae illius scribae imputari poterunt; maioris momenti illud videri potest, quod in rebus orthographicis [1]) multum illi inter se discrepant, quod quamvis iure tuo suspicari possis Pomponii Laeti arbitrio tribuendum esse, cui forsitan placuerit eam adoptare scribendi rationem, quae hominibus doctis suae aetatis amplectenda visa sit, ea tamen est Pomponii Laeti in exprimenda codicis scriptura enotandisque eius vestigiis diligentia, ut vix in eum cadere videatur ea licentia et novandi cupido. Sed gravius mihi hoc videtur: si quasdam scripturas omnino probandas, quas Δ habet, Pomponius et ipse in codice suo invenisset, quomodo tandem in mentem ei venisset, eas ad marginem notare aut superscribere tanquam ex alio codice excerptas? Sin putas Pomponium, cum describeret codicem, primum in scribendo lapsum esse et deinde denuo collato codice errata in margine correxisse, cur non punctis sua delevit, ut fecit in aliis? Non persequar singula, sed si Pomponius c. 39 in codice suo invenisset, quod Δ habet, *ut Domitianus erat*, num ille pravum interpretamentum *ut Domitiano moris erat* substituisset, qui ex alio codice discrepantem scripturam *ut erat Domitianus* ultro affert? c. 33 si in codice suo legisset *munimentis*, num *monitis* substituisset? Insignis in hoc genere locus est c. 45 ubi Δ habet *tam nostrae absentiae*, Γ *tam longae absentiae* et in margine *tum* adnotatur, de quo loco infra uberius disputabo.

[1]) In Δ scriptum est *adsumo, adsiduus, adfligo, adfecto, adfirmo, adfinis, adfluo* cett. (*assumo, affirmo* cett. Γ); *actollo, actero, culctus, ulctor, auctor* (*attollo, cultus, autor*, cett. Γ); *quotidie, litore, tolero, oportunus* (*quottidie, littore, tollero* cett. Γ); *avaritia, notitia, peritia, inertia, patientia, ambitio, moderatio, nuntius, spatium, initium, pretium, patritius* cett. adeoque *spetiosus* (*inercia, ambicio, nuncius, inicium* cett. Γ); *fedum, federa, fecundum, femina, penitentia, cetra* (*foedum, foemina* cett. Γ); *caelum, caeteri, caecus* (*coelum* cett. Γ); *hiems, hibernus, imbribus, silva, desidero* (*hyems, sylva, desydero* cett. Γ); *monimenta* (*monumenta* Γ); *petiissem, transiisse, transiit* (*petissem* cett. Γ); *Corneli, Juli* (*Cornelii* cett. Γ); *vigesima* (*vicesima* Γ); *pulcher, simulachrum* (*pulcer* Γ); *utrunque, nanque, quanquam, quenque, tanquam, plerunque* (*utrumque* cett. Γ); *queis* (*quis* Γ); *mistus* (*mixtus*, semel *mistus* Γ); *praetentare* (*praetemptare* Γ). — Neque tamen haec omnino constanter; adeoque quibusdam in vocabulis vices mutant, sic Δ plerumque *ocium* et *provincia*, Γ contra *otium* et *provintia*, Δ *artiora* Γ *arctiora*. Δ semel *assuesco, attollo*, eodemque in loco Γ *adsuesco, adtollo*; Δ *tranquillitas* Γ *tranquilitas*. In utroque codice scribitur *commertium, cohercere, extingunt*. In hoc genere mirum est Pomponium Laetum contra morem Romanorum praenomina hominum, quae in cod. Δ una littera designata sunt, plene scripsisse: *Caium, Marcum, Gneum* cett. Numeros Δ litteris, Γ vocabulis exprimit (*X V, Lta* Δ, *quindecim, quinquaginta* Γ). Accusativi tertiae declinationis in Δ in *is* terminari solent (*gentis, hostis, navis, finis, partis, regis, tris*) in Γ vulgatam in *es* terminationem fere habent, rarissime illam. Nonnunquam adeo nominativus in altero aut in utroque codice illam formam induit, c. 25 *incolentis* ΔΓ c. 39 *crinis* ΔΓ (sed tamen c. 11 *crines* ΔΓ) c. 37 *expertis* Γ. Genitivus pluralis in Δ saepe terminationem *ium* habet, *civitatium* c. 27. 29. *senium* c. 32. Ubi Γ *neque* habet, plerumque in Δ *nec* scribitur.

Quartus est Fulvii Ursini codex. Non ignoro eqnidem, hodie viris doctis maximeque iis, qui Ciceronis libros ediderunt, admodum suspectam esse Fulvii Ursini fidem, quem veteres codices venditasse suspicantur, quos neque habuerit neque viderit. Veluti Casp. Orellius in notis ad Cic. orat. pro Planc. c. 25 ed. 1825 p. 144, ubi de codice quodam Ciceronis agitur, *nusquam opinor*, ait, *nisi in Ursini cerebro exstitit codex ille.* Nec Nic. Madvigius Ursini fidem magni facere videtur, cum praef. ad Cic. de fin. p. XXXIX dicat: *Ursini codices, qui, ubicunque haeserat, praesto erant, commemorare nihil attinet.* Atque sic hunc quoque Agricolae codicem Gronovius ad Agric. c. 19 *(Fulvii V. C. toties venditans, quod certum est nullo in MS repertum, sed coniecturae doctorum hominum deberi, iamdudum apud me tesseram confregit)* et U. J. H. Beckerus praef. p. XII. subdititium vel potius nullum asserunt. At et illud cupidius quam verius iactatum esse ab Orellio, monuit iam Ed. Wunderus prolegg. ad Planc. p. VII., qui argumentis satis bonis demonstrat, in excitando illo codice Cic. non mentitum esse Ursinum, neque omnino cadere videtur talis suspicio in illum virum, cui tam larga suppeteret veterum codd. supellex, et cui suae aetatis homines prorsus fidem habent. (Cf. Mureti Var. Lect. XI, 17 XII, 15. Lipsium praefat. ad Taciti ed.). Sed de Ciceronis codicibus videant alii, de Agricolae autem codice si qui dubitant, suspicio ista inanis et vaga videtur. Etenim Ursinus illius codicis auctoritate non suas, quas proponit, aut Danesii confirmare vult coniecturas, quibus nonnunquam vulgata magis scriptura quam codicis sui lectio patrocinatur, veluti c. 20, ubi *multum* est vulgata lectio, ipse *militum* coniicit, cod. suum *multus* praebere ait. Deinde pro *castellis* c. 22 vix sobrius quisquam coniecerit *telis.* Pleraeque autem scripturae, quas ex cod. vet. affert, nunc confirmantur reliquis codd. inprimis Pomponii Laeti margine. Non igitur est, quod dubitemus, reliquas quoque scripturas ex vetere aliquo cod. desumtas esse, praesertim quum quaedam non veram ipsam lectionem, sed eius tantum vestigia contineant. Qui fuerit ille codex, non usquam significat Ursinus, nam quod initio notarum ad Taciti libros p. 423 [ad Ann. I, 4] adnotat: *Ne iis quidem annis, quibus Rhodi specie secessus exulem egerit, aliquid quam iram* cett.] *Ita est in omnibus vulgatis libris et in codice item, quem habeo domi scriptum manu accurati viri Jocundi Veronensis*, id non statim ad illum Agricolae codicem referre licet, quum Annalium potius aliquis codex sit intelligendus. Neque inveniri potest in bibliotheca Vaticana, in quam Ursini codd. mss. delati sunt, quamvis sedulo id operam dederint Aemilius Braunius et Frid. Ritschelius. Nimirum deperditus est ut multa alia. Facile suspiceris esse eundem codi-

cem, ex quo Pomp. Laetus lectiones marginales excerpserit, nam in paucis illis, quae enotavit Ursinus, congruunt fere omnia, maximique momenti illud est, quod uterque ex codice suo scripturam satis miram *telis* (c. 22 pro *castellis*) enotavit. Sed hoc quidem utut est, id unum deprecor, ne Ursinum mentitum esse suspiceris, aut *veteris* istius codicis scripturas (cum Walchio p. 163) parvi faciendas esse existimes. Quod autem praeter *veterem codicem* bis etiam *alius libri* mentionem iniicit Ursinus, non puto alium praeterea codicem significari, sed id ad libri alicuius typis descripti adnotationem marginalem referendum esse, cuiusmodi in veteribus editionibus inveniuntur. Nam quod Ursinus monet ad cap. 19 *praeponere est in v. c., pro quo alius liber habet praeficere* (adscriptum hoc est margini editionis Lipsii), itemque quod ad cap. 33, ubi ex vet. cod. *accendendum adhuc ratus* legendum ait, adiicit, *in alio libro est: militem adhuc cohortandum ratus*, pro coniectura docti alicuius hominis habendum erit. Idem de scripturis quibusdam Ciceronianis, quas alibi adfert Ursinus, suspicatur Wunderus prolegomenis ad Cic. Planc. p. VII.

Sed afferamus ipsam Ursini ad singulos locos adnotationem ex libro illo paullo rariori:

(c. 3) *memoriam prioribus senectutis*] v. c. habet *prioris servitutis* cett. Et paullo post ex v. item c. legendum: *Nihil appetere in iactationem* cett. [sic ΔΓ]. Item pro vulgatis illis, *Dum in Templo, Liguriae pars est, hostiliter populatur etc.* v. c. habet: *Dum in Temelium, Liguriae urbs est, hostiliter etc.*

(c. 13) *Consilium id divus Augustus vocabat Tiberius praecipuè*] v. c. habet, *Tiberius praeceptum* [sic ΔM]. Et paullo pòst videtur legendum: *Alternis manus centurionum, alternis servos vim et contumelias miscere etc.* addita voce *seruos*, ex v. c.

(c. 18) *Sparsi per prouinciam numeri*] Legendū videtur *innumeri etc.* Et paulo pòst Danesius legebat: *Nec ex cōmendatione aut precibus centurionum comites ascissere etc.*

(c. 19) *Officijs et administrationibus praeponere* [sic ΔΓ] *potius non peccaturos etc.*] Ita est in v. c. cùm in vulgatis desit verbum *praeponere*, pro quo alius liber habet, *praeficere.* Vt alibi apud Tacitum vv. cc. eodem loco quidam habent *praeponere*, quidam *praeficere.*

(c. 20) *multum in agmine etc.*] v. c. habet *multus* [sic Γ prima manu] pro *multum; placeret tamen magis militum etc.* Pro eo verò quod in vulgatis est (c. 22) *ponendisque insuper castellis spatium fuit etc.* v. c. habet *telis* [sic M] non *castellis.* et paulo pòst Danesius legebat: *Solum, caelumq. et ingenia, cultus'que hominum haud multum à Britannia differt; eius aditus etc.*

(c. 25) *Et infesta hostili exercitu itinera timebantur*] v. c. habet, *hostilis exercitus etc.* [sic *ΔΓ*] et paulo pòst: *Caledoniam incolentes populi etc.* Item: *oppugnare vltro Castellum adorsi etc.*

(c. 31) *Primo statim congressu vnde ostendamus*] Danesius pro *vnde ostendamus*, legebat, *non ostendamus etc.* interrogationis nota posita ad verbum *seposuerit?* Deinde (c. 32) pro *Nostris illi discessionibus etc.* legebat *Nostris illi dissensionibus* [sic *ΔΓ*] *etc.* Et ita v. c. et Faernus etiam legebat.

(c. 33) *Et vix monitis coercitum militem etc.*] v. c. habet *munimentis* [sic *ΔM*], pro *monitis etc.* et totus locus ita legendus ex eodem v. c. *Et vix munimentis coercitum militem, accendendum adhuc ratus* [sic *ΔΓ*] *etc.* vel, vt est in alio libro, *militem adhuc cohortandum ratus etc.*

(c. 41) *absens accusatus, absens absolutus est*] Ant. Augustinus legebat: *praesens absolutus est.* Et paulo pòst (c. 42) pro vulgatis illis: *Aderat iam annus, quò Proconsulatum Asiae Africae sortiretur etc.* v. c. habet: *Asiae et Africę* [sic *Δ*]. Sed Danesius, *Asiae aut Africae.*

(c. 42) *Sed in nullum rei post vsum*] Scribendum ex v. c. *Sed in nullum Reipublicae vsum,* [sic fere *M*] *etc.* Et paulo pòst (c. 43) legendum est: *crebrius quàm ex more principis per nuntios visentis, etc.* Et deinde (c. 44): *Natus erat Agricola Caio Caesare tertium Consule etc.*

(c. 44) *Nam sicuti magnae cuiusdam felicitatis esse, durare in hac beatissimi saeculi luce etc.*] Ita legendus hic locus ex v. c. et deinde (c. 45): *Nos Mauricium Rusticum'que diuisimus* [sic *M*] *etc.*

(c. 46) *Admiratione te potius, quàm aemulatione decoremus etc.*] Ita legitur in v. c. pro eo verò quod est in vulgatis, *militum etc.* fortasse *imitatione virtutū etc.* emendatiùs legeretur. Vt totus locus ita legatur: *Admiratione te potius, quàm aemulatione; etsi natura suppeditet, imitatione virtutum decoremus etc.*

(Ibid.) *Non quia intercedendum putem imaginibus*] Videtur legendum *interdicendum,* non *intercedendum* etc.

Puteolanam autem recensionem equidem mihi persuasi nullius habendam esse momenti. Franciscum enim Puteolanum et quem sibi socium in edendo Tacito adsumsit Bernardinum Lanterium quovis pignore contendo in edendo Agricola nihil criticae supellectilis habuisse *) praeter codicem nostrum, qui etiamnunc

*) In reliquis Taciti libris num proprios adhibuerit Puteolanus codices mss., quos non habuerit Vendelinus de Spira, non meum est hoc loco disquirere. Negat hoc J. Gronovius, veri simile putat Ernestius, indubitatum asserit Waltherus, qui si ex praefatione Puteolani id apparere ait, profecto fallitur, etenim legimus tantum: *multis vigiliis intentissimoque*

exstat, *Γ*, ideoque ea, in quibus ab illo discrepant, aut negligentiae sive typothetarum sive eius, qui codicem in usum illorum Romae transscripserit, tribuenda esse censeo, aut ex pravissimis editorum coniecturis enata iudico, qui ubi in codice verba aut vere corrupta sunt aut depravata illis viderentur, suo Marte vulnus sanare aggressi sunt.

Id quidem non opus est ut demonstretur, tres illas Puteolani editiones, quas Walchius, tamquam sint tot codices, magnificis siglis *PR. PM. PV.* producere solet, pro una habendas esse, neque enim ulla re differunt nisi typographorum vitiis. Atque his quidem quia maxime inquinata est Veneta editio, quae haud scio an inscio et invito vel adeo mortuo Puteolano vulgata sit, magnopere dolendum est, hanc potissimum usurpatam esse ab insecutis editoribus, Rivio, Beroaldo, Alciato, Rhenano, Lipsio. Quid? quod ex huius editionis mendis enatae demum sunt aliae corruptelae, veluti c. 16, ubi legitur *Paulinus cognito provinciae motu*, Venetus typotheta dormitans expressit *co cognito*, uti c. 37 pro *sequi* vulgavit *sesequi;* inde vulgatam olim lectionem finxit Rivius *eo cognito;* c. 3 pro *felicitatem* Venetus habet *falicitatem*, inde Beroaldus *facilitatem* procudit. c. 32 in verbis *licet dominationi alienae sanguinem commodent*, Venetus temere omisit voculam *licet*, hinc ex Rhenani emendatione ante Broterium legebatur *commodantes*. Alibi quoque oscitanter omisit voculas, quae et in prioribus editt. et in codd. recte leguntur: c. 3 *corpora* n o s t r a c. 5 i n *iactationem* c. 42 *moris* e s t. Misere transposita verba sunt c. 30 *Soli omnium atque opes inopiam pari affectu concupiscunt.* c. 36 *ut* r e m *ad mucrones ac manus adducerent*, pro *rē* in $\pi 1$ $\pi 2$ typographi culpa *rō* scriptum erat, hinc Venetus scripsit *ratio.* De huiuscemodi rebus indignum sane est multis disceptare. Mittamus igitur Venetam et propria eius vitia *).

studio r e c o g n i t a *adiuvante Berardino Lanterio omnium Mediolanensium eruditissimo, ut eum parcissime laudem, sub tuo nomine* [Jacobi Antiquarii ducalis Secretarii] *nostris impressoribus tradidimus. — Veneti enim impressores* [Vend. de Spira] *adeo inculcaverant ac foedaverant hoc divinum opus, ut non modo Cornelianae facundiae maiestas inquinaretur, sed vix ullus sensus coniectari posset. Quid ego effecerim, iudicent docti, sed collatis exemplaribus* (sc. suo et Spirensi). Broterius dicit, eum nitidiorem politioremque Tacitum fecisse tum suis tum Bernardini Lanterii *coniecturis* ductum, quamquam addit, eum codice Genuensi usum esse. Ceterum de Puteolano in Jo. Saxii Hist. liter. typogr. Mediolan. praemissa Argelati Bibl. Script. Mediol. T. I. col. 287 haec referuntur: *Puteolanus Parmensis Mediolani auditor fuit Gabrielis Paveri Fontanae. Deinde Bononiam se contulit, ubi acerbis rerum perturbatarum vicibus pulsatus incerta de caussa, sed a Jacobo Antiquario sublevatus est. A Cicho Simonetta Mediolanum evocatus honestissimo studio professus est oratoriam facultatem in publico gymnasio, post ad historiae cathedram promotus.* De Lanterio Saxius l. l. col. 240. dicit: *poetica facultate excelluit, sed nihil publicavit.*

*) Alia vitia ed. Venetae quia omittemus

Puteolanum codice nostro *Γ* usum esse, primum evincitur hoc documento. Quod supra docui, Pomponium Laetum suos, quos in scribendo admiserat, errores punctis notasse et correxisse, eas notas ab initio libri nondum intellexerant editores Mediolanenses. Hinc c. 6 nihil suspicantes expresserunt *inter praeturam, quaesturam ac tribunatum,* nequedum c. 10, quid sibi vellet *itaque* (superscr. *quę*) odorati, itidem *itaque quae* scripserunt. Deinceps autem, quum eiusmodi notationes saepius invenissent, persentiscere coeperunt, quid illae sibi vellent. Itaque iam prudenter receperunt ea, quae superscripta aut ad marginem notata sunt. Hinc quaedam bonae scripturae adscitae sunt, quas qui ignorabant iam in cod. *Γ* adnotatas esse, ii Puteolanum bono aliquo libro proprio usum esse suspicabantur. Neque vero ille marginales illas scripturas omnes recepit, sed hic illic, margine temere neglecto, deteriores, quas *Γ* in textu habet, scripturas retinuit, veluti c. 13 *praecipue* c. 19 *tributorum auctionem* c. 33 *monitis* c. 39 *ut Domitiano moris erat.* Semel utramque scripturam recepit, quia adnotatam lectionem pro supplemento habuit: c. 45 *Albanam arcem villam.*

Sed videamus ea, in quibus differt a codice suo. Quaedam vitia enata sunt ex eo, quod Puteolani operae non attenderunt ad siglarum apices, qui in codice comparent. Sic c. 2 et 31 *et* scribit pro *ẽt* i. e. *etiam* c. 31 *et si* pro *ẽt si* c. 38 *dein* pro *deiñ* i. e. *deinde* c. 17 *locorumque* pro *locorumq̊* i. e. *locorum quoque,* c. 32 *accedunt* pro *accēdunt* i. e. *accendunt.* Ex eodem genere est vicissim c. 35 *constiterant* c. 44 *contigerat* c. 33 *instruebantur* c. 45 *contingit* (pro *contigit*) c. 32 *relinquerunt* (*reliquerunt*) c. 27 male scripsit *constantia,* quum *conscĩa* sit potius *conscientia;* ita etiam enatum est c. 3 *imperii* ex male intellecto compendio *tporu* et c. 4 *habuerit* ex *hũit* i. e. *habuit* c. 30 *toti* pro *toti*' (*totius*) accepisse videtur. Alibi compendia recte intellexit, c. 9 *egregiae* (*gręcię*). Inprimis autem saepe peccatum est omissa terminatione passiva, quae in codice virgula notatur: c. 26 *pugnabant* (*pugnabatur*) c. 32 *recordabunt.*

Quinquiesdecies transposuit verba ita, ut nullo loco probari

in adnotatione critica, hic semel enotamus curiosis. C. 7 *athoniana* ibid. *vicessimae* c. 8 *Volanas* 9. *collavit* 11. *ausseverant* 12. *rubo* ibid. *colli* 13. *incollas* 14. *usquae* 15. *praepositorium* 17. *prohibetur* 19. *precipibus* 22. *pellabantur* 24. *agustius* 25. *divisio* 26. *inter* 30. *forae* ibid. *tutius* 32. *vita* ibid. *dissolent* ibid. *maioris* 34. *quotque* 37. *expartes* 37. *vicentium* 38. *conclobari* 40. *statutae* ibid. *immixtum* 41. *deterrioribus* 42. *occultus* 53. *superat* cett. Propria quaedam habet typographorum vitia π 1, quae emendata sunt in π 2. c. 6 *magistrate* 7. *martem* 9. *ostendandam* 17. *obruisse* 27. *transferent* c. 36 *magna.* c. 46 *civisque* (*cuiusque*) 42. *terentesque,* in quod recidit π 3, uti c. 11 *posito* (*positio*) et π 1 et π 3 habent.

possit ordo, qui aperte errore natus est. Capite quidem primo *ut agere memoratu digna* nihil offensionis habet praeter syllabarum brevium sex concursum; sed tamen codd. habent *ut agere digna memoratu.* Cf. Hist. II, 24 *digna memoratu proelia.* Plin. N. H. XXI, 12 *mirum est dignumque memoratu.* Servius ad Aen. I, 373. *Pontifex Maximus digna memoratu notare consueverat.* At alibi plane ferri non potest invecta verborum series: c. 6 *in subsidium et solatium simul* ibid. *atque etiam ipsum tribunatus annum.* c. 8 *Cerialis modo labores — communicabat.* c. 9 *etiam saepe boni.* c. 10 *etiam iugis atque montibus.* c. 19 *circumcisis reperta quae.* c. 22 *ut erat bonis comis.* c. 25 *specie ignavi prudentium.* c. 31 *verbera emuniendis inter ac contumelias.* c. 38 *latere Britanniae.* C. 2 sententia flagitat codicum seriem *at nunc narraturo mihi*, nec c. 4 praeferes *in prima iuventa* aut ibid. *excelsae magnaeque,* nec c. 7 est, cur librorum seriem *juvene admodum Domitiano* posthabendam censeas. Casu fortuito tribus locis factum videtur, ut et in Δ et in π eodem modo verba transposita sint: c. 9 *etiam saepe boni.* c. 11 *victis evenit.* c. 29 *commune periculum,* quod quidem praeferendum erit.

Vicies fere verba aut syllabas omisit, quae aut deesse plane non possunt aut melius adduntur in codd. *).

Ingens est numerus vitiorum, quae vel typothetarum culpae vel, quod magis credo, negligentiae eius tribuenda sunt, qui codicem in usum typographorum transscripsit **). Quaedam in hoc genere vitia

*) c. 4 *iisque ipsis virtutibus.* c. 17 *amplexus est.* c. 19 *non peccaturos praeponere.* c. 20 *incuria vel intolerantia.* c. 5 *simulque et anxius.* c. 27 *et penetrandam.* c. 28 *et in Britanniam.* c. 41 *et constantiam.* Ibid. eadem vocula a scriba omissa compensata est ab editore adiecto *que: Pannoniaque.* c. 32 *hostes quam servos.* c. 23 *namque.* c. 33 *fremituque.* c.36 *simulque.* c. 45 *complexuque.* c. 33 *accendendum adhuc ratus.* c. 33 *saepe in agmine.* c. 34 *contra ruere.* c.43 *momenta ipsa.* c.45 *oculos suos.* Huc etiam pertinet c. 11 *vicinam solum* (pro *vicinam insulam*), unde Beroaldus finxit *vicinum solum.* Bis male addidit voculas c. 11 *Ceterum in Britanniam.* c. 11 *et torti.* c. 12 *et nox.*

**) Saepe confunduntur *ut* et *et.* c.2 *ut sicut.* c. 18 *ut quibus.* c. 22 *et silentium.* Eodem igitur in numero habebis c. 33 *et barbari moris* pro *ut barbaris moris.* Saepe *et* et *ac* commutantur: c.8 *et ducem.* c. 25 *et montium.* c. 30 *et modestiam.* c. 32 *metus et terror.* Alibi *et* et *aut* commutantur: c. 18 *aut officiorum* (*et off.* $\Delta\Gamma$). Confunduntur *per, prae* et *pro*: c. 23 *praecurrerat.* c. 82 *proferre.* c. 28 *provehebantur.* Alia huiusmodi vitia sunt: c. 4 *rectum* (*erectum*). c. 6 *templorum* (*temporum*). c. 8 *provinciae* (*provincia*). ibid. *Peretilium* (*Petilium*). c. 10 *despecta* (*dispecta*). c. 11 *longas pax* (longa). ibid. *emolierit* (*emollierit*). c. 12 *concidere* (*occidere* $\Delta\Gamma$). c. 16 *amisit* (*omisit*). c. 17 *validāsque* (*validamque*). c. 19 *coerant* (*coercuit*). ibid. *numerum* (*munerum*). c. 21 *domus* (*domos* $\Delta\Gamma$ cf. c. 15. ubi cum codd. *domos* habet). ibid. *hortare* (*hortari*). c. 22 *vim* (*vi*). c. 26 *caesas* (*caesis*). c. 29 *contracta* (*contractam*). c. 30 *contractu* (*contactu*). c. 32 *victos alii* (*vinctos dii*). c. 36 *tractis* (*tratis* $\Delta\Gamma$ i. e. *stratis*). c. 31 *arma* (*arva*). c. 32 *qua ubi* (*quae ubi*). ibid. *exprobaturi* (*exprobraturi*). ibid. *erga* (*ęgra*). c. 33 *voce* (*voces*). ibid. *superesse* (*superasse*). c. 37 *quadraginta* (*LX*). c. 38 *sperare* (*separare*). c. 38 *Horestorum* (*Borestorum*). ibid. *pallantes* (*palantes*). c. 42 *terentes* (*terrentes*). c. 43 *alius agens* (*aliud agens*). ibid. *Cinica* (*Civica*). c. 44 *testimonio* (*testamento*). c. 45 *filioque* (*filiaeque*).

num Puteolani magis coniecturae tribuenda videantur, quam operarum culpae, aliorum sit iudicium; sunt certe vitia, quamvis hodie quoque nacta sint defensores. Veluti c. 28, ubi codices vitiosam habent scripturam *remigante*, possis sane suspicari, Puteolanum in animum induxisse, posse hoc vitium emendari, si *remigrante* scriberet, verum c. 10 quoque *remigrantes* apud eum legitur pro *remigantes*. Integrum igitur legentibus relinquo iudicium, ab utra origine repetere velint aperta vitia haecce: c. 6 *modo rationis (medio rationis)*. c. 14 *viros (vires)*. c. 15 *quantum (quantulum)*. c. 18 *tum Agricola (cum Agricola)*. c. 25 *auctus (victus)*. c. 26 *irrupere (erupere)*. c. 30 *inferiores (infestiores)*. c. 32 *discessionibus (dissensionibus)*. c. 36 *obstiterant (adstiterant)*. ibid. *commistae (connisae)*. c. 43 *speciem tum (speciem tamen)*. c. 44 *consularibus (consulari)*. Magis mirae sunt, sed tamen apertae stribligines eius, qui typographis codicem exscripsit: c. 12 *concidere (occidere)*. c. 25 *amplas (amplexus)*. c. 27 *cum imputantur (uni imputantur)*. c. 31 *congressu* u n d e *ostendamus*, quod inde forsitan enatum sit, quod scriba primitus *ostendamus* voluit per solitum compendium *ôndamus* scribere; sed quia in codice *Γ* hoc loco *ostendamus* plene scriptum est, repudiavit postmodo compendium, relictas autem litteras *onda* typotheta accepit pro *unde*. Ita certe enatum videtur mirum vitium c. 36, ubi codd. habent *Agricola Batavorum cohortes*. Scriba ille, cui obversabantur Patavini, voluit *patavorum* scribere, delevit autem scriptum iam *p* virgula. Propterea in *π* 1 expressum est *p*, inde *π* 2 *π* 3 habent *per*, unde Rhenanus finxit *tres*.

At enim, inquies, adhuc tu nobis nil nisi vitia enumerasti editoris Mediolanensis; iam scire velimus, quae illa sint, quae Puteolanus et Lanterius, *doctissimus omnium Mediolanensium*, *multis vigiliis intentissimoque studio* effecerint. Non nego equidem, nonnulla eum emendasse, sed ea sunt talia, quae unus tiro corrigere posset, ut si velles propterea suspicari, eos alio praeterea codice usos esse, iniquum de illis viris iudicium facturus esses. Talia sunt c. 5 *intercepti (intersepti ΔΓ)*. c. 13 *Domitae gentes (Domitiae gentis ΔΓ)*. c. 19 *iniuriae (incuriae)*. ibid. *libertos (liberos)*. ibid. *fidelissimum (fidissimum ΔΓ)*. c. 25 *timebantur (timebant ΔΓ)*. c. 26 *his ut tulisse (his intulisse)*. c. 28 *inmixti (immixtis)*. c. 32 *commodent (commendent)*. c. 34 *imputari (imputare)*. c. 37 vox *collecti* bene transposita est totusque locus egregie emendatus. Quod autem c. 16 *indecoris* mutavit in *indecorus*, id neutiquam probandum. c. 39 *in Britannia (in Britanniam)*. c. 45 *perhibent (perhiberent)*. Duas lectiones restituit, quae iam in cod. *Δ* inveniuntur: c. 18 *verterentur (uterentur Γ)*. c. 35 *connexi (conuexi Γ)*. Si in codice archetypo scriptum erat, ut videtur,

u'teretur, facile alter *uteretur*, alter *verteretur* reddebat. *Conuexi* autem et *connexi* tam aegre in codd. dignoscuntur, ut non mirer, insignem Henrici Brunni diligentiam hanc discrepantiam illo loco plane non animadvertisse, neque ego aliorum indicio fidem habuissem, nisi, ut solebam in eiusmodi dubiis, codicem denuo inspicere illum rogassem. Quod pauca quaedam scribendi vitia communia habet cum Δ, id utriusque scribae pari inscitiae tribuendum. Semel accidit adeo, ut typothetae edd. π 2 π 3 casu fortuito in codicis Δ scripturam delaberentur, cum π 1 codicem Γ sequeretur: c. 10 *transgressis* Γ π 1 *transgressus* Δ π 2 π 3. Ille casus ibi tantum memorabilis est, ubi eodem modo in verborum collocatione peccatum est c. 9, c. 11, c. 29. Talia si plura invenirentur, facile in eam adducereris suspicionem, Puteolanum hic illic etiam codicem Δ inspexisse.

Verum enim vero illas emendationes quamvis satis tenues lubenter et grato animo in laude poneremus, dummodo *intentissimo* illo *studio* Lanterius non alia machinatus esset, et iis in locis, quibus lenis aliqua medela adhibenda erit, foedis suis commentis codicum scripturam obruisset et obscurasset. Eius enim lubidine pleraeque enatae sunt illae scripturae, quae ingentem illam adnotationis molem importarunt, in quibus docti nostri homines quasi naufragium fecerunt, et ipsius Taciti elegantia in suspicionem ac discrimen adducta est. Ex hoc numero sunt illa emendationum monstra: c. 1 *ni cursaturus*. c. 10 *nix et hiems*. c. 12 *ita dum singuli pugnant*. c. 13 *auctor operis*. c. 16 *Hic quum*. ibid. *haec seditio*. ibid. *suae quoque*. c. 17 *et quum Cerealis quidem* cett. ibid. *sustinuit quoque*. c. 18 *fore universa*. c. 19 *centurionum milites ascire*. c. 20 *vendere pretio*. ibid. *a proximis hibernis*. Inde ab hoc capite destitit a coniectandi lubidine; nisi quod c. 34 *pavida et inertia pellebantur* ita sanari posse putavit, ut *pelluntur* scriberet; retinuit abhinc vitia codicum, quod si omnino fecisset, melius consuluisset Tacito, cuius genuina verba ex codd. vestigiis iam dudum profecto eruissent Rhenanus et Lipsius, nisi Puteolani tum vitiis tum coniecturis inducti a proposito aberrassent.

At corruit omnis illa nostra de Puteolano disputatio, si liber quidam, qui in Anglia circumfertur medioque aevo seculo XIV scriptus dicitur, vere genuinus est, in quo cum ex aliis scriptoribus veteribus tum ex Taciti Agricola multa fragmenta et integra capita excitantur, in his autem multae scripturae, quas nos damnavimus atque Puteolani demum sive negligentia sive coniectura enatas diximus, vere leguntur. Inscriptus est hic liber: *Britannicarum gentium historiae antiquae scriptores tres, Ricardus Corinensis, Gildas Badonicus, Nennius Banchorensis ed. Carolus Bertramus. Havniae*

1757. Inde sigillatim denuo editus est scriptor ille, quem dico, *Ricardus Corinensis* Londini 1809 sub hoc titulo: *The description of Britain, translated from Richard of Cirencester with the original treatise: de situ Britanniae.* Additae sunt *C. Bertrami Londinensis notae in cap. I. II. libri I Britanniae Romanae Ricardi monachi.* Continetur illo Ricardi libro enarratio antiquissimarum Britanniae rerum inprimisque Romanorum in Britannia progressus atque itinera describuntur. Qui recentiori aetate res Anglicas composuerunt, saepe ad eius provocant auctoritatem, veluti Lingard T. I, p. 11. 44. 45. Lappenberg T. I, p. 16. 17. 41, inprimis autem, qui de antiquitatibus Britanniae scripserunt, veluti Guilielmus Roy in libro: *The military antiquities of the Romans in Britain.* London 1793. Adiectae sunt mappae Britanniae faciei Romanae ex *Ricardo Corinensi*, monacho Westmonasterii. Robert Stuart in *Caledonia Romana; a descriptive account of the Roman antiquities of Scotland.* Edinburgh 1845. qui p. 121 illum libellum cum Ptolemaeo comparat: *coupled with the work of the Alexandrian geographer, it forms the best Itinerary of Roman Scotland that exists.* Atque Whitaker in libro: *The history of Manchester. London* 1773. T. I p. 83 sq. illius temporis historiam nunc demum, ex quo iste liber repertus sit, satis illustratam esse asserit*).

Verum hic liber subditicius est et insigni fraude a Carolo Bertramo, qui tanquam e codice antiquo a se reperto primus edidit, sartus demum et compilatus**). Quae fraus commode comparari poterit cum famosa illa Sanchuniathonis inventione.

Namque Carolus Julius Bertramus Londinensis, scholae nauticae Havniensis professor, anno 1747 jactabat se Havniae casu fortuito vetustum codicem manuscriptum invenisse. Cuius libri quum transscriptum exemplum ad Dr. Stukeley, celebratum illa aetate apud Anglos antiquarium, misisset, multum hic conclamavit in Anglia atque et ipse de hoc invento fusius disputavit edita illius libri *Analysi*, et Bertramum iussit typis vulgare ipsum librum. Est autem cento misere compilatus ex veterum scriptorum locis, satis notis illis, ceterum petulanter depravatis et corruptis, quos postquam effutivit Bertramus, codicis quoque sui lacuna incipit. Extrema enim haec sunt: *Postea * * * Reliqua desunt.* Adiectis notis suis Bertramus

*) Hic, ubi laetabundus refert *a discovery made of great importance to the knowledge of Roman-British Antiquities*, ait: — *But in that year the science of Roman antiquities received an extraordinary illumination from the discovery of a work which contains a very curious account of Roman Britain, and exhibits to us a new Itinerary for the whole of it. And, what greatly enhances the value to a Roman-British antiquarian, the latter is more antient than that of Antonine, more extensive in its design, and more circumstantial in its execution.*

**) Scripsi de hac re iam olim in Museo Rhenano ed. Ritschel IV p. 346 sq. idemque privatim communicaveram anno 1843 cum Lappenbergio.

ıuam veterum scriptorum ostentat notitiam, et in redarguendis moıachi illius erroribus collectitiae suae doctrinae copias apponit. Hanc scilicet ut sibi pararet opportunitatem, et ut conspiceretur ipse amamque sibi colligeret, illum librum composuit. Satis astute ıuctorem sui libelli facit Ricardum monachum, quem constabat eculo XIV. monasterio St. Petri Londinensi (*Westminsterabtei*) rixisse et propter libellum aliquem quem composuit: *speculum historiale le gestis regum Angliae* *), nomen chronographi invenisse.

Argumenta, quibus fraus illa convincitur, haec sunt. Primum n locis ex Taciti Agricola excerptis luculenter apparet, Bertramum ditionem Taciti typis vulgatam habuisse, unde locos transscriberet. Hinc c. 16 scripturam *eo cognito*, quam supra demonstravimus ex ypographico vitio editionis Venetae *co cognito* enatam et a Rivio aut Beroaldo demum effictam esse, monacho seculi XIV. obtrudit, hinc :. 11 Rhenani inanem coniecturam *positu contra Hispaniam* omnesque rulgatae tum lectionis corruptelas et coniecturas retinet, multis auctas lliis depravationibus et glossematis, quae afferre neque opus est ıeque dignum, nisi forte, quem c. 13 Tacitus nominat *D. Julium*, um a Bertramo doceri vis scribendum esse *Dictatorem Julium*.

Alterum est, quod monachus ille Londinensis seculi XIV. quindecim scriptores latinos ac graecos excitat, et ita quidem ut anquam docto homini nostrae aetatis in promptu et obvii fuisse ideantur ut in forulis suis dispositi. Unde tandem illi monacho orum librorum facta est copia? Non ignoro equidem, septimo eculo et octavo magnam veterum librorum supellectilem in monasteiis Britanniae suppetivisse, collectam illam ob Theodoro archiepicopo et ab Hadriano et Benedicto abbatibus, verum seculo nono, uum Dani monasteria expilarent, libros comburerent, monachos xpellerent, omnis illa codicum manuscriptorum copia deleta est. Quos autem libros deinceps Alfredus magnus, qui deperditos illos t irreparabiles thesauros magno cum dolore desiderabat, in eorum ocum comparavit, ii seculo undecimo, quum Dani iterum iterumque erram invasissent, denuo exstincti sunt, neque monachi anglici inde b illo tempore doctrinam liberalem bonasque litteras studio amplexi

*) Hunc libellum Ricardi, qui praeterea iam commentationem nescio quam theolocam scripsit, plane futilem et inutilem esse, se fatetur Whitaker, qui tantum tribuit Brinniae Romanae eiusdem monachi. Dicit iim l.l. p. 90: *The hope of meeting with disveries as great in the Saxōn history, as he ıs given us concerning the preceding period,] induced me to examine the work. A MS. opy is preserved in the public library at Cambridge Ff*, 1, 28 *containing* 516 *pages. But my expectations were greatly disappointed. The learned and deep antiquarian* [si Dis placet!] *I found sunk into a mere novice in history, sometimes the copier of Huntingdon, but generally the transcriber of Geoffrey. Deprived of his Roman aids, Richard shew himself to be as ignorant and injudicious, as one of his illiterate contemporaries about him.*

sunt. Nam in academiis scholisque, quae seculo XIII et XIV condi coeptae sunt, una philosophia scholastica et studia rhetorica ingenia exercuerunt, ut veteres scriptores neque legerentur neque desiderarentur. Legerint illi sane Aristotelis interpretes, legerint Ciceronis libros rhetoricos attigerintque hunc vel illum poetam, at num Taciti historiarum ullam ad eos famam et notitiam pervasisse existimabis? Ad illos dico? Immo ne ea quidem aetate, qua diximus amplos librorum thesauros in Britannia congestos fuisse, Cornelius Tacitus monachis notus fuit. Etenim ab Alcuino, qui carmine suo *de pontificibus et Sanctis* inclytae bibliothecae Eburacensis copias praedicat singulosque scriptores, quos ibi invenerit, enumerat, ex historicis nominantur

Historici veteres, Pompeius, Plinius, ipse
Acer Aristoteles rhetor atque Tullius ingens.

Tacitum fere ignorant aevi medii scriptores, videnturque uni discipuli Rhabani Mauri tenuem aliquam eius notitiam habuisse *).

*) Tacitum, cuius iam admodum raro vergente aevo antiquo mentio iniicitur (cf. Vopiscum Taciti imperatoris vita c. 10. Probi vit. c. 2. Aureliani c. 2. Tertullianum Apol. adv. gentes c. 16. Hieronymum ad Zachar. III, 14. Sidonium Apollinarem Epist. IV, 14. 22. Orosium I, 5. 10. VII, 3. 9. 10. 19. Scholiastam veterem Juvenalis ad sat. I, 99. XIV, 102. p. 58. 515 ed. Cram. Sulpicium Severum hist. sacrae II, 29 qui, quae de Nerone narrat, depromsit ex Taciti Ann. lib. XV.) ipso medio aevo commemorant Cassiodorus Variarum V, 2 (*quodam Cornelio scribente*). Jornandes de rebus Geticis p. 81. ed. Lindenbrog. Ruodolfus Fuldensis Annalibus (Pertz Monum. I, p. 368), idem Ruodolfus in Translatione S. Alexandri (Pertz Monum. II, 675) nonnulla affert ex Taciti Germania hausta, quae maximam partem repetita leguntur apud *Adamum Bremensem* in Gestis Hammenb. ecclesiae pontif. I, c. 5 sq. (Pertz Monum. IX, p. 286), sed ita, ut Adamus auctorem suum nominet Einhardum. Scilicet hic primam partem annalium Fuldensium composuit, alteram, ex qua illa desumta sunt, Ruodolfus. Idem *Adamus* libri laudati lib. IV, schol. 124. (Pertz Monum. IX, p. 376) ipsius Taciti nomen citat: *Tacitus Suevos hoc quoque Sueonum nomine appellat.* In Leonis Marsicani chron. monasterii Casinensis (Pertz Mon. IX, p. 746), inter codices, qui in illo monasterio descripti sint, commemoratur *historia Cornelii cum Omero.* At iste *Cornelius* non magis noster Cornelius Tacitus esse videtur quam *Omerus* ille noster Homerus. Nam *Omerum* illum existimo esse incertum auctorem *epitomae Iliadis Homericae*, quem librarii Pindarum Thebanum, alii adeo et in plerisque quidem codicibus et editionibus *Homerum de bello Troiano* nominare ausi sunt. Eadem absona fraude carmini cuidam Josephi Iscani, monachi Angli, qui seculo XI aut XII. Exoniae (Exeter) vixit, nomen *Cornelii Nepotis* (*de bello Troiano*) imponunt. Hic igitur est ille *Cornelius.* Eundem librum alii ex graecis Daretis Phrygii in latinum sermonem a Cornelio Nepote conversum fingebant. Bene igitur Wattenbach illius chronici editor adnotat: „miro modo concinit priscus catalogus codicum Corbeiensium apud Ang. Mai in Spicileg. Rom. V, p. XIII. *Cornelii liber de bello Troiano.*“ Praeter illos Taciti mentionem iniicit Freculphus chronico Tom. II, lib. II, c. 6. lib. III, c. 3, quod Trossius monuit praef. ad Tac. Germ. p. XIV, sed Massmannus Freculphum illa ex Orosio hausisse arbitratur. Bonifacium quoque monstravit ibidem Trossius in epistola ad Ethelbaldum regem nonnulla afferre, quae ex Taciti Germania desumta videantur. Joannes Sarisberiensis denique Tacitum nominat Policratico VIII, 18. Ceterum omnium illorum scriptorum nemo videtur nosse Agricolam. Orosius enim quamquam fusius Caesaris et Claudii in Britanniam expeditiones enarrat, et VII, 10 Domitiani bella adversus Germanos et Dacos auctorem citans Corn. Tacitum commemorat, nihil

Confecto demum libro suo videtur Bertramus metuere coepisse, ne aliis, qui dubitaturi essent, num monacho Anglico libri illi in promptu fuissent, suspicio aliqua oboriretur. Hanc igitur suspicionem ut praeverteret, aliam iam machinatur fraudem. In praefatione enim libri narratur, in bibliotheca monasterii illius Londinensis a Widmorio bibliothecario inventam et Stukeleio monstratam esse schedulam, qua notatum fuerit, Ricardo monacho ab abbate suo anno 1391 veniam datam esse Romam proficiscendi; in hoc igitur itinere verisimile esse Ricardum libros quosdam Romae inspexisse. Hoc quidem utut est, reprimam enim suspicionem, ne Widmorius cum Bertramo colluserit ad Stukeleium decipiendum, nec eam movebo dubitationem, num illo tempore Agricola, postmodo demum repertus, Romae notus fuerit, verum enim vero illud profecto satis mirum est, ipsum Ricardum in libro suo nullam talis peregrinationis mentionem iniicere, neque, quos praeter spem et exspectationem Romae invenerit libros, laetabundum exclamare. Ille contra, ubi de fontibus loquitur, ex quibus sua hauserit, haec affert, quae non dico nova et inaudita sed insulsa et scurrilia quisque agnoscet: *ex fragmentis quibusdam a duce quodam*

tamen dicit de Britanniae expugnatione sub Vespasiano et Domitiano. Neque Jornandem ausim certo affirmare ipsum legisse Agricolam. Quanquam enim, quae in describenda natura terrae Britannicae affert, fere similia sunt iis, quae Tacitus exponit, tamen uterque facile potuerit haec ex eodem fonte, ex Livii historiis, quem uterque auctorem citat, aut ex alio scriptore desumsisse, praesertim quum interposita sint alia, quae ex Pomp. Mela deprompta esse apparet. Accedit, quod ea, quae Tacitum narrare monet, *Tacitum annalium scriptorem narrare* ait. Non igitur nostrum laudat librum, et, si vere illa ipse ex Tacito desumsit, legerit ea forsitan in iis Historiarum libris, in quibus Tacitus *res imperatoris Domitiani exposuit* (Ann. XI, 11). Sed adscribam ipsa Jornandis verba: *Refert autem Strabo, Graecorum nobilis scriptor, tantas illam exhalare nebulas, madefacta humo crebris oceani excursibus, ut subtectus sol per illum paene totum foediorem qui serenus est diem negetur adspectui; noctemque clariorem in extrema eius parte minimamque* (sic corr. Massmann. Codd. habent *memma quam* aut *Miniaque*, *miniamque*. Cf. Juven. 11, 161. *minima contentos nocte Britannos*) *Cornelius etiam annalium scriptor enarrat: metallis plurimis copiosam, herbis frequentem et his feraciorem omnibus, quae pecora magis quam homines alant. Labi vero per eam et multa quam maxima relabique flumina, gemmas margaritasque volventia. Sylorum colorati vultus, tortoque plerique crine et nigro nascuntur. Caledoniam vero incolentibus rutilae comae, corpora magna, sed fluida, Gallis sive Hispanis, ut quibus obtenduntur, adsimiles. Unde coniectavere nonnulli, quod ex his accolis contiguis* (sic cod. Mon.) *vocatos* (? cod. Mon. *vocabulū*) *acceperit.* Similiora etiam habet Eumenius panegyrico Constantino Augusto dicto c. 9, qui cum dicat: *longissimae* [in Britannia] *dies et nullae sine aliqua luce noctes, dum illa litorum extrema planities non attollit umbras, noctisque metam caeli et siderum transit adspectus: ut sol ipse, qui nobis videtur occidere, ibi appareat praeterire*, satis similia ista sunt iis, quae Tacitus c. 13 quosdam *affirmare* dicit. Quae ex Agricolae c. 31 *velut hausta* videtur Lipsio sententia apud Salvianum lib. VI. extremo: *Dicimus donum esse, quod pretium est, et quidem pretium conditionis durissimae ac miserrimae. Omnes quippe captivi cum semel redempti fuerint, libertate potiuntur: nos semper redimimur et nunquam liberi sumus*, ea mihi non similis videtur, quum Taciti sententia aliquantum discrepet. Haec olim a me collecta et exposita complevi nunc ex iis, quae copiosius de his rebus exposuit Massmannus ad Germ. p. 137 sq.

Romano consignatis et posteritati relictis sequens collectum est itinerarium, ex Ptolemaeo et aliunde nonnullis. Atque Stukeleius, credulus homo, lepida simplicitate ad haec verba adnotat, hunc ducem Romanum sine dubio intelligendum esse Agricolam, cuius schedulae in Britannia conservatae aetatem tulerint et in Ricardi manus venerint. Tales ineptias indignum est redarguere, nec operae pretium demonstrare, illa Ricardi itineraria pleraque Hadriani potius et Antonini temporibus convenire quam Agricolae aetati accommodata esse.

Mappa denique geographica, quae addita est libello, itidem proditur petulans machinatio, quo nomine, quod facile accidit mentientibus, simul sibi ipse repugnat Bertramus. Sub finem ipsius libelli Ricardum facit monentem: *Adiuncta est mappa artificialiter descripta, quae omnia loca — evidenter exprimit, ut oculis intuearis, quae hactenus auribus in hoc capite percipiuntur.* Principio igitur fingere voluit, a Ricardo monacho illam mappam additam esse. Deinde autem maiorem antiquitatem vindicat mappae quam Ricardi commentariis, ait enim in praefatione, *semet addidisse mappam vere antiquam, secundum ea quae relata sunt a scriptoribus veteribus artificiose delineatam, quae raritate et antiquitate superet reliquias commentariorum Ricardi.* In ipsa mappa notatur: *Mappa Britanniae faciei Romanae secundum fidem monumentorum perveterum depicta,* infra: *C. Bertram ipse delin. ab orig. et sculpsit* 1755. Mappa illa, quae seculo XIV vel adeo XIII delineata dicitur, eandem fere praebet orae Britannicae faciem et descriptionem, qualis in novitiis nostris mappis hodie apparet. Nempe Ricardus non modo graecos latinosque scriptores manu versat, sed etiam mappas geographicas scilicet seculo XIV oculis usurpat et inter se comparat. Ait enim: *Ptolemaeus Britanniae faciem comparat cum littera Z, nec tamen ex omni parte quadrare hoc simile, sufficienter probat recentiori aevo descriptarum mapparum inspectio.* Ad quae insigni impudentia et levitate adnotat Bertramus: *propriam verosimiliter putat auctor, sed aliter sentiunt nostri aevi eruditi.* Sed satis multa de isto nebulone, qui quamquam Stukeleio et anglicis antiquariis imponere potuit, non tamen puto philologum quemquam eius auctoritate abusurum esse ad Puteolani errores defendendos.

II.

DE EMENDANDA LIBRORUM SCRIPTURA.

Puteolani recensionem si recte affirmavimus futilem esse et contemnendam, nihil iam attinebit posthac, de illius scriptura, in qua pensitanda, refellenda, defendenda Virorum Doctorum adnotatio maximam partem olim versabatur, in singulis locis multa disceptare. Una consideranda et ponderanda erit codicum memoria. Atque horum quidem scriptura permultis in locis ipsa reponenda erit atque pluribus quidem in locis, quam adhuc aut factum est aut fieri potuit a Broterio, Dronkio, Beckero, Walthero. [Nuperrime nonnulla ex hoc genere praeoccuparunt Orellius et Ritterus, quos laetor meam de Puteolano sententiam amplexos codd. auctoritati plurimum tribuisse.] In quo ne in superstitionis crimen incurras, adhibenda scilicet erit interpretandi diligentia. In rebus autem minutis, in quibus ad sententiam perinde erit, utram voculam recipias, utique codicum auctoritas amplectenda erit, eademque constantia postulabit, ut in iis rebus, quae seiunctae sunt a iudicandi subtilitate, unam illorum memoriam sequaris. Exterminandi igitur erunt *Horesti* (c. 38), *mons Grampius*, quantumcunque conclamabunt Anglorum antiquarii, et alii inveterati errores, quos una typographi Mediolanensis incuria invexit. Codicum autem *ΔΓYM* subsidia ubi non satisfaciunt, confugiendum erit ad coniectandi sollertiam, et quam Rhenanus, Lipsius ingressi sunt emendandi viam, quorum nonnullae emendationes nunc codicibus confirmantur, aliae non minus certae existimandae sunt, ea in reliquis erit persequenda. Etenim quum ex uno codice antiquissimo omnes nostros libros manasse manifesto appareat, nulla religio est, quaedam eius vitia corrigere; saepe autem illius scripturam ita poteris divinare, ut quomodo eorum, qui nostros codd. scripserunt, errores enati sint, facile intelligas.

Paucissimi sunt ii loci, in quibus ipsorum codicum *ΔΓ* discrepantia dubitationem afferre possit, utrius lectionem praeferas. Huius alterius codicis *Δ* lectiones ne omnes praeconcepta opinione tanquam scribae menda condemnare videamur, agite, examinemus nunc quos-

dam locos, in quibus huius codicis discrepantia alicuius momenti esse nobis videtur.

Cap. 45 ex cod. Γ vulgo legitur: *Sed mihi filiaeque eius praeter acerbitatem parentis erepti auget moestitiam, quod assidere valetudini, fovere deficientem, satiari vultu complexuque non contigit. Excepissemus certe mandata vocesque, quas penitus animo figeremus. Noster hic dolor, nostrum vulnus, nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus est.*

Ac prima quidem verba *noster hic dolor, nostrum vulnus* manifestum est hanc habere sententiam: praeter communem omnium dolorem is nobis proprius est dolor, quod deficiente ac moriente patre non adfuimus*). Loquitur igitur de novissima Agricolae hora; de eadem in sequentibus agitur: *omnia sine dubio, optime parentum, assidente amantissima uxore superfuere honori tuo — et novissima in luce desideravere aliquid oculi tui.* Interposita autem leguntur *nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus est*, quod vulgo explicatur: nobis, quia per quatuor annos abfuimus, quadriennio iam ante amissus est. At istud quidem quid pertinet ad illam querelam de absentia in novissima hora? Cui querelae quamvis aliquatenus similis sit altera, quod quarto iam anno privati sint Agricolae adspectu, tamen ex alio haec est genere, ut voculam aliquam desideres veluti *ätque adeo* aut *cum praesertim.* Nunc quum tria illa plane ἐκ παραλλήλου posita sint, equidem, ut de eadem re agatur, necesse puto, non igitur ab illa de novissima absentia querela deflecti puto ad querimoniam de jactura iam quarto ante anno facto. Sed ipsa vocabula tu considera; *absentiae conditione* num tandem ullus unquam scriptor dixit pro: *propter absentiam?* Immo illa verba nil significare possunt nisi *quoniam ea erat absentia,* sive: cum ita comparata esset absentia. Deinde *ante quadriennium* volunt esse idem quod *quadriennio ante.* Nempe „Ann. XIV, 9. 12" sic loquitur Tacitus. Eiusmodi loci non singuli, sed catervatim et aptiores quidem excitari possunt. Quaeritur id unum, num hoc potissimum loco illud statui possit. Duo sunt genera locorum, in quibus illae dictiones commutantur. Alterum, ubi **ex praesenti** tempore respicit scriptor antegressum tempus, nam pro *abhinc sunt quatuor* dies, in propatulo est dici posse *ante quatuor dies.* Iam vero quoniam historici saepe res praeteritas amant tanquam praesentes proponere, id quod vel Tempore quod dicunt praesenti historico assequuntur, vel noto usu quarundam particularum *nunc*, *iam* (pro *tunc*,

*) Nihil moramur eos, qui olim locum ita interpunxerunt, ut sententiam elicerent: Noster dolor, nostrum vulnus in eo cernitur, quod nobis ante quadriennium amissus est.

tum) declarant; hinc fit ut temporis spatium, quod antegreditur praeteritum aliquod factum, haud aliter pronuntient, quam si ante tempus vere praesens illud accidisset*). Itaque si apud historicum legeremus: *Agricola decessit anno* 846, *quo tempore aberat eius gener, cui propter longam absentiam ante quadriennium amissus est,* nihil esset offensionis. Nunc non narrat Tacitus, sed queritur. Deinde per quadriennium ante mortem Agricolae abfuisse statuunt Tacitum. Ubinam hoc legitur? atque ubi terrarum per hoc spatium versatus est? Mirum profecto, huius rei neque apud ipsum Tacitum neque apud alium scriptorem, veluti Plinium, amicum suum, ullum indicium apparere. Olim suspicabatur nescio quis in exilio eum abfuisse, at id quidem satis refellitur Taciti testimonio, qui c. 44 Agricolam dicit *salvis affinitatibus et amicitiis futura effugisse.* (Cf. Walther praef. p. X.) Alii coniiciunt eum praetoriae provinciae administratione detentum fuisse. Praetorem eum fuisse hoc tempore, facile credam, at non per quadriennium eum abfuisse, sed anno, aut biennio ante mortem Agricolae una cum eo fuisse, id evincere posse mihi videor testimonio quodam ipsius Taciti. Cap. enim 44 legimus *ac principem Trajanum videre*, *quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur*, quo loco Lipsius „mirum, ait, si tot annos ante praesagiit; nec de Traiano tum ulla spes aut suspicio.“ Atque profecto, si non intra quadriennium ante mortem, sed adeo priori tempore talia ominatum credimus Agricolam, mira erat in eo divinandi ars, qui decimo ante anno Traianum, qui tunc ne ad praeturam quidem escenderat, vaticinaretur aliquando imperatorem futurum. Iam vero omina talia, unde recte illud divinare posset Agricola, commemorat Dio Cassius, ut Walchius p. 420 monet, lib. LXVII, 12, p. 1110 *Τραϊάνῳ δὲ τῷ Οὐλπίῳ καὶ Ἀκιλίῳ Γλαβρίωνι ὑπατεύσασι τότε τὰ αὐτὰ σημεῖα λέγεται γενέσθαι· καὶ ἀπ' αὐτῶν τῷ μὲν Γλαβρίωνι ὄλεθρος, τῷ δὲ Τραϊάνῳ ἡ τῆς αὐτοκρατορίας ἀρχὴ*

*) Liv. XXXI, 24 *idem ibi somnus eademque negligentia erat, quae Chalcidem dies ante paucos prodiderat*. XXIII, 24 *relicto magistro equitum Romae, qui cum post paucos dies magistratum initurus esset, de exercitibus cett.* XXXVII, 13 *eodem et Rhodia classis post dies paucos venit.* Cic. de orat. II, 67, 273 *cum aliquot post annos Maximus id oppidum recepisset.* (Cf. Kühner et Orelli ad Tusc. 1, 2, 4.) Corn. Nep. Dat. XI. *Huc Mithridates aliquot ante dies venit,* ubi cf. Bremi. T. ann. I, 8 *rumor incesserat, paucos ante menses Augustum — Planasiam vectum.* Vellei. II 31, 3 *sed tamen idem hoc ante septennium in M. Antonio praetore decretum erat.* II. 112, 7. *et iam ante biennium, qualis esset, apparere coeperat.* Quos Walchius affert locos: Tac. Ann. XIV, 9 *hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina contemseratque.* Ann. XIV, 12 *quae adeo sine cura deum eveniebant, ut multos post annos Nero imperium et scelera continuaverit*, in iis accusativus plane suo loco positus est, quia de re agitur per annos complures continuata. Ex alio genere itidem sunt ii loci, ubi universe loquimur, veluti *agricolae est ante annum sulcos facere.*

προεῤῥέθη. Alia Plinius paneg. c. 5: *An fas erat, nihil differre inter imperatorem, quem homines et quem Dii fecissent? quorum quidem in te, Caesar Auguste, iudicium et favor tunc statim, quum ad exercitum proficiscereris, et quidem inusitato indicio enituit. Nam ceteros principes aut largus cruor hostiarum, aut sinister volatus avium consulentibus nuntiavit: tibi ascendenti de more capitolium quamquam non id agentium civium clamor, ut iam principi, occurrit. Siquidem omnis turba, quae limen insederat, ad ingressum tuum foribus reclusis, illa quidem, ut tunc arbitrabatur, deum* [Jovem imperatorem], *ceterum, ut docuit eventus, te consalutavit imperatorem. Nec aliter a cunctis omen acceptum est. Nam ipse intelligere nolebas, recusabas enim imperare.* c. 94 *Tu* [Capitoline Jupiter] *clara iudicii tui signa misisti, quum proficiscenti ad exercitum tuo nomine* [Imperatoris], *tuo honore cessisti. Tu voce Imperatoris quid sentires, locutus, filium illi, nobis parentem, tibi pontificem maximum elegisti.* Cap. 23 *ubi vero coepisti Capitolium adscendere, quam laeta omnibus adoptionis tuae recordatio! quam peculiare gaudium eorum, qui te primi eodem loco salutaverant Imperatorem.* Quo tempore illud factum sit, non indicat Plinius, videtur autem significare eum annum, quo proconsul in Hispaniam profectus et deinde a Domitiano *inter illa Germaniae bella ab Hispania ut validissimum praesidium excitus* (paneg. c. 14) ad exercitum in Germaniam inferiorem proficisceretur. Itaque si Dionem sequeris, anno 844, quo consul fuit Traianus, si Plinium, proconsulatus anno 845 illa omina, unde auguria hauserit Agricola, accidisse existimanda sunt. Quae si ominatus est *apud aures* Taciti, non hic per quadriennium ante mortem abfuit.

Itaque cum Lipsio quadriennium hoc loco intelligendum potius erit illud, quod intercessit inter mortem Agricolae et annum, quo hic liber scriptus est. Cf. infra.

Non dubitabis igitur, spreta codicis *Γ* scriptura amplexari potius codicis *Δ* lectionem *nostrae*, adsumta tamen particula *tum* ex margine cod. *Γ*, ut verba sic se habeant *nobis tum nostrae absentiae conditione ante quadriennium amissus est.* Quod si *nobis-amissus est* ad sententiam idem esse memineris, quod nostra *iactura est*, iam continuatam habebis et absolutam anaphoram: *das ist unser besonderer schmerz, unsere wunde, unser verlust.* Itidem iam suo loco positum est *absentiae conditione* i. e. *quoniam ea erat absentia nostra,* ut statim accelerare non possemus.

Cap. 12 quod habet cod. *Δ rarus duabus tribusve civitatibus — conventus*, id multi cupide arripient, quippe quod iam dudum vel sine codicis auctoritate ex Pichenae coniectura recipiendum putarint pro vulgata scriptura codicis *Γ tribusque*, in quo adsentientem

habebunt summum *BENTLEIUM*, qui eodem modo Hor. Art. poet. v. 358 *quem bis terve bonum cum risu miror*, non *terque*, quod tantum non omnes codd. habent, scribi voluit. Iam codicis *Δ* auctoritatem in tali maxime re admodum tenuem dixerim, qui, ut alia mittam eius vitia, etiam cap. 39 *quodve saevae cogitationis indicium erat*, praebeat, ubi *ve* plane ineptum est. Ratione autem si volueris hac de re disceptare, nihil attinet cum Walchio universe exempla afferre, in quibus *que* videatur pro *ve* positum. Nam bene adnotavit Jahnius ad Hor. Sat. II, 3, 157, ubi plurimos eiusmodi locos collegit (cf. etiam Hand ad Stat. Theb. I, p. 281. Kritz ad Sall. Cat. 8, 1. 14, 4. Wagner ad Virg. Georg. 1, 419): „multorum locorum ea ratio est, ut utraque particula adhiberi possit nihilque referat, utrum vocula *que* sententias coniunxeris, an voce *ve* disiunxeris.“ Quaerendum potius in hac nostra re id unum erit, utrum Latini, quum infinite aliquid a paucissimis vel rarissime fieri significare volunt, *duo tresque*, *bis terque*, an constanter *duo tresve*, *bis terve* dicere soleant. Id quidem unusquisque Bentleio (ad Hor. Epod. V, 33) largietur, ubi repetito ac saepe aliquid factum esse, aut aliquis in aliqua re multus esse dicatur, particulam *que* suum locum habere, at non inde protinus consequitur, ubi *pauci* vel *nonnunquam* dicere scriptor velit, utique *ve* particulam necessariam esse, neque unquam *que* admitti posse. Iam ne quis hanc opinionem amplexus exempla, quae contraria sint, corrupta dicat, et sexcenties in codd. *que* et *ve* a librariis confundi jactet, equidem interclusurus hoc refugium, priusquam ad exempla veniam, unum argumentum adferam, quod remotum a codicum incerta auctoritate vagaque librariorum lubidine, aliis novum et longe petitum videbitur, mihi solidum et non contemnundum videtur. Paulus enim apostolus epistola altera ad Corinthios c. 13, 1 cum dicit *ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων καὶ τριῶν σταθήσεται πᾶν ῥῆμα*, iure quaeris, cur ille dicat *δύο καὶ τριῶν*, praesertim quum eadem illa lex apud Matthaeum c. 18, 16 sic pronuntietur: *ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων ἢ τριῶν* itemque in primo fonte legis Deuteronom. 19, 15 *aut* (אוֹ) scriptum legatur. Quid igitur est, cur Paulus dicat *καὶ τριῶν?* Paulus quia in imperii Romani finibus linguam graecam didicit, inde factum est, ut graeca eius dictio latino colore tincta sit *). Ille igitur quoniam dicit *δύο καὶ τρεῖς*, inde coniicio eum ex Romanorum ore saepe audivisse *duo tresque*. Concla-

*) Satis habeo ad unum particulae *ἵνα* usum animos advertisse; ad Cor. I, 14, 14 *διόπερ ὁ λαλῶν γλώσσῃ προσευχέσθω, ἵνα διερμηνεύῃ* i. e. *precetur ita, ut interpretetur* (unter der bedingung, dass cett. cf. v. 5 *ἐκτὸς εἰ μὴ διερμηνεύῃ*). c. 9, 16 *καλὸν γάρ μοι μᾶλλον ἀποθανεῖν, ἢ τὸ καύχημά μου ἵνα τὶς κενώσῃ* *mihi moriendum potius videtur, quam ut* cett. c. 4, 3 *ἐμοὶ δ' εἰς ἐλάχιστόν ἐστιν, ἵνα ὑφ' ὑμῶν ἀνακριθῶ, parvi illud facio, ut* cett.

mabunt multi, non latinizat hoc loco Paulus, sed vere ex Graecorum consuetudine ita loquitur, nam Graecos notum est *δύο καὶ τρεῖς* dicere pro *δύο ἢ τρεῖς*. Hunc igitur inveteratum errorem (non licuit legere, quae de hac re scripsit Schoemannus ad Isaeum p. 307) refutare studebo. Plane segreganda esse exempla ea, in quibus *repetito* aliquid fieri significetur, cuivis apparet. In iis enim Graecos constat *δὶς καὶ τρίς* dicere pariter atque Latinos *bis terque* *). In reliquis autem Graeci et Latini, ut mihi quidem videtur, constanter hanc sequuntur normam: Scriptores, si numerum aut non possunt accurate indicare, quia nesciunt, aut non volunt definire, quia perinde est, quot fuerint, tum dicunt *δύο ἢ τρεῖς*, *duo tresve* **); at ubi illi dicunt *δύο καὶ τρεῖς*, *duo tresque*, tum *duae* obversantur *eiusdem rei species*, quarum ad alteram prior, ad alteram alter numerus referendus est. Veluti quum Thucydides dicit II, 49 *διεφθείροντο οἱ πλεῖστοι ἐναταῖοι καὶ ἑβδομαῖοι*, duae significantur aegrorum species, quorum alteri septimo die, alteri nono mortui sunt. Qui quia omnes in unum quasi gregem confunduntur, propterea dicuntur *ἐναταῖοι καὶ ἑβδομαῖοι διαφθαρέντες*. Xenoph. Anab. IV, 8, 21 *τῇ δ' ὑστεραίᾳ ἀπέθανε μὲν οὐδεὶς, — τρίτῃ δὲ καὶ τετάρτῃ ἀνίσταντο ὥςπερ ἐκ φαρμακοποσίας* i. e. *οἱ μὲν τρίτῃ, οἱ δὲ τετάρτῃ*. Maxime insignis in hoc genere et luculentus est locus quidam Demosthenis, in quo utraque dictio coniunctae leguntur or. XXVII adversus Aphob. A. 9 *ὁ γὰρ πατὴρ κατέλιπε δύο ἐργαστήρια, μαχαιροποιοὺς μὲν τριάκοντα καὶ δύο ἢ τρεῖς, ἀνὰ πέντε μνᾶς καὶ ἕξ, τοὺς δὲ οὐκ ἐλάττονας ἢ τριῶν μνῶν ἀξίους*. Quia nescit, quot potissimum fuerint in fabricis servi, propterea dicit *τριάκοντα δύο ἢ τρεῖς*, *triginta duo tresve*, deinde autem, ubi pretia eorum statuit, duo genera affert, quorum alteri quinque, alteri sex minis constiterint, addit etiam tertium genus, qui non minus tribus minis constiterint. Lysias XVII (*περὶ δημοσ. χρημάτων*) 4 *τρεῖς γὰρ καὶ τέσσαρες ἕκαστα*

*) Demosth. Phil. I §. 47 *τῶν στρατηγῶν ἕκαστος δὶς καὶ τρὶς κρίνεται* cett. Plat. Phaedr. c. 10 p. 235 A *δὶς καὶ τρὶς τὰ αὐτὰ εἰρηκέναι.* idem *δὶς καὶ τρίς φασι καλὸν εἶναι τὰ καλὰ λέγειν τε καὶ ἐπισκοπεῖσθαι.* Soph. Ai. 433 *καὶ δὶς αἰάζειν καὶ τρίς.* Philoct. 1238 *δὶς ταὐτὰ βούλει καὶ τρὶς ἀναπολεῖν μ' ἔπη;* Hor. Epod. V, 33 *bis terque mutatae dapis.* Art. poet. 440 *bis terque expertum.* Od. I, 31, 13 *ter et quater.* Sat. II, 7, 76 *ter vindicta quaterque imposita.* Cic. ad Q frat. III. 8 *stulte bis terque.* Seneca ep. 86 *bis die terque.* Satis notum tritum illud *terque quaterque.*

**) Thucyd. II, 4 *δὶς μὲν ἢ τρὶς ἀπεκρούσαντο.* IV, 38 *καὶ γενομένων ἐρωτήσεων δὶς ἢ τρίς.* V, 10 *δὶς ἢ τρὶς προςβαλόντα.* Xenoph. Hellen. IV, 1, 20 *τρίτῃ ἢ τετάρτῃ ἡμέρᾳ.* 6, 6 *ἡμέρᾳ πέμπτῃ ἢ ἕκτῃ.* Anab. IV, 7, 5 *δύο ἢ τρεῖς.* Plato Menex. p. 235 C *μόγις τετάρτῃ ἢ πέμπτῃ ἡμέρᾳ ἀναμιμνήσκομαι ἐμαυτοῦ.* Lucian. Nigrin. 6 *δὶς ἢ τρὶς τῆς ἡμέρας ἀνακυκλῶ πρὸς ἐμαυτὸν· τὰ εἰρημένα.* Cic. ad fam. II, 1 *a te vero bis terve summum et eas perbreves litteras accepi.* de orat. I, 7, 28 *tum Scaevolam duobus spatiis tribusve factis dixisse.* Liv. XXXIV, 32 *satis compertum habemus, duorum aut summum trium in ea re culpam esse.* Cic. pro Mil. c. 5 *quatuor aut summum quinque*, ubi cf. Garatonium.

ἀπογεγράφασι i. e. τὰ μὲν τρεῖς, τὰ δὲ τέσσαρας. Isocrates XV (περὶ ἀντιδόσεως) 288 τοῖς μὲν λυομένοις εἴκοσι καὶ τριάκοντα μνῶν. Xenophon Anab. IV, 7, 10 προέτρεχεν δύο καὶ τρία βήματα primo adspectu facile putes recte scripsisse Schneiderum δύο ἢ τρία βήματα, at ubi diligentius consideraveris verborum contextum, et quantum fuerit discrimen ac periculum, sive duos sive tres passus ille procurreret, utique ex optimis libris restitues δύο καὶ τρία βήματα i. e. duos passus progrediebatur, subinde etiam audacius tres *). Atque eodem modo Latini loqui solent. Liv. IX, 18 *denos vicenosque dies quidam dictaturam, nemo plus quam annum consulatum gessit* i. e. alii denos, alii vicenos dies cett. Corn. Nep. Attic. 18 *ita ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisque versibus descripserit* i. e. aliorum quaternis aliorum quinis cett. **). Horat art. poet. 358 *quem bis terque bonum cum risu miror*, quo loco si Horatius dicere voluisset, quod Bentleius ait: „raro Choerilum, bis fortasse vel ter, bonum fuisse“ tum sane scribendum foret *terve*, at non dicit Horatius Choerilum in carminibus suis bis aut summum ter bonum fuisse, sed potius: si legenti mihi Choerilum ille bis, si alio tempore aliquod eius carmen legenti ter bonus esse videtur, miror. Significantur igitur variae (variorum) carminum Choerili lectiones, in quibus tum bis tum ter bonus visus sit. Iam illo Agricolae loco si *tribusve* legis, erit: raro duae tresve (i. e. paucae aliquot) civitates conveniunt, sin *tribusque*, tum dicit Tacitus, rarus est duarum, rarus trium civitatum conventus. Hoc ut in hac quidem re parum differt, ita discriminandum est grammatico. Superest locus quidam apud Sophoclem Electr. 726 τελοῦντες ἕκτον ἕβδομόν τ' ἤδη δρόμον, quod Musgravius explicat *sextum septimumve* et eadem de caussa Fridericus Nevius meus adeo contendit cum nostro Agricolae loco. Fallitur uterque. Non enim nuntius ille cogitandus est incertus haesisse, utrum sextus ille cursus fuerit an septimus, sed explicanda est graeca illa dictio ex rei natura. Etenim si cursores confecto cursu sexto prope metam currum inflectunt, ut septimum ineant, nemo dicere potest, quo vestigio sextus cursus conficiatur, septimus inchoetur. Propterea Graeci eum flexum, quo ex tertio in quartum, ex sexto in septimum cursum transitur, τρίτον

*) Argumento sunt etiam ea exempla, ubi pro simplici καὶ dicitur καὶ - καί. Plato Phaedon. c. 8 ἐνίοτε ἀναγκάζεσθαι καὶ δὶς καὶ τρὶς πίνειν, *alii* necesse est ut bis hauriant, sunt etiam qui ter bibere debeant. Thucyd. I, 82 διελθόντων ἐτῶν καὶ δύο καὶ τριῶν ἄμεινον ἤδη, ἢν δοκῇ, πεφραγμένοι ἴμεν ἐπ' αὐτούς, duplex inest propositio, optionem enim dat orator, sive duos sive tres annos exspectare velint. Utrumque sibi probari.

**) Sunt qui adeo Caes. b. g. III, 15 *quum singulas binae ac ternae naves circumsteterant* huic generi admisceant; at in his verbis manifesta inest gradatio: *zwei, ja sogar drei.*

τέταρτόν τε, ἕκτον ἕβδομόν τε dicunt. Afferam exemplum huic plane simile. Quia menses, si lunae cursu metiris, undetriginta dies et dimidium continent, propterea Graeci tricesimum diem, quum pars praeteriti mensis pars sequentis sit, inde a Solone nominarunt *ἕνην καὶ νέαν* sive *ἕνην τε καὶ νέαν* *), qua dictione ad iocos lususque lepide abutitur Aristophanes Nub. V. 1180 sq.

C. 4. proprium est codicis *Δ utrumque avum procuratorem Caesaris* habuit (*Caesarum Γ*). Facile cuipiam praeferenda videatur haec scriptura, qui in animum induxerit, *procuratorem Caesaris* constantem fuisse titulum, quasi *Caesareum*, qui retinendus fuerit, etiamsi diversi fuerint Caesares, quibus illi avi operam navarint. Sed de hac re si decernere velles, descendendum foret ad disputationem de procuratorum, ut mihi videtur, *duplici* genere. Quam rem intricatam non ego is sum qui ad liquidum perducere possim, neque cod. *Δ*. tanti est momenti, ut in eo immoremur. C. 29. non dubitabis in hoc cod. recte scriptum esse *commune periculum* (*periculum commune Γ*), nam constanter sic videntur Latini dixisse, et c. 12 in utroque codice hic invenitur verborum ordo.

Iam in *emendanda librorum scriptura* lenissima medela quibusdam locis adhiberi poterit **emendanda interpungendi ratione,** quae quum in codd. pessima esse soleat ac plane perversa, hic illic emendata a Puteolano, saepius a nostris demum editoribus refícta, aliquot in locis etiamnunc corrupta in melius erit mutanda. Luculentum exemplum infra proponetur, ubi docebimus cap. 1 scribendum esse *quam non petissem, incusaturus. Tam saeva et infesta virtutibus tempora.* C. 18 quam proba sit librorum scriptura, non coniecturis tentanda, satis intelliges verbis melius distinctis. C. 25 librorum scripturam *impellitur* unam veram comprobabis, si melius adornaveris sententiarum continuationem. Vulgo enim verba *quum simul terra simul mari bellum impellitur* cum antecedentibus coniungebantur, quae eadem caussa maxime effecit, ut quod Rhenanus coniectura scripserat, *impelleretur* omnes amplexarentur. Unus Waltherus *impellitur* defendere coepit, at male ei res cessit. Tu igitur mecum a verbis *Cum simul terra simul mari bellum impellitur*, novam inchoari puta enuntiationem, cuius apodosis est *ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi — metum addiderant.* Iam *cum bellum impellitur* est i. q. *dum bellum* (in illa regione) *impellitur.* Cf. Cic. ad Att. X, 16 *quum redeo, Hortensius venerat.* Ann. XVI, 21 *quum deum*

*) Plutarch. Solon. c. 25. Aristoph. Nub. 1137. 1179. 1180 sq. schol. ad Nub. 1134 *ἔνη καὶ νέα: νουμηνία, διὰ τὸ τοῦ μὲν παρελθόντος μηνὸς εἶναι τέλος, ἀρχὴν δὲ τοῦ ἐνισταμένου.* Varro de ling. lat. p. 54. Bip. *quod ea die potest videri extrema et prima luna.*

honores Poppaeae decernuntur, sponte absens funeri non interfuerat. Quod autem deinceps additur *ac saepe miles — attollerent,* haec modorum variatio*) nihil habet miri. Est enim dictum pro: *dum bellum impellitur, per quod tempus saepe milites — attollerent*, sive *cum milites, dum bellum impellitur, attollerent.* Cf. locum plane similem Liv. IV, 13 *quae postquam sunt audita et undique primores patrum priores anni consules increparent, — — tum T. Quintius consules immerito increpari ait* Est enim illud: *his auditis quum increparent primores* cett. Iam illam protasin excipit apodosis: *ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi* cett., in qua cur plusquamperfecto scriptor usus sit, *metum addiderant*, iam facile intelliges. Est enim: in illa regione dum bellum impellitur, interea Caledones metum addiderant. Sed interposita praeterea sunt verba *Britannos quoque visa classis obstupefaciebat, tanquam — clauderentur.* Haec per parenthesin addita existimato. Nam quia antea exposuerat, quomodo assumpta classis *militibus* alacritatem iniecerit, additur iam, *Britannos* similiter visa classe commotos et obstupefactos esse. Ceterum longiores verborum comprehensiones non alienae sunt a Taciti dicendi genere. Cf. c. 16. 18. Ann. I, 2. XIV, 39. XII, 31. Hist. III, 72. Iam vero si quaeris, quid sit *bellum simul terra simul mari impellitur*, eodem fere modo hoc explicandum erit uti *navis impellitur*

*) De tali modorum variatione qui disputarunt, veluti Drakenb. ad Liv. XLI, 24, 5. XXX, 44, 10 diversissima commiscuerunt. Quos locos Heusinger ad Off. I, 8 et Buchnerus ad Cic. pro Rosc. Am. §. 64 attulerunt, ab aliis iam sunt emendati. Neque offensionis quidquam habent Liv. XXVIII, 33 *Scipio pro se esse loci angustias ratus, et quod in arto pugna Romano aptior quam Hispano militi futura videbatur et quod in eum locum detracta hostium acies esset*, ubi per Coniunctivum *esset* idem significatur, ac si scriptum esset: *reputabat esse*, uti Tac. Hist. III, 78 *quando fidelissimae cohortes a Vitellio descivissent et abscisis omnibus praesidiis cessurus imperio videbatur* dictum est pro: *cessurus esset, ut illis videbatur.* Ann. VI, 8 *datum erat crimini, quod Theophanem Mitylenaeum proavum eorum Cn. Magnus inter intimos habuisset, quodque defuncto Theophani coelestes honores graeca adulatio tribuerat*, alterum ab accusatoribus insimulatur, alterum a scriptore factum dicitur. Cic. ad fam. VI, 1 *etsi ea perturbatio est omnium rerum, ut suae quemque fortunae maxime poeniteat, nemoque sit, quin ubivis, quam ibi, ubi est, esse malit*, illud *sit* est i. q. *neminem esse suspicor*, sive *nemo facile sit.* Nec Cic. de fin. II, 19, 61 debebat Madvigius coniectura tentare. Recte ille quidem aliorum conatus damnavit, sed una ratio superest, ut eius coniectura vix probanda supersedere possimus. Tu mecum sic scribe: *num etiam P. Decius, quum se devoveret (et equo admisso in mediam aciem Latinorum irruebat) aliquid de voluptatibus suis cogitabat?* Parenthesis hanc adiicit sententiam: *et in certam* ille *ruebat mortem*, quam paullo post repetitam legimus: *nam ubi eam caperet aut quando, quum sciret confestim esse moriendum?* Cf. Cic. Tusc. I, 37, 89 *quoties non modo ductores nostri sed universi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt?* Amant autem Latini particulam *et* in interposita sententia; Liv. XXIV, 7. *liberas aedes coniurati (et omnes forte militabant), imminentes viae angustae sumpserunt.* XXIII, 44 *eo spatio (et sunt omnia campi circum Nolam) concurrerunt.* XXIX, 23 *profectus Hannibal ut accensum cupiditate (et sunt ante omnes Numidae barbaros effusi in Venerem) sensit* cett. XXV, 17 alii ab Hannibale (et ea vulgatior fama est) tradunt rogum exstructum esse.

velis remisque. Navis enim plerumque aut remis aut ventis *agi* dicitur *); at si cursus accelerandus est et omni ope intendendus, tum remis velisque *impellitur*. Sil. Ital. I, 568 *remis velisque impellite puppim*, quod Florus II, 2, 18 dicit *mox ventis remisque properatum est* **). Haec a navium cursu ad quemvis alium cursum transferuntur (Lucan. Phars. V, 41 *fatorum impellite cursum*) itemque in belli cursum et impetum (Cic. pro lege Manil. 12, 34 *quam celeriter Cn. Pompeio duce belli impetus navigavit*). Etenim bellum, si *qua ratione* geratur, indicandum est, hoc vel illo modo *agi* dicitur ***), idemque, si omni ope omnibusque viribus intenditur, dicitur *impelli. Properandi* enim verba apud Latinos et Graecos simul ardoris intentique fervoris notionem adferunt †). *Bellum impellitur* igitur est: der krieg wird mit energie, schwunghaft betrieben, quod quomodo factum sit, explicatur additis verbis *simul terra simul mari*, i. e. simul terra simul mari tractatum. Apud Lucanum igitur Pharsal. V, 330 *impulsi tantum praemia belli* est bellum summa contentione et ardore tractatum, ita ut paene profligatum sit. Similis illi dictio, quae in proverbium abiit, est *equis virisque decertare* Cic. ad Q. fratr. II, 15. de off. III, 33, 116 ibique Beier. Garat. ad Cic. Phil. VIII, 7.

Propter corruptam interpunctionem simul aliae corruptelae multi-

*) Hist. V, 23. IV, 22. Ann. XIV, 6. Liv. IX, 38. XXII, 19. XXXIV, 35 cett.

**) Virg. Aen. IV, 594. *date vela, impellite remos*. III, 563 *Laevam cuncta cohors remis ventisque petivit*. Cic. Phil. I, 4 *tum vero tanta sum cupiditate incensus ad reditum, ut mihi nulli neque remi neque venti satisfacerent*. Caes. b. g. IV, 25 *remis incitare naves*.

***) Caes. b. g. III, 28 *qui longe alia ratione ac reliqui Galli bellum agere instituerunt*. Cornel. Hann. 8 *Antiochus autem si tam in agendo bello parere voluisset consiliis eius, quam in suscipiendo constituerat*. Iniuria haec exempla emendanda putarunt Lambinus et nuper Nipperdeius meus spicileg. crit. in Cornelio Nep. p. 69. qui, quid sit *agere bellum*, non recte explicavisse mihi videtur. Sallust. orat. Cottae §. 11 (p. 1002 c.) *talem honorem bonus nemo volet, cum fortunae et maris et belli ab aliis acti* (i. e. in quo non sua sed aliorum fuerit belli ratio) *ratio reddenda aut turpiter moriendum sit*. Pomp. Mel. I, 16, 1 *genus usque eo quondam armorum pugnaeque amans, ut aliena etiam bella mercedibus agerent* (belli alieni munera obirent). Curt. IV, 42, 29 *finge iustum intulisse te bellum, cum feminis ergo agere debueras* i. e. bellum ita *tractare*. ut cum feminis gereres? Nam *bellum agere* est plane idem, quod alibi dicitur *tractare bellum*. Ann. I, 39 *non enim se proditione neque adversus feminas gravidas, sed palam adversus armatos bellum tractare* VI, 44 *distrahi consiliis, contra iret, an bellum cunctatione tractaret*. (*sedendo et cunctando bellum gereret* Liv. XXII, 24.) Hist. IV, 73 *quot proeliis, quantis exercituum nostrorum laboribus, quove eventu bellum tractaverimus, satis clarum*. Liv. XXIII, 28 *cum edidicisset, quemadmodum tractandum bellum in Hispania esset*. V, 12 *seditio intestina maiore mole, coorta quam bella tractabantur*. Omitto poetas (Heins. ad Ovid. Trist. II, 230), qui simpliciter *agere* bellum pro *gerere* dicunt et locos corruptos (Spald. ad Quint. X, 1, 91. Cic. pro Balb. 20, 47. Drakenb. ad Liv. ep. 49. Gronov. Observ. II, 3.) Nec huc referre debebis Sall. Iug. 109, 2 *se missum a consule venisse quaesitum ab eo, pacem an bellum agitaturus foret*. Hoc enim est *animo agitare* (Livius XXI, 1 *maius enim quam quod gereret agitare in animo bellum*.)

†) Cf. ἐπείγεσθαι, ταχύνειν Soph. Ai. 1404. *properare* Sall. Cat. 13. Horat. Od. 1, 8. *festinare* Sall. Cat. 27.

fariam invaserunt tum codices tum editiones. Cap. 16 vulgo legebatur: *Quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et propius ex legato timor agitabat. Hic quum* cett. Ac primum quidem in verbis *tenentibus arma plerisque* iure offensus Buchnerus haec monet: „si veteri patientiae restituit, id est pati imperium, ut ante, coegit: quomodo retinuerunt arma? an significat quievisse Britannos quidem, nec quidquam ausos contra Romanos; plerosque tamen non posuisse arma, pugnaturos denuo et defensuros se, si lacesserentur?" Difficultatem igitur hancce ita ille expediri posse suspicabatur, si illa verba ad restringenda priora addita putarentur, quasi dictum esset: *ita tamen, ut plerique arma retinerent*, sive: *quamquam plerique arma retinebant.* At in restringenda sententia non utuntur Latini unquam ablativis absolutis, quibus licet apud Tacitum et Livium contra morem veterum saepe alia, quae eodem tempore facta referuntur, (cf. infra proll. c. III. fin.) adnectantur, nunquam tamen talia, quae faciant ad sententiam antecedentem limitibus quibusdam circumscribendam *), hoc modo adiiciuntur. Accedit, quod Paullinus, id quod ex Annal. XIV, 38. 39 et Dione Cass. LXII, 19 abunde elucet, *gentes* illas *praeferoces* et *rebelles animos* neutiquam veteri patientiae ullo modo restituit.

Quod paullo post legitur *propius ex legato timor*, vidit iam olim Rhenanus scribendum esse *proprius ex legato timor* **), ut satis mirer hodie quoque illud a multis probari. Aug. Ernesti ait: „*propius* h. e. „magis, maiori sollicitudine. Plus timebant legatum ipsum, cuius „arrogantiam et acerbitatem sciebant. *Propiora* exquisite dicuntur, „quae magis ad nos pertinent adeoque magis nos sollicitant, ut *pro-„pior cura* apud Ovid. Metam. XIII, 578." Haec quidem (cf. etiam *propior dolor* Liv. VII, 21 *propiora pericula* Cic. pro Sext. 18) tum demum recte conferrentur, si *propior metus* defendendus esset, non *propius — agitabat.* Nec video, quid in re nostra proficiatur, si cum Walchio et Walthero contendamus *propius auditur*, *propius regreditur*. *Proprius* autem *timor* qui sit, satis apparet, et cum maxime loco nostro conveniens est. Nam populi illi, cum *universi bellum sumpsissent*, universos poena manebat, verum alia eos, qui *in formam*

*) Waltherus conferri posse putat Hist. II, 51. *earum, quae Brixelli egerant, cohortium preces Rubrius Gallus tulit, et venia statim impetrata, concedentibus ad victorem per Flavium Sabinum iis copiis, quibus praefuerat.* At num hoc est: *licet concederent aliae copiae ad victorem?* Immo est: quae Brixelli egerant copiae veniam petiverunt et impetrarunt, dum aliae ad victorem concedunt. Mirifice autem grassatur Walchius, qui inversis et distortis sententiis haec elicit: quamquam perdomita erat Britannia, tamen nonnulli arma retinuerunt, quod subito suggerit pro eo, quod exspectares: quanquam plerique arma retinebant, tamen eos perdomuit Paullinus. At ne hoc quidem verum est.

**) Saepissime commutantur *proprius* et *propius* et alibi et in nostro libro. Hist. III. 65. Liv. IV, 17, 5 Agric. c. 6. 23.

provinciae cesserant (Ann. XIV, 31), alia eos, qui nondum paruerant Romanis. In primis autem ii, qui alios ad rebellandum incitarant, quum propriam culpam sustinerent, praecipuam poenam exspectabant. Hic igitur est ille *proprius timor* *), qui eos agitabat et, ne arma deponerent, stimulabat **).

Iam vero sequentia sic vulgo scribuntur: *Hic quum egregius cetera arroganter in deditos et ut suae quoque iniuriae ultor, durius consuleret; missus Petronius* cett. In his illae, quibus nova enuntiatio incipit, voculae *Hic quum* invectae sunt misero aliquo commento Puteolani, quo deinceps Beroaldus ad aliam corruptelam inductus est, ut deinde in verbis, quae codd. praebent, *missus igitur* cett. alteram vocem deleret. Illud Puteolani commentum bene damnarunt Walchius et Waltherus, at quod ipsi ex librorum scriptura, qui *nequaquam* habent, elicuerunt: *ne*, *quamquam* cett., id ferri non potest. Nam cum illud *ne* suspensum faciant a voce *timor*, simul ea, quae interposita sunt *quamquam egregius cetera* a Britannis cogitata et considerata ponuntur. Quid autem ad Britannos pertinebat, Paullini, hostis sui, virtutem et laudes ponderare? (Cf. Kaemmerer p. 7.) Sed antequam de toto loco sententiam meam aperiam, alias in iisdem verbis difficultates expediam. Scribebatur vulgo *ut suae quoque iniuriae ultor*. In his vocula *quoque*, quae Puteolani libidini debetur, minime apta est. Nam quae per rebellionis illius tempora evenerunt, ea nobis omnia satis nota sunt ex Ann. XIV, 29—39, neque vero quicquam legimus de iniuria, quae praeter ceteros Paullino inusta sit. Iam in codd. legitur *ut suae eiusque iniuriae ultor*, quod ut sensu cassum, ita facile est ad emendandum. Si quid video, antiquitus scriptum fuit *ut suae cuiusque iniuriae ultor*, i. e. *ut ultor propriae cuiusque iniuriae*. Paullinus igitur non satis habebat universos punire, sed habita quaestione singulos exquirebat, ut qui prae ceteris in culpa essent, maiori quam reliqui poena afficerentur. Ita et maior enascitur severitas et in dies augetur diutinae quaestionis invidia. Universis enim si una eademque

*) Cf. Ann. III, 67 *orandi nescius proprio in metu*. II, 55 *offensus urbi propria quoque ira*. III, 69 *ille prudens moderandi, si propria ira non impelleretur*. XV, 64 Nero nullo in Paullinum *proprio metu*. XIII, 28 *contentiones proprias exercuit*. Hist. III, 38 *non se proprio metu nec sui anxium, sed pro fratre, pro liberis fratris preces lacrymasque attulisse*. III, 45 *qui super insitam ferociam et Romani nominis odium propriis in reginam stimulis accendebatur*. IV, 50 *Cetronium vinciri iussit proprias ob simultates*. Liv. XXXIII, 46 *quo, bono publico, sibi proprias simultates irritavit*. Plin. paneg. 90 *malos principes pulchrius est ex communibus iniuriis odisse quam propriis*. Cic. pro Mil. 29, 79 *ita communis erat omnium ille hostis, ut in communi odio paene aequaliter versaretur odium meum*.

**) Liv. XXIII, 15 *Nolam Marcellus voluntate principum habebat; plebes timebatur et ante omnes L. Bantius, quem conscientia tentatae defectionis ac metus a praetore Romano — stimulabat*.

poena imponitur, celeriter res transigitur neque duriora singuli patiuntur. Ad hanc igitur maiorem singulorum culpam referendus est *proprius* ille quorundam *timor*; facilius iam illud quoque intelliges, cur successor missus sit *exorabilior* et *delictis hostium novus*. Saepe *suus cuiusque* est *proprius singulis*. Cic. de off. 1, 7, 21 *ex quo, quia suum cuiusque fit, eorum, quae natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quisque teneat; eo si qui sibi plus appetet, violabit ius humanae societatis*. III, 12, 53 *sed num ista societas talis est, ut nihil suum cuiusquam sit?* 33, 119 *ad suam cuiusque naturam consilium est omne revocandum*. *de fin*. III, 20, 67 *sic in urbe mundove communi non adversatur ius, quo minus suum quodque cuiusque sit*. Sic apud Livium XXV, 17 utique scribendum esse censeo *armatum exercitum decurrisse cum tripudiis Hispanorum motibusque armorum et corporum suae cuiusque genti adsuetis**).

Totum igitur locum sic scribe: *Quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et proprius ex legato timor agitabat, ni, quamquam egregius cetera, arroganter in deditos et, ut suae cuiusque iniuriae ultor, durius consuleret*. Iam *restituit — ni consuleret* est conditionalis enuntiatio, quod latinitate novitia sic pronuntiaveris: *quam restituisset veteri patientiae, ni durius consuluisset*. Nihil iam offensionis habent interposita verba *tenentibus arma plerisque*. Est enim: Britanniam ille uno prospero proelio victam plane perdomuisset, et quamquam etiamtum plerique arma tenebant, quos conscientia defectionis et proprius timor stimulabat, tamen omnino pacatam veteri patientiae restituisset, ni durius in deditos consuluisset.

Erunt, qui contra moneant, particulam *ni* ab illo *restituit* pluribus verbis disiunctam esse, quam ut legentes illius indicativi vim hypotheticam suspicentur. His adferam similem Livii locum XXXVII, 53 *rex Asiae Antiochus filiam suam in matrimonium mihi dabat, restituebat extemplo civitates, quae defecerant a nobis, spem magnam in posterum amplificandi regni faciebat, si secum bellum adversus vos gessissem*. Accedit, quod interposita verba *quos — agitabat* parenthesin quodammodo constituunt, alioquin non *quos agitabat*, sed *agitaret* Tacitus scripsisset.

Erunt alii, qui occurrant, novimus nos illud quidem, Latinos sexcenties dicere: *Romani vincebant, ni — vicerant, ni — victuri erant, fuerunt, fuerant, ni — vincere poterant, potuerunt, potuerant, ni*

*) Ceterum possis haec verba etiam sic interpretari *cuiusque iniuriae ultor ut suae*. At ita Paullino turpe crimen inureretur privatae simultatis et iracundiae. Quod non cadebat in illum, quum adeo inimici eius et obtrectatores (Ann. XIV, 38). *superbiam* tantum et *hostilem* iram, non privatam ei crimini dederint.

— *faciendum erat, fuit, fuerat, si* — et in oratione suspensa, *ut vincere potuerint, victuri fuerint, ni* cett., at non meminimus nos legere: *Romani vicerunt, ni* cett. Non diffiteor equidem rarissime hoc dictum videri; mihique ipsi, quod satis simile sit, exemplum unum tantum nunc quidem suppetit, idque ex poeta desumtum, Virg. Aen. XI, 112 *nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent.* Non enim conferenda puto Liv. XXII, 60 *non enim modo sequi recusarunt bene monentem, sed obsistere ac retinere conati sunt, ni strictis gladiis viri fortissimi inertes summovissent* et Suet. Calig. 58 *ac nisi princeps gregis algere se diceret, redire ac repraesentare spectaculum voluit.* Nam omne hoc genus exemplorum, in quibus ipsius *verbi* ea significatio est, ut non ipsam aliquam actionem, sed agendi *voluntatem, consilium, conatum* indicet*), a reliquis huius generis enuntiatis conditionalibus specie differre et ab illis segreganda puto. Atque ipso in hoc genere plerumque imperfectum deprehenditur. Nec ea equidem conferenda puto exempla, in quibus vocula *prope* sive *paene* adiecta est *), in quibus quidem fere unus dominatur aoristus, sed ea equidem ad illud potius genus, quod modo segregandum diximus, referenda, non cum reliquis contendenda censeo. Exemplis denique, in quibus *potuit* et *futurum fuit* hoc modo legitur, cur non liceat simpliciter ipsis uti, infra demonstrabo.

*) Ann. I. 23 *ferrum parabant,* ni XIII, 5 *escendere suggestum parabat, nisi — Seneca admonuisset* cett. Hist. III, 46 *castra exscindere parabant, ni* IV, 36 *eadem in Voculam parabantur, nisi* Ann. III, 28 terror omnibus *intentabatur, ni* Agric. 37 *circumvenire terga vincentium coeperant, ni* Liv. VI. 21 *magna pars eo, ut legatio supplex Romam mitteretur, inclinabat, ni* III, 43 *Romam ferri protinus Siccium placebat, ni* Ann. XI, 10 *recipere Armeniam avebat, ni* II, 46 *sperabaturque rursum pugna, ni* XVI, 32 *in amplexus occurrentis filiae ruebat, nisi* XI, 34 *urbem ingredienti offerebantur communes liberi nisi* cett. *interfecturus videbatur nisi* Curt. V, 9, 9. In his omnibus indicativo referuntur, quae vere *facta* sunt, atque in his vere locum habet ellipsis, ut supplere liceat: *idque quod parabatur, factum esset, nisi* cett., quod vere additur apud Nepot. Eum. 2 *quum perducere eum non posset, interficere conatus est, et fecisset, nisi ille clam noctu ex praesidiis ejus effugisset.* Ceterum si in hoc genere etiam plusquamperfecta leguntur, non sunt ea vere plusquamperfecta, sed imperfecta, veluti *coeperant* Agric. 37 *contremuerant patres, ni* Ann. VI, 9 *comparaverant* (i. e. parata habebant) *auxilia, quae mitterent, ni* Liv. II, 21 *intentiusque ab uno urbs defendebatur et difficilior facta oppugnatio erat, ni T. Quintius — supervenisset* Liv. XXXIV, 29. Latini ejusmodi exempla ita intelligunt, quasi pro *ni* scriptum legatur *sed.*

*) Liv. II, 10 *pons sublicius iter paene dedit, ni unus vir fuisset.* XL, 32 *Jam prope erat, ut sinistrum cornu pelleretur Romanis, ni septima legio successisset.* Suet. Galb. 10 *servi — in balineas transeuntem paene interemerunt, nisi — expressa cruciatu confessio esset.* Jul. Caes. 52 *et eadem nave paene Aethiopia tenus Aegyptum penetravit, nisi exercitus sequi recusasset.* Tac. Hist. I, 64 *jurgia primum, mox rixa inter Batavos et legionarios prope in praelium exarsere, ni Valens animadversione paucorum oblitos iam Batavos imperii admonuisset.* Liv. II, 65 *Sic prope oneratum est sinistrum Romanis cornu, ni referentibus iam gradum consul — metum excussisset.* Horat. Od. II, 13, 21 *quam paene furvae regna Proserpinae vidimus.*

Verum licet desit exemplorum copia, non idcirco tamen statuendum erit, alienum esse aoristum ab hoc dicendi genere. Neque despero similia exempla, etsi non apud Ciceronem, certe tamen in Senecae, Plinii, Quinctiliani libris inventum iri. Quod tempus ne cui videatur repugnare rationi, exponenda erunt nonnulla de illo in enuntiatis conditionalibus indicativi usu, praesertim quum aliquantum ab eorum sententia mihi discedendum sit, qui de hac re exposuerunt *).

Latini quod dicunt: *vincebatque auxilio loci paucitas, ni iugo circummissus Veiens in verticem collis evasisset* Liv. II, 50, id plerique aiunt elliptice dictum esse pro: *prope erat, ut vincerent, atque vicissent, ni Veiens—evasisset.* At *vincebat* neutiquam est i. q. *prope erat ut vincerent,* aut *coeperant vincere,* nam quod plerique animo sibi fingunt *imperfectum de conatu*, id nullum est **), statimque extorquentur istae machinae in sententia negativa veluti Tac. Ann. VI, 36 *peritia locorum ab Iberis melius pugnatum: nec ideo [Artabanus] abscedebat, ni contractis legionibus Vitellius et subdito rumore — metum Romani belli fecisset.* XII, 39 *Tum Ostorius cohortes expeditas exposuit, nec ideo fugam sistebat, ni legiones proelium excepissent.* Quomodo autem illi plusquamperfectum, quod plane ex eodem genere est, explicabunt? num in illo admodum frequenti dictione, *perierant, ni* cett. *actum erat de imperio, ni* cett. de initio aliquo, de conatu, de re nondum perfecta cogitari potest?

Ellipsin autem illam quovis pignore contendo non obversatam esse Romanis, nisi forte nostri homines cum dicunt: *Und jetzo war's um mich geschehen,* aut: *trotz eurer spürkraft war Maria Stuart noch heute frei, wenn ich es nicht verhindert,* aliquid supplendum putant. Talis ellipsis non cadit nisi in illam speciem, quam supra monuimus segregandam esse.

*) Copiose de iis disseruerunt Krüger gramm. Unters. p. 333. Ellendt de formis enuntiatorum conditionalium linguae latinae. Regimontii 1827. Cf. Haase ad Reisig schol. p. 541.

**) Terminus iste *imperfectum de conatu* ut condonandus erit ludimagistris, qui pueros exercent in scriptoribus patria lingua reddendis, ita prorsus damnandus erit in arte et doctrina, neque magis ferendus quam enallage, antiptosis et alia ejusmodi frivola, quibus tanquam laqueis irretiuntur vel sobrii scriptorum interpretes. Atque illud maxime parum accuratae interpretationis subsidium vix dici potest in quos errores implicaverit vel cautissimos homines. De qua re, ne nimis excrescat huius libri ambitus, alibi commentationem viris doctis proponam. Nunc quidem id unum moneo, ubicunque illud *imperfectum de conatu* legi aiunt, in verbi potius *notione* quam in *tempore* caussam positam esse eius significationis, quam illi propriam dicunt. Itaque eodem plane iure poteris *praesens de conatu* tibi fingere (cf. Liv. XXXIV, 2 *qui pro lege, quae abrogabatur, ita disseruit*, coll. c. 6 *ex utro tandem genere ea lex esse videtur, quam abrogamus?*). Quid? quod Godof. Hermannus ad Soph. Ai. 1105 *aoristum de conatu* invexit, ubi nollem illum talium rerum osorem ad armamentarium descendisse, ex quo non possunt nisi obtusa et prava peti.

Indicativus imperfecti duas utique in se habet notas; primum est Indicativus modus, deinde est tempus Imperfectum. Modus indicativus autem indicat quae s u n t, inservit igitur significandae veritati sive certitudini. Si quis igitur ea, quae sibi videntur vera et certa esse, sive quae tanquam certa alteri narrat, pronunciaturus est, indicativo modo utitur. Certa autem nobis non ea modo videntur, quae evenerunt, sed etiam ea, quae ratiocinando efficimus. Hanc igitur ratiocinandi certitudinem consueverunt Latini ac saepe etiam Graeci et nostri homines in quibusdam dictionibus eodem indicativo exprimere. Itaque si, quod futurum fuisse suspicamur, id, nisi alia res supervenisset, certissime eventurum fuisse affirmare volumus, veluti: *er wäre gewiss noch in jener stunde gestorben, wenn nicht der arzt* cett. non Latini solum dicunt *moriebatur illa hora, ni medicus* cett. sed nos quoque: *er starb in jener stunde, wenn nicht* cett. adeoque Graeci *ἀλλ' ἔθανεν ἐκεῖνος, εἰ μὴ* cett. nisi quod Graecis et nostris hominibus hoc grandiloquae dictionis nescio quam speciem praebet; hinc illud, quod pervulgatum est apud Romanos, et nos et Graeci poetis maxime concedimus, et apud Graecos quidem plerumque inservit irrisioni et ironiae.

Temporis autem, quod parum apto nomine *Imperfectum* nominatur, ea una significatio est, ad quam omnes reliquae referendae erunt, ut praeterito tempore aliquid factum dicatur *eodem tempore*, quo alia res fiebat. Jam quoniam indicativus ille conditionalis maxime ab historiarum scriptoribus usurpatur, qui res certis praeteriti temporis articulis gestas enarrant, inde fit, ut plurima inveniantur imperfecti exempla. Neque minus frequens est plusquamperfecti, quod Perfecti est Imperfectum, in hoc genere usus *).

*) Plusquamperfectum ponitur plerumque, si non de singulo aliquo *facto*, quod certe evenisset, si cett., sed de *statu* aliquo, in quem res adductae essent, si cett., agitur. *Vincebant Romani Aequos, ni* cett. est: illo *proelio* vicissent Aequos, at *vicerant Aequos, ni* cett. erit: victi erant Aequi atque in Romanorum potestatem redacti. Aliud enim est proelio vinci, aliud bello. Semper sic plusquamperfecto utuntur, ubi de statu agitur, qui diutius durat aut perpetuus est. Hinc illud *actum erat*, quod Florus, *perierat imperium*, quod Seneca in deliciis habet. Sic *confectus eram, nisi* Cic. off. II, 1. *praeclare viceramus nisi* ad fam. XII, 10. *inventus* (erat) *in ipsa Britannia terminus* Agric. 23. *peractum erat bellum, si* Flor. IV, 11, 19. *in statum pristinae libertatis redierat, nisi* IV, 3. *princeps excesserat* Seneca ad Marc. XX. *magnum respublica detrimentum ceperat si*, ibid. 1. *perierat alter filius* de ira II, 33. *conservati regis gloriam tulerat* Curt. V, 11. *temere fecerat Nerva, si* Plin. paneg. 8. Horat. Od. II, 17, 27. III, 16, 3. Tac. XI, 37. Ammian. Marc. 21, 15. 19, 13. 26, 15. Inprimis usitatum est, ubi de animorum *statu* agitur, ex quo facile actio deinceps enascitur, quae tum imperfecto adiicitur Tac. Ann. IV, 9. *impleverat animos misericordia, si* cett. VI, 43. *oppressa* (*erat*) *cunctantium dubitatio et omnes in unum cadebant* XV, 50. *exstimulaverant animum*, ubi animo addendum *occidebaturque Nero, nisi* cett. Virg. Aen. II, 54 *impulerat.* Altioris indaginis sunt exempla ea, ubi *potuerat, futurum fuerat* et similia leguntur. Invitus ab iis explicandis nunc quidem desisto, dico talia, ut Vellei. II, 3 *vitam, quam gloriosissime degere potu-*

Aoristus autem in his maxime locum habet, si quid dicitur fieri *potuisse* aut *futurum fuisse*, si aliud quid evenisset. In hoc genere cur aoristus plerumque usurpetur, facile intelligitur. Talis enim sententia derivatur logica quadam necessitate ex caussarum nexu et cohaerentia in rerum natura posita, illaque quae fieri potuisse dicuntur, non *certo* tantum quodam temporis *momento* evenire potuisse existimantur, sed quoties praeterito temporis spatio eadem esset rerum conditio, idem fieri potuisse indicatur, Atque haec ipsa est propria aoristi vis, ut non ad singulum aliquod temporis praeteriti articulum animos advertat, sed omne spatium praeteriti temporis complectatur. Tales sententias maxime verti in iudicandi libertate et arbitrio, id satis inde apparet, quod saepissime eiusmodi sententia admixtas habet formulas *haud scio an* (— *futurum fuerit*), *non dubito quin* (— *potuerit*), *neque ambigitur quin*, et similes. Quoniam autem quae pro re nata, quoties eadem esset rerum conditio, quovis tempore exacto evenire potuerunt, ea nihil impedit, quominus scriptor eo potissimum tempore fieri potuisse moneat, de quo tum maxime agit, et quo ea, unde alterum suspensum est, evenisse traduntur: inde fit, ut non minus saepe imperfectum *poterat* legatur, praesertim apud rerum gestarum scriptores. Nec quidquam erit discriminis, nisi quod illud magis disserendi rationi conveniens est, hoc magis narrandi consuetudini accommodatum est.

Alia est ratio earum rerum, quae scriptor narrat non fieri *potuisse*, sed certo *eventura* fuisse, nisi aliud quid intervenisset. Haec enim non poterant evenire nisi eo tempore, quo conditiones, unde suspensa sunt, acciderent. Itaque unum imperfectum in hoc genere locum habere videtur. Neque vero aoristus idcirco alienus iudicandus est ab horum enuntiatorum natura. Possum provocare ad consuetudinem Graecorum, qui si aoristum in hoc genere non spreverunt *), inde hoc satis explicari poterit, quia quum apud illos

erat, immatura morte finivit, ubi haud recte Kruegerus (grammat. unters. p. 342) hanc Gracchi facultatem ejus *morte* sublatam existimat, immo ea sublata jam erat, ex quo *promulgatis legibus agrariis summa imis miscuit.* Non igitur in mente habet Velleius dicere: *poterat gloriose degere, nisi immatura morte abreptus esset*, sed potius: *nisi a bonis descivisset.* Ex eodem genere sunt Liv. V, 33 *Expulso cive, quo manente capi Roma non potuerat.* XXII, 22 *quanta futura Carthaginiensium fuerat.* Ovid. Metam. XIV, 72. *fuerat mersura.* Seneca ep. 77 *hoc etiam si senex non essem fuerat sentiendum.* Vellei. II, 115 *triumphare debuerat.* Sed ea accurate explicare longum est neque huius loci.

*) Thucyd. III, 74 *χρήματα πολλὰ κατεκαύθη καὶ ἡ πόλις ἐκινδύνευσε πᾶσα διαφθαρῆναι, εἰ ἄνεμος ἐπεγένετο.* Soph. Elect. 1022 *εἴθ' ὤφελες τοιάδε τὴν γνώμην πατρὸς θνήσκοντος εἶναι· πάντα γὰρ κατειργάσω.* Eur. Hec. 1111 *εἰ δὲ μὴ Φρυγῶν πύργους πεσόντας ἦσμεν Ἑλλήνων δορί, φόβον παρέσχεν οὐ μέσως ὅδε κτύπος.* Imperfectum habes Soph. Elect. 914 *οὔτε δρῶσ' ἐλάνθανεν.* Thucyd. VIII, 86 *ἐν ᾧ σαφέστατα Ἰωνίαν καὶ Ἑλλήσποντον εὐθὺς εἶχον οἱ πολέμιοι.* Cf. Reisig de *ἄν* partic. p. 137.

aoristus natura sua etiam imperfecti et plusquamperfecti vices sustinere posset, in his quoque enuntiatis idem sibi permisisse existimandi sunt. Jam quum similis deprehendatur apud Latinos aoristi abusus *), quidni hoc etiam in enuntiatis conditionalibus contigisse existimemus, praesertim apud Tacitum, quem constat in plerisque ad Graecorum dicendi consuetudinem se accommodasse?

Jam quod supra dixi aoristum hoc in genere nihil differre, nisi quod aoristus magis conveniat judicanti de rebus et ratiocinanti, imperfectum autem aptius sit, ubi res gestae referantur et enarrentur: id egregie confirmatur hoc nostro loco, quippe quo iudicium suum interponat Tacitus, non rem factam potissimum referat. Etenim ea, quae impedirent, quominus Paullinus veteri patientiae Britanniam restitueret, non in rebus posita erant externis, sed in ipsius hominis natura et indole continebantur. Nihil enim tum acciderat, quo illa spes intercideretur, sed mores ipsius Paullini, qui durius consuleret in deditos, quominus se dederent reliqui, effecerant. Itaque Tacitus magis ratiocinatur hoc loco quam res factas explicat. De imperfecto *consuleret* paullo post disputabimus.

Quoniam de enuntiatis conditionalibus mentio hic illata est, inserenda est hoc loco de alio Agricolae loco disputatio c. 4 *memoria teneo solitum ipsum narrare, se prima in juventa studium philosophiae acrius — h a u s i s s e, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coercuisset.* In his *hausisse* Walchius dictum ait pro *hausurum fuisse,* quod nullo exemplo **) probari potest. Nam quod sexcentis locis in enuntiatis conditionalibus legitur *potuisse* ***), eo nihil

Hermann de partic. ἄν I c. 13. De iis exemplis, ubi ἔδει in hoc genere dicitur, sponte intelligitur hic non agi.

*) Cf. Kritz ad Sall. Cat. 17, 2. Apud Tacitum aoristus pro plusquamperfecto legitur Ann. II, 53 *scripsit* II, 62 *transtulit.* VI, 31 *imposuit.* XII, 31 *restiterunt,* alibi.

**) Walchius exempla attulit duo, quibus nulla cogitari possunt ineptiora. Nam Cic. Phil. II, 3 *miserum, id te impune facere potuisse*, ibi *p o t u i s s e* neque conditionale est, neque si esset, apte compararetur. Ann. IV, 28 *non enim se caedem principis et res novas uno socio cogitasse* prorsus non intellexit Walchius. Est enim: si cogitavi res novas, profecto non (*οὐ δή που*) uno socio *cogitavi*, sed plures socios habui. Itaque facile, ait, intellectum iri, Cornutum innocentem esse, si eo perventum esset, ut *proderentur reliqui socii* (wenn es zur nennung der übrigen theilnehmer käme.) Nulli enim poterunt nominari.

***) Liv. III, 9 *si quem similem eius priori anni irati Dii tribunum dedissent, non p o t u i s s e sisti* XXXIV, 11 *p o t u i s s e se extra id periculum esse, si decedere fide voluissent.* XXXVII, 34 *illud satis constat, si pax cum populo maneret, neque liberalius neque benignius haberi colique adolescentem p o t u i s s e.* Quintil. X, 1, 62 *Stesichorus, si tenuisset modum, videtur — p o t u i s s e.* Cic. de off. I, 1, 4 *Equidem et Platonem existimo, si genus forense tractare coepisset, gravissime et copiosissime p o t u i s s e dicere et Demosthenem, si — voluisset, ornate splendideque p o t u i s s e.* Cic. de fato §. 48 *qui aliter obsistere fato fatetur se non p o t u i s s e, nisi ad has commentitias declinationes confugisset.* Nep. Agesil. 5 *namque illa multitudine, si sana mens esset Graeciae, supplicium dare Persas p o t u i s s e.*

probatur, quia, ut supra demonstravimus, in oratione directa huic respondet *potuit*, uti *futurum fuisse, capturum fuisse, recipiendum fuisse* descendit a *futurum fuit, capturus fuit* sive *erat*, quod, si constructio coniunctivum desiderat, in *potuerit, futurum fuerit* transire solet.

Neque quidquam proficeres, si conferre velles Liv. III, 50 *sibi vitam filiae suae cariorem fuisse, si liberae ac pudicae vivere licitum fuisset.* XXXV, 32 *Menippus optimum fuisse omnibus, qui Graeciam Asiamque incolerent, ait, integris rebus Philippi potuisse intervenire Antiochum: sua quemque habiturum fuisse* cett. Cic. pro Planc. 36, 88 *vinci autem improbos a bonis, fateor fuisse praeclarum, si finem tum vincendi viderem, quem profecto non videbam.* Statim enim oppones Cic. pro Mil. 11, 31 *Quod si ita putasset, certe optabilius Miloni fuit dare iugulum P. Clodio.* T. Hist. I, 16 *si inmensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset, dignus eram, a quo respublica inciperet.* Neque quidquam suffragatur Liv. III, 72 *vocatae tribus judicaverunt agrum publicum populi Romani esse; nec abnuitur ita fuisse, si ad judices alios itum foret.* XXXV, 15 *id enim jam specimen sui dederat, ut si vita longior contigisset, magni justique regis in eo indolem fuisse appareret.* In his vides liberiori modo illam protasin conditionalem additam, quae talis est, ut non inde suspensum sit id ipsum, quod apodosi pronuntiatur. Nam et ille ager publicus Romanorum vere *fuit* et *indoles* magni regis in Antiochi filio vere *fuit*, sed ut illud decretum ab omnibus iustum *agnosceretur*, illeque iuvenis magnum *regem se praeberet*, quod legentes iubentur animo addere, id scilicet suspensum erat ab adiecta conditione *).

Quoniam igitur asseri non poterat, *hausisse* pro *hausurum fuisse* dictum esse, propterea ego olim, quum Walchium refutarem, in illo *hausisse* aiebam latere directae orationis formam *hauseram, ni* cett. Idque video etiam a Madvigio Opusc. II, p. 128 existimari. Sed et meam nunc retracto sententiam et Madvigii improbo verba, aut certe non satis explicate pronuntiata iudico, cum dicit: „infinitivus „respondet indicativo in notissima apud Tacitum sententiarum con- „iunctione: *studium philosophiae acrius hauserat, ni prudentia matris* — „*animum coercuisset*, qua, obscurata conditionis significatione, indi- „catur iam *aliquatenus* hausisse." Sed qui *aliquatenus* hausit, de eo nunquam dicunt Latini *hauserat.* Neque Madvigius unum exem-

*) Ex eodem genere exempla haec sunt: Cic. Phil. VI, 5 *campus Martius restabat, nisi prius cum fratre fugisset. Liv.* XLII, 43 *nihil paratum ad bellum habebant Romani, quum Perseus, ni spes vana occaecasset, consilia omnia parata atque instructa haberet.*

plum attulit, quo infinitivum perfecti hoc modo plusquamperfecto conditionali respondere probaret. Neque ullum afferre poterit. Waltherus explicat: „Est h. l. ante *ni* idem sententiae hiatus, de quo „saepius diximus. Etenim Agricola in prima iuventa iam *coeperat* „haurire et porro etiam hausisset, ni cett.“ Hoc est sententiam universe interpretari, de qua nemo dubitat, agitur hic de arte grammatica, cuius severitati non sufficit Waltheri ratio. Nam neque *vincebam*, neque *vici*, neque *viceram* unquam est *coeperam vincere*. Quod autem caput est, Waltherus comparat hunc locum cum aliis, in quibus tralatitia illa ellipsis neutiquam admitti potest, omniaque eiusmodi enuntiata, quae genere diversa sunt, confundit.

Tacitus quum dicit Agricolam *hausisse studium*, nihil aliud dixisse existimandus est quam *hauriebat Agricola studium*. Etenim accensendus est hic locus ei generi, quod supra seiungendum affirmavi, in quibus *parabant, cupiebant hoc facere, ni* legitur. Quo quidem in genere quia aoristum quoque *voluit, conatus est* locum habere supra exemplis docui, poteris etiam *hausit* substituere. Quomodo autem his adnumerari potest *hauriebat* sive *hausit?* Quia aliud quid est *acriter philosophiae studium haurire*, aliud eius *praecepta imbibere* ita, ut, quomodo Seneca ait ep. 71 *alte descendat sapientia et diu sedeat, animumque non coloret, sed inficiat.* Aliud est *discere*, aliud *erudiri* *). Jam Agricola hausit quidem et arripuit philosophiae studia; id vere tum factum est, at ne in succum et sanguinem verterentur eius praecepta, ne omnis sentiendi et vivendi ratio ad illius normam conformaretur, id scilicet prohibuit in tempore mater. Nunc demum intelliges, cur Tacitus dicat, in quo offendebatur Peerlkampius, *studium* philosophiae Agricolam *hausisse*, non philosophiam, deinde cur *acrius*, in quo haerebat Lipsius, ut adeo coniectando hoc mutare vellet, eum hausisse dicat, non *penitus*. *Acrius* admodum commode de ardore in *discendo* dictum est, atque poteris substituere *acrior fuit in hauriendo*. Itaque, si ad vivum resecas, et talia *quis accurate potest explicare*, ut cum Seneca loquar

*) Sen. ad Helvid. 16 *omnes bonas artes non quidem comprehendisti, attigisti tamen. Utinam quidem pater voluisset te sapientum praeceptis erudiri potius quam imbui, non parandum tibi nunc contra fortunam esset auxilium, sed proferendum. Pater minus est indulgere te studiis passus: beneficio tamen rapacis ingenii plus quam pro tempore hausisti.* Tac. dial. 28 *quae disciplina ac severitas eo pertinebat, ut — natura toto pectore arriperet artes honestas et — id solum ageret, id universum hauriret.* Cic. pro Murena 30, 62 *haec homo ingeniosissimus M. Cato auctoribus eruditissimis inductus arripuit, neque disputandi caussa, sed ita vivendi.* Sen. ep. 36 *perseveret perbibere liberalia studia, non illa, quibus perfundi satis est, sed quibus tingendus est animus.* ep. 84 *idem in his, quibus aluntur ingenia, praestemus: quaecunque hausimus, concoquamus; alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium.*

ep. 75, *nisi qui vult putide loqui?* Agricola *hausit studium*, sed *τὸ haurire* erat initium eius, de quo agitur, *imbibendi.* Est igitur: *hausit* (sive *hauriebat*) *Agricola, atque toto animo imbibisset, ni mater prohibuisset animumque incensum coercuisset* **).

Addit Tacitus: *ultra quam concessum Romano ac senatori.* Philosophiae studium multis erat invisum, tum quia avocaret ab actione rerum et adolescentes non iis artibus imbueret, quibus reipublicae usui esse possent, sed ad contemplationem earum rerum traduceret, quarum cognitio prorsus inutilis esset vitae communi, tum quia philosophi inania somnia sectarentur animoque comminiscerentur ea, quae a vitae consuetudine et civitatis moribus prorsus abhorrerent neque accommodari possent ad reipublicae suae rationes. Alterum quovis Romano indignum videbatur, quippe qui in iis rebus versari deberet, unde ad reipublicae utilitatem aliquid conferre et ad publica negotia subeunda idoneus fieri posset, alterum damnosum apparebat *senatori*, qui civitatis suae instituta tueri, leges servare, iura describere, ea suadere deberet, quae rationibus civilibus et populi disciplinae accommodata essent. His imparem esse eum, qui speciem et umbram reipublicae, qualis nuspiam est neque esse potest, animo complecteretur, de optimo aliquo reipublicae statu, de infinita libertate somniaretur et in his elatis regionibus versatus, omnem vitae modum desereret.

Itaque adolescentes voluerunt hactenus his studiis imbui, ut *paullum acuerentur ingenia puerorum et tanquam irritarentur, quo facilius possent maiora discere* (Cic. de rep. I, 18), nec improbat ea studia Antonius apud Cic. de orat. II, 37, 156, *moderata modo sint;* apud Ennium autem Neoptolemus ait *philosophari se velle, sed paucis, nam omnino haud placere* (Cic. Tusc. II, 1. de rep. I, 18. Gell. X, 22) itemque Gellius V, 16 *degustandum ex philosophia non, in eam ingurgitandum censet.* Idem prorsus statuerunt quidam apud Graecos philosophiae inimici, ut Adimantus apud Platonem (polit. VI, p. 487 D) *ἔργῳ δὲ ὁρᾶν, ὅσοι ἂν ἐπὶ φιλοσοφίαν ὁρμήσαντες μὴ τοῦ πεπαιδεῦσθαι ἕνεκα ἀψάμενοι νέοι ὄντες ἀπαλλάττωνται, ἀλλὰ μακρότερον ἐνδιατρίψωσι, τοὺς μὲν πλείστους καὶ πάνυ ἀλλοκότους γιγνομένους, ἵνα μὴ παμπονήρους εἴπωμεν, τοὺς δὲ ἐπιεικεστάτους δοκοῦντας — ἀχρήστους ταῖς πόλεσι γιγνομένους* et Callicles (Gorg. p. 484 C.) *φιλοσοφία γάρ τοι ἐστὶν χάριεν, ἄν τις αὐτοῦ μετρίως ἅψηται ἐν τῇ ἡλικίᾳ, ἐὰν*

*) Jam locus plane similis est illis, in quibus *parabat* et similia leguntur (vide p. 38). Atque nunc etiam *infinitivi* aliud ex hoc genere exemplum tibi afferam ex ipso Agricola c. 13 *agitasse Caium Caesarem de intranda Britannia satis constabat, ni velox poenitentia et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent.*

δὲ περαιτέρω τοῦ δέοντος ἐνδιατρίψῃ ἐν τῇ ἡλικίᾳ, διαφθορὰ τῶν ἀνθρώπων. Ἐὰν γὰρ καὶ πάνυ εὐφυὴς ᾖ καὶ πόῤῥω τῆς ἡλικίας φιλοσοφῇ, ἀνάγκη πάντων ἄπειρον γεγονέναι ἐστὶν, ὧν χρὴ ἔμπειρον εἶναι τὸν μέλλοντα καλὸν κἀγαθὸν καὶ εὐδόκιμον ἔσεσθαι ἄνδρα. Καὶ γὰρ τῶν νόμων ἄπειροι γίγνονται τῶν κατὰ τὴν πόλιν — καὶ συλλήβδην τῶν ἠθῶν παντάπασιν ἄπειροι γίγνονται. Ἐπειδὰν οὖν ἔλθωσιν εἴς τινα ἰδίαν ἢ πολιτικὴν πρᾶξιν, καταγέλαστοι γίγνονται.

Satis vides, cur Agricolae mater noluerit eum *acrius* se dare philosophiae studio *), praesertim quum *sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem magnae excelsaeque gloriae vehementius quam caute appeteret*, i. e. informaverat ille sibi speciem, qualem adumbrant philosophi, vitae ad summa philosophorum praecepta conformandae, quae conspicua esset summae et omnibus numeris absolutae virtutis laude, quae una gloria digna esset. Tam excelsa ille quum sublimi ingenio appeteret, periculum erat, ne fastidiret veras vitae rationes maximeque in re publica de libertate, de civium officiis, de imperatoris dignitate aliter sentiret, atque conveniens esset temporum et imperatorum rationibus. Simul igitur *non cautum* erat talia in animum inducere, quia refragari videri posset imperantibus. Erant enim, qui existimarent, *philosophiae fideliter deditos contumaces esse ac refractarios et contemtores magistratuum ac regum.* Sen. ep. 73. Sed *mitigavit* et temperavit hos ardores *ratio et aetas, retinuitque ex sapientia* (i. e. conservavit sibi) *modum:* er rettete aus den phantastischen philosophischen träumen und hochfliegenden ideen den besonnenen tact für das leben. *Modum vitae* (Cato mai. 21, 77) et *modum rerum omnium* (Cic. de orat. I, 19, 85. de Off. I, 27, 93) sive *animorum modum* (Paradox. 3, 2) alibi dicuntur ii servare, qui animi cupiditates et perturbationes sedant et reprimunt, *in quo inest modestia et temperantia* (de Off. I, 5, 14. 18. de orat. I, 15, 67), hic autem agitur de *ingenii non luxuriantis* temperantia **). *Retinuit* autem *ex philosophia* eodem modo dictum est, uti servare aliquid ex igne. Ann. XIV, 15 *vix artibus honestis pudor retinetur, nedum inter certamina vitiorum pudicitia aut modestia reservarentur.* Cic. pro Planc. c. 5 *qui ne equestrem quidem splendorem incolumem a calamitate iudicii retinuisset.* Cic. de fin. II, 22, 71 *non igitur potestis voluptate omnia dirigentes aut tueri aut retinere virtutem.* Horat. Sat. I, 1, 89 *retinere servareque amicos.* Ann. XVI, 34 *retinere vitam.* Aptissime cum nostro loco confert Virdung Cic. pro Mur. 31, 65 *ac te ipsum nunc et animi quodam impetu concitatum et vi naturae at-*

*) Neronis quoque mater hunc *a philosophia avertit*, monens *imperatori contrariam esse.* Sueton. Nero c. 52.

**) Cic. de off. I, 37, 132 *motus autem animorum duplices sunt, alteri cogitationis, alteri appetitus.*

que ingenii elatum et recentibus praeceptorum studiis flagrantem iam usus flectet, dies leniet, aetas mitigabit.

Restat, ut illo loco, unde exorsi sumus, *coniunctivum imperfecti ni — consuleret* defendamus, quum fortasse sint, qui *ni — consuluisset* scribendum fuisse opinentur. Sed de hac re nihil attinet hodie multa disputare, quum de isto usu imperfecti multi, inprimis Krüger gramm. unters. II. p. 216 sq. Peter ad Cic. Brut. p. 254 copiose et luculenter exposuerint. Duplex est horum exemplorum genus, *alterum* eorum, in quibus ille est modus conditionalis temporis *praesentis*, quia sententia est generalis, neque ad unum praeteritum tempus, de quo agitur, scriptor respicit, sed praesentia quoque complectitur („non tam quod tum factum sit, sed etiam quid *moris sit*, eo significatur" Corte ad Sall. Jug. 59) Agric. c. 23 *si virtus exercituum et Romani nominis gloria pateretur, inventus* (sc. erat) *in ipsa Britannia terminus.* Cic. Tusc. I, 37, 89 *Quoties non modo ductores nostri, sed universi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt! quae quidem si timeretur* (sc. a Romanis) *non L. Brutus — in proelio cecidisset, non Decius — non Scipiones* cett. Liv. XXIV, 33. *Epicydes, si qua ad se mandata haberent, responsum eis ait se daturum fuisse* sc. at non habetis. Liv. IV, 38 *nec dubium erat, quin si tam pauci simul omnia obire possent, terga daturi hostes fuerint.* Frequentius est alterum genus, in quo vere imperfecti temporis modus est animique legentium ad illud ipsum tempus advertuntur, quo alia res accideret, quae si non accidisset, alterum evenisset. Neque vero omnino et ubique tum opus est, ut imperfecti actio existimetur „duravisse necdum peracta fuisse" id quod Kritz statuit ad Sall. Jug. 59, 3. Immo satis est meminisse relativae significationis imperfecti, qua duas res in idem tempus incurrisse significatur. Nostra lingua in his semper plusquamperfecto utimur ea de caussa, quod nos in his enuntiatis duntaxat ratiocinamur, apud Latinos autem ratiocinatio commixta est cum relatione et temporis notatione. Luculentum in hoc genere exemplum est Cic. Mil. 30, 82 *Nam quae mihi ipsi tribuenda laus esset, quum tantum in consulatu meo pro vobis ac liberis vestris ausus essem, si id, quum conabar* (sic Madvig. ex cod. Erf. rectissime), *sine maximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitrarer.* Egregie etiam Orellius ad Cic. pro Mil. c. 11. quid inter *posset* et *potuisset* intersit, hoc modo definit: „*posset* quum dicit, in ipsum illud tempus, quo facinus revera commissum est, cogitatione sese transfert."

Cap. 3 male vulgo distinguebatur: *Quid? si per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis interciderunt? Pauci* cett.

Interrogandi signum quum addunt editores, absolutam profitentur sibi videri sententiam. At ego, ut taceam, sententiae modo prolatae: *subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisa primo desidia postremo amatur* non satis apte illud adiungi *multos intercidisse*, neque omnino satis apparere, quid multorum interitus momenti habeat in tota illa sententiarum serie, sed ego id unum quaero, quid sibi velint interposita verba *grande mortalis aevi spatium*. Quid magis absonum, magis inane est, quam dicere: per foedum illud bellum tricennarium multi homines absumti sunt, atque triginta anni sunt dimidia pars mortalis aevi? Facile me non monente intelligis, illa verba referenda esse ad sequentem potius sententiam: *non modo aliorum, sed etiam nostri superstites sumus*, et ne quis aliter ea intelligeret, ipse Tacitus eadem verba denuo repetita deinceps addidit modo aliter pronunciata: *exemptis e media vita tot annis.* Delendum igitur est interrogandi signum et comma ponendum. Adnumerandus enim est hic locus iis exemplis, in quibus duae sententiae, quarum altera una primaria est unaque momentum habet in sententiarum serie, altera secundaria comparationis tantum caussa ad illam illustrandam augendamque addita est, tamen ἐκ παραλλήλου ponuntur et tamquam aequalem habeant vim, una serie simpliciter connectuntur, quum logica ratio flagitaret, ut altera, tanquam secundaria, particula aliqua sive *quum* sive *quamquam* (nostrates *dum* dicunt) alteri subiungeretur. De toto hoc orationis genere apud Graecos et Romanos copiose iam disseruisse nunc video Io. Nic. Madvigium Emendationibus in Cic. libros philosophicos. Havniae MDCCCXXVI. p. 24 sq. postquam iam olim F. A. Wolfius Anall. litt. I, 2, p. 318 et Ph. Buttmannus in gr. gr. §. 149 et ad Demosthenis orat. Midianam §. 7. 49. 56 animos ad hanc rem adverterunt. Mittam igitur exempla ab illo allata.

Apud Graecos quidem scriptores admodum vulgata et trita est ista res, minus autem mira propterea, quia apud illos particula μέν priori membro addita insequentem aliquam sententiam cum δέ particula exspectare iubet. Apud Latinos multum frequentatum est genus hocce: *An Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere, nostrates philosophi non poterunt?* Tusc. V, 32, 90. Talia exempla collegerunt Stürenburg ad Cic. pro Archia c. XII, p. 161. Hand Tursell. I, 350. Wunder ad Planc. c. XVII. Quibus plane similia illa non minus frequentia: *Ergo arbores serit diligens agricola, vir magnus leges, instituta, rempublicam non seret?* Tusc. I, 14, 31. *Ergo histrio hoc videbit in scena, non videbit sapiens in vita?* Cic. off. I, 31, 114. *adeo in uno omnibus satis auxilii fuisse, nullam in tam multis uni esse?* Liv. VI, 17. Sed talia ubique obvia. Latius

autem patere hunc usum neque in unis illis interrogativis enuntiatis contineri, docuit iam Madvigius, ut mireris Zumptium div. in Caecil. 1. probissimam et unam latinam codicum scripturam soloecam dixisse: *si quis vestrum, iudices, aut eorum, qui adsunt, forte miratur me, qui tot annos in caussis iudiciisque publicis ita s i m v e r s a t u s, ut defenderim multos, laeserim neminem, subito nunc mutata voluntate ad accusandum d e s c e n d e r i m,* quod est; si quis forte miratur me, qui, *cum* adhuc versatus sim in defendendo, subito nunc ad accusandum descenderim. Atque hoc quidem loco bis inveniri dixeris illum usum, nam etiam interiecta verba *ut defenderim multos, laeserim neminem,* debebis explicare: *ita sim versatus, ut, q u u m defenderim multos, laeserim neminem,* nisi quod in tam brevibus enuntiatis nostri quoque homines eodem dicendi genere utuntur. pro Mil. 13, 33 *Quare etsi nefarie fecisti, tamen, quoniam in meo inimico crudelitatem exprompsisti tuam, l a u d a r e n o n p o s s u m, irasci certe non debeo,* bene Huldricus loci naturam perspexit, cui obsecutus Orellius priorum evitavit errores. Cic. Brut. 2, 6 *Etenim, si viveret Q. Hortensius, cetera fortasse desideraret una cum reliquis bonis et fortibus civibus, hunc a u t e m praeter ceteros aut cum paucis sustineret dolorem, quum forum — orbatum videret.* Quo in loco ex codd. *autem* reponendum. Cf. de orat. I, 3, 12 *ut in ceteris id maxime excellat, quod longissime sit ab imperitorum intelligentia sensuque disiunctum, in dicendo a u t e m vitium vel maximum sit, a vulgari genere orationis — abhorrere.* III, 1, 3 *sic esse tum iudicatum, ceteros a Crasso semper omnes, illo a u t e m die etiam ipsum a sese superatum.* pro Planc. c. 28 ab aliis, non a Wundero, ignoratum puto illud dicendi genus, sed miror hunc mala coniectura verba corrupisse: *utrum igitur me conturbare oportet, an c e t e r i s (μέν), quum cuiusque dies venerit, h o c (δέ) nomen, quod urget, nunc, quum petitur, dissolvere,* ubi *huic* ex coniectura ille scribendum putavit, scilicet ignorans in hoc maxime dicendi genere liberius formare Latinos orationem; ceterum quae magna isthaec est licentia, si Cicero non *huic nomen dissolvere* dicit, sed *hoc nomen dissolvere?* quae non maior est, quam si pro *Tullio nomen dissolvam* dixeris *dissolvam nomen Tullianum.*

Cic. pro Deiot. 11, 30 vereor, ne, ignorata illa dicendi consuetudine, plerosque lateat vera sententia verborum *sed quamvis ingrate et impie necessitudinis nomen repudiaretis, tamen inimicitias hominum more gerere poteratis, non ficto crimine insectari, non expetere vitam, non capitis arcessere,* ubi illud *hominum more* explicant „non instar belluarum sanguinem sitientium.“ Minime vero. Nam hunc *tertium,* ut ita dicam, gradum, quo *humanitatis iura violentur,* deinde demum vetat: hoc alterum concedere vult, cum dicit *esto, concedatur*

haec quoque acerbitas. Immo *hominum more* est: quoniam semel fit inter homines, ut inimicitias inter se gerant. Sententia igitur est: *inimicitias μὲν, ὅπερ εἰώθασιν οἱ ἄνθρωποι, exercere ἐξῆν, οὐ δὲ ficto crimine insectari, capitis arcessere.* Praeterea si *hominum more* Cicero voluisset esse *humano, non belluarum more,* tum haud scio an scripsisset: *inimicitias tamen hominum more* cett. Nolo exempla congerere, ubi prava interpunctione non satis repraesentata est sententiarum ratio, veluti Liv. V, 21 *sed in rebus tam antiquis, si quae similia veri sint, pro veris accipiantur, satis habeam: haec — neque affirmare neque refellere operae pretium est,* ubi vulgo ante *haec* plene interpungitur. Seneca ep. 76 *in theatrum senex ibo et in circum deferar, et nullum par sine me depugnabit, ad philosophum ire erubescam?* Liv. XXXIV, 31 *at hercule in ea (μὲν) controversia, quae de Argis est, superior sum et aequitate rei — et vestra confessione, quod — reliquistis: ceterum* (i. e. sed, δὲ) *nomen tyranni et facta me premunt.* Cic. pro Mil. 22, 59 *sed tamen maiores nostri in dominum de servo quaeri noluerunt, non quia non posset verum inveniri, sed quia videbatur indignum et dominis morte ipsa tristius: in reum de servo accusatoris quum quaeritur, verum inveniri potest?* Quo loco vulgo ante verba *in reum* plene interpungitur; sed sententiarum haec est ratio: Esto, quaeratur de Clodii morte tanquam de caerimoniis violatis, liceatque de servis in dominum quaerere, *sed tamen* non licebat idcirco *in reum de servo accusatoris quaerere,* nam ita ne verum quidem inveniri potest, quum illo modo posset; nam *maiores nostri non quia non posset verum inveniri, sed quia videbatur indignum, in dominum de servis quaeri noluerunt.*

Ex Agricola huc pertinet c. 12 *ita singuli pugnant, universi vincuntur,* ubi pessime Puteolanus *dum singuli pugnant* invexit. c. 28 *ac saepe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum inopiae venere, ut cett.* c. 46 *nam multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet: Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit,* ubi non recte Hauptius *obruit* scribi voluit eversa vi sententiae, nam non ita magna laus est Agricolae, si memoriae perpetuitate tales superabit homines, qui olim celebrati, nunc obruti oblivione jacent, immo superstes erit eorum veterum, qui adhuc gloriam et famam retinuerunt.

Antequam redeo ad nostrum locum, addam unum exemplorum genus, quod, omissum a Madvigio, nobis adiumento erit ad emendandos diffamatos quosdam Taciti locos. Quibusdam enim in locis altera secundaria enuntiati pars, non, uti in superioribus exemplis, sententiam aliquam continet, quae ad illustrandam, augendam, confirmandam sententiam primariam facit, sed quasi per parenthesin

aliqua observatio data occasione adspergitur, quae quum seorsim adiecto adverbio aut relativo aliquo commate interiici posset, una serie cum reliquis connectitur. Sic Cic. Tusc. I, 10, 20, qui locus male vulgo distinguitur et frustra coniecturis tentatus est, sic scribendum est: *Sed haec quidem, quae dixi, cor, sanguinem, cerebrum, animam, ignem* (sc. animum esse censent) *vulgo, reliqua vere singuli, ut multi ante veteres, proxime autem Aristoxenus musicus itemque philosophus ipsius corporis intentionem quandam* i. e. **τὰ δὲ ἄλλα ὡς ἕκαστοι· οἷον πολλοὶ μὲν πάλαι, τελευταῖον δὲ ὁ Ἀριστόξενος ἁρμονίαν τινὰ τοῦ σώματος** pro: ut corporis intentionem proxime Aristoxenus, quod quidem iam ante eum multi veteres statuerunt. ibid. §. 21 *Dicaearchus autem in eo sermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit, doctorum hominum disputantium primo* (μὲν) *libro multos loquentes facit, duobus* (δὲ) *Pherecratem quendam, Phthiotam senem, disserentem inducit, nihil omnino esse animum.* Interposita verba: *primo libro multos loquentes facit,* quae nihil ad rem pertinent, de qua loquitur, parentheticam aliquam adnotationem praebent. ibid. 16, 38 *Itaque credo equidem etiam alios tot saeculis, sed, quod litteris exstet proditum, Pherecydes Syrius primus dixit, animos hominum esse sempiternos* i. e. itaque Pherecydes primus dixit animos esse sempiternos, quod credo etiam alios ante eum dixisse, nisi quod de iis non litteris est proditum. Liv. XXIV, 49 *id modo eius anni in Hispania ad memoriam insigne est, quod mercenarium militem neminem antequam tum Celtiberos Romani habuerunt,* ubi equidem scribendum censeo *neminem ante, tum Celtiberos,* **ὅτι πρότερον μὲν οὐδένας, τότε δὲ τοὺς Κελτιβ.,** alioquin enim res una primaria, primos fuisse mercenarios milites Celtiberos, alteri secundariae,. quod antea neminem habuerunt mercenarium, ne aequalis quidem adiuncta, sed obiter annexa videretur. Tac. Germ. 2 *quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, nunc Tungri, tunc Germani vocati sint,* **νῦν μεν Τοῦγγροι, τότε δὲ Γερμανοί** i. e. quoniam qui primi Rhenum transgressi sint, qui nunc Tungri vocantur, tunc Germani vocati sint. Itaque quum vulgo legatur *ac nunc Tungri,* delenda est particula *ac*, neutiquam ferenda. Latini enim dicunt sane: *quoniam, qui nunc Romanis, tunc Poenis parebant,* at non: *quoniam, qui Siciliam incolebant ac nunc Romanis, tunc Poenis parebant.* Illud autem latine dicitur: *quoniam qui Siciliam incolebant, nunc Romanis, tunc Poenis parebant.* Atque discrepant codd. Unus enim optimus Perizonii codex habet *ut nunc Tungri.* Hoc quidem non omnino spernendum erit, nam quum *ut* vocabulum sit relativum, possis iam quodammodo comparare c. 36 *ita qui olim boni aequique Cherusci, nunc inanes ac stulti vo-*

cantur *). Ann. XVI, 17 *Mela, quibus Gallio et Seneca, parentibus natus.* At neque *ut* idem est quod *qui*, et, quod caput est, ex ipsa illa codicum discrepantia manifestum est, antiquitus iam librarios, ignorantes illam Latinorum dicendi consuetudinem, adiecta aliqua particula mancum quod illis videretur enuntiatum explere conatos esse.

Agricolae denique cap. XX *Quibus rebus multae civitates, quae in ullum diem ex aequo egerant, datis obsidibus iram posuere, et praesidiis castellisque circumdatae, et tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae nova pars illacessita transierit*, facile iam intelliges, quomodo sint ad genuinam formam revocanda. Tu repone: *ut nulla ante Britanniae nova pars, illa illacessita transierit, ὥστε οὐδεμία μὲν ἄλλη πρότερον, ἐκείνη δέ* cett. i. e. ut, quod nulli ante Britanniae novae parti contigerat, illa illacessita transierit. Ita quod olim perplexe et impedite Sellingio et Doederlino obversabatur, quum scribi aut intelligi vellent, *ut ea, ut nulla ante B. nova pars* cett. id explicate e Taciti verbis elicuimus. Atque facilis est illa emendatio corruptelae admodum usitatae, cuius similia exempla infra recensebimus. Alioquin adstipularer illis, qui *magis illacessita* aut *minus lacessita* scribi voluerunt. Id enim apprime cum Taciti et Livii sermone concinit **). Damnandum autem censeo, quod olim (anno 1840) proposui ***), *ut nulla ante Britanniae nova pars. Illacessita transiit sequens hiems*, quod nollem nuper in textum recepissent Orellius et Ritterus. Commendabatur mihi olim haec ratio similibus locis ****), verum et abrupta atque abscisa foret oratio, et vix exempla invenies, in quibus praegressa voce *tantus* in tali additamento adverbiali pro *quantus* vocula *ut* legatur. Mihi certe, cupide olim anquirenti eiusmodi exempla ad confirmandam illam meam coniecturam, aegre unum sese obtulit apud Ciceronem in Verr. Act. I. c. 2 *nunquam tamen*

*) Cic. de fin. III, 6, 21 *quum positum sit in eo, quod ὁμολογίαν Stoici, nos appellemus convenientiam, si placet.* Acad. I, 40 *quam ille φαντασίαν, nos visum appellemus licet.*

**) Cf. Ann. III, 11 *ac* (licet) *premeret is* (sensus suos) *haud alias intentior.* III, 73 *non alias magis sua populique Romani contumelia indoluisse Caesarem ferunt.* XV, 47 *vis fulgurum non alias crebrior.* Liv. III, 22 *nunquam alias ante publice privatimque Latinum nomen Romano imperio coniunctius fuit.* III, 9 *non unquam alias ante tantus terror senatum invasit.* III, 63 *non aliorum eo praelio virtus magis enituit.* XXI, 59 *pugna raro ulla magis saeva et cum utriusque pernicie clarior fuisset.* XXV, 40 *nec spes alia maior apud faventes rebus Carthaginiensium esset.*

***) Nesciebam tunc, idem iam a Susio (ephem. litt. Ien. 1817. no. 166) propositum et a Gurlitto animadv. ad auct. vett. part. IV comprobatum esse. Quod idem nuper accidit Duebnero, qui anno 1843 „ita Gordium nodum huius loci nondum a quoquam solutum dissecuisse“ primus sibi videbatur.

****) C. 22 *ita intrepida ibi hiems.* Liv. III, 32 *ab externis bellis quietus annus fuit.* XXIV, 3 *ne hiems quidem quieta erat.* XXII, 21 *quietum inde fore videbatur reliquum aestatis tempus.*

neque tantum periculum mihi adire visus sum, neque tanto opere pertimui, ut nunc in ipso iudicio, sed facile vides, cum *tanta ratione curaque* non recte conferri *tanto opere*, quod nil est nisi adverbium *). Sententia autem verborum nunc satis patet. Antea enim eae Britanniae nationes, quae ad Romanos transiissent, a reliquis Britannis crebro lacessebantur et tentabantur, si forte a Romanis denuo abstrahi possent, at nova haec pars, provinciae adiecta, tanta ratione curaque ab Agricola praesidiis castellisque circumdata est, ut illacessita fuerit, postquam transiit. Nam *illacessita transiit* est: transiit ita, ut illacessita esset, sive post transitionem illacessita fuit. Ceterum *circumdatae* noli explicare *circumdatae sunt*, sed *circumdatae* est participium. Non apte enim copulantur *iram posuere et circumdatae sunt*, quorum quippe alterum ex iis, quae Agricola inierat, consiliis consecutum, alterum autem non itidem his rebus effectum est. Illae civitates datis obsidibus iram posuere tum propter has res, tum *quia circumdabantur praesidiis* et ab aliorum impetu tutae praestabantur: zumal da sie *auch* mit schutzwehren umgeben und gegen angriffe sicher gestellt wurden, und zwar mit solcher umsicht und vorsorge, dass cett. Alteram rationem dixerim grammaticis etiam praeceptis refragari, nam latine illud quidem dicitur: *circumdatae* (sc. *sunt) et iram posuere* **), at hercle non vicissim dicere licet *iram posuere et circumdatae*, ubi *sunt* deesse non potest. Cf. quae infra ad c. 16 de omisso *esset* notabimus.

Tandem aliquando redeamus ad locum, unde exorsi sumus, cap. III. Sententia igitur verborum haec est: *Quid? si post quindecim annos imperii Domitiani pauci, qui superstites sumus, nam multi interciderunt* ***), *nostri iam superstites sumus?* Iam primum parentheticum illud *nam multi interciderunt*, quod subiungi debebat reliquis, una serie his coniunctum est, deinde verborum constructione sic inchoata his adiunctum, quod aequale est, *pauci superstites sumus*, et nunc demum his annexum, quod unum primarium erat: *et* (iique)

*) Postmodo haec se obtulerunt exempla: Corn. Nep. Agesil. 4 *tanta modestia dicto audiens fuit iussis absentium magistratuum, ut si privatus in comitio esset Spartae.* (Cic.) ep. ad Brut. I, 9 *est enim alienum tanto viro, ut es tu.*

**) Hist. III, 44 *legioni a Claudio praepositus, et bello clarus egerat.* Ann. VI, 21 *tum complexus eum Tiberius praescium periculorum, et incolumem fore gratatur.* VI, 43 *ac si statim interiora ceterasque nationes petivisset, oppressa cunctantium dubitatio, et omnes in unum cadebant.* Hist. II, 19 *postquam in conspectu Padus, et nox appetebat.* Agric. c. 26 *ita ancipiti malo territi Britanni, et Romanis rediit animus.* Sall. Cat. 39 *plebis opes imminutae, paucorum potentia crevit.* Agr. c. 28 *congressi ac—venere.*

***) Nova alia partitio inest in verbis *multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis: πολλοὶ μὲν ἀπολώλασι, οἱ μὲν συμφοραῖς, οἱ δὲ εὐτολμότατοι τῇ τοῦ ἄρχοντος ὠμότητι, παῦροι δὲ περιγεγόναμεν* cett. ut hoc nomine locus similis sit Cic. div. in Caecil. 1 in quo supra diximus duo paria eiusmodi membrorum coniuncta inveniri.

non modo aliorum sed etiam nostri superstites. Ad hoc quae pertinent verba *grande mortalis aevi spatium,* quia iam nimis remota sunt, propterea repetitur iam illorum summa additis verbis *exemptis e media vita tot annis.* Hoc nomine plane simile est nostro loco exemplum aliquod illi generi itidem adnumerandum apud Ciceronem de Off. I, 1 *sed tamen nostra legens, non multum a Peripateticis dissidentia, quoniam utrique et Socratici et Platonici esse volumus, de rebus (μὲν) ipsis utere tuo iudicio, nihil enim impedio, orationem autem latinam efficies profecto legendis nostris pleniorem. Superstes sui* is dicitur, qui non amplius is est, qualis antea fuit; significatur enim id, quod Plinius de eodem tempore questus in litteris ad Aristonem (VIII, 14, 9.) explicatius sic pronuntiat: *eadem mala iam senatores, iam participes malorum, multos per annos vidimus tulimusque: quibus ingenia nostra in posterum quoque hebetata, fracta, contusa sunt**). Ceterum verba *et uti dixerim* misere depravata olim erant pessima Rhenani coniectura *ut ita dixerim.* Primum vocula *et* prorsus carere non possumus, quae si deesset, *pauci* non amplius praedicatum esset, sed subiectum grammaticum, unde omnis sententia pervertitur et in contrarium mutatur. Non enim Tacitus dicit, paucos esse superstites sui, plerosque contra eosdem, qui ante fuerint, sed dicit superstites esse paucos, eosque**) esse superstites sui. Deinde *ut ita dixerim* satis proba quidem est dictio apud scriptores huius potissimum aevi***), sed usurpari solet ab illis ad excusandam dictionis aliquam insolentiam, quod non cadit in nostrum locum, quo res magis et sententia, quae facile cuiquam exaggerata videatur, lenitur, non dictio et vocabulum excusatur. Nam uti nobis nihil miri habet dictio: *er hat sich überlebt,* ita multo minus in eo offendunt Latini, praesertim quum illi alias quoque in eodem homine pro aetatis diversitate duas personas distinguant. Cato igitur, si superstes sui dicitur, obversatur illis Cato senex superstes Catonis pueri. Hinc Cicero ad Att. III, 15, 3 *desidero non mea solum, neque meos, sed me ipsum. — me velis esse aliquem, quoniam qui fui et qui esse potui, iam esse non possum.* Hinc *se ipsum superare*

*) Ibid. paullo ante: *priorum temporum* (Domitiani imperii) *servitus, ut aliarum optimarum artium* (veluti dicendi et scribendi artis), *sic etiam iuris senatorii oblivionem quandam et ignorationem induxit. — Difficile est tenere, quae acceperis, nisi exerceas. Itaque reducta libertas rudes nos et imperitos deprehendit.*

**) Ann. I, 1 *inde consilium mihi pauca de Augusto et extrema tradere.* Agric. c. 12 *extrema et plana terrarum.* Cic. pro Deiot. I, 3 *dominum accusantis et dominum absentem.* pro Mil. §. 67 *te enim iam appello et ea voce, ut me exaudire possis.* Brut. §. 124 *Scripsit etiam alia nonnulla et multa dixit et illustria.* Hand Tursell. II, p. 477. Beier ad Cic. off. II, 16, 57. Num Kühner ad Cic. Tusc. III, 20, 48 recte huc referat ex Agric. c. 4 *vetere et illustri Foroculiensium colonia,* dubito.

***) Germ. 2. Ann. XIV, 53. dial. 34. 40. Plin. paneg. 42. epist. II, 5, 6. Quintil. Inst. prooem. §. 23. I, 6, 1. VIII, 3, 55. Gaius Dig. I, 2, 1.

dicunt, de orat. III, 5. Similiterque Graeci *δυνατώτεροι αὐτοὶ ἑαυτῶν ἐγίγνοντο. Διαπλήσιος ἐγένετο αὐτὸς ἑωϋτοῦ.* Herod. VIII, 137. Matth. gr. gr. §. 452. Semel apud Senecam additum est *tanquam* ep. 30 *Bassus noster videtur mihi prosequi se et componere et vivere tanquam superstes sibi et sapienter ferre discidium.* At huius loci diversa est sententia, neque agitur de intermortua ingenii vi et alacritate.

Sed interrogandi signum, dixerit quispiam, si delendum est post vocem *interciderunt*, quo alio loco tu illud appinges? Nullo. Saepissime enim interrogandi modus paulatim convertitur in rectae orationis genus. Sic Sophoclis Oed. Col. v. 4 quod olim addebatur interrogandi signum isto loco et delendum esse et, quia longius producendus esset interrogandi modus, prorsus avertendum esse docuit Reisigius. Sed talem interrogationem sive exclamationem latuit adhuc viros doctos inesse etiam in principio Aiacis inde a verbis *καὶ νῦν ἐπὶ σκηναῖς σε ναυτικαῖς ὁρῶ Αἴαντος*, quo loco interrogandi vel potius admirandi signum eam unam ob caussam non addi poterit, quia deinceps paullatim in demonstrativum genus transiit poeta. Cave enim, ne *ἀεὶ μὲν* v. 1. et *καὶ νῦν* v. 3. ad se invicem referenda dicas, quasi sit *ἄλλοτε μὲν, νῦν δὲ.* Immo quod priori *ἀεὶ μὲν — ἐχθρῶν* respondeat *οὔποτε δὲ φίλων*, id plane suppressum est (Antig. 634), additque Minerva mirabunda: *atque* nunc te video circa Aiacis tentorium speculari?

Hactenus de distinctione verborum melius adornanda. Transeamus ad alia corruptetae genera. Nulla autem re plura in Taciti libros invecta sunt vitia quam **ignoratione siglarum**. Cap. 13 quod vulgo legitur *Divus Claudius auctor operis, transvectis legionibus* cett., nihil attinet ut inane refutare, nam Claudius dici non potest *auctor* rei bis iam ante eum susceptae a Caesare. Opus enim est oppugnatio Britanniae, non expugnatio *). Atque codices habent *auctoritate operis*, quod cum explicare non posset Puteolanus, brevi quadam et obtusa ratione illud ex lubidine substituit. In antiquissimo autem codice scriptum fuisse suspicor *auctorit'ati operis* i. e. *auctor iterati operis.* Hoc enim scribendi compendium nostri quoque codices retinuerunt, in quibus fere constanter scriptum est *adu'sa, univ'sarum, t'ra, cet'a, ex'citus, remitt'e* cett.

*) Peerlkamp unum attulit locum Albinov. I, 238 *Victoria parta est. Auctor abit operis, sed tamen exstat opus.* Sed nihil impedit, quominus hoc quoque *auctorem operis* intelligamus auctorem expeditionis, qua parta est victoria. Semper enim *opus* est suscepta res, conatus. Cf. Vell. Paterc. II, 112, 1 *felix eventu, forte conatu prima aestate belli Messalini opus mandandum est memoriae.* II, 109, 2 *exercitum maiori, quam quod habebat, operi praeparabat.* II, 95, 1 *Neronem Caesar haud mediocris belli mole experiri statuit, adiutore operis dato fratre ipsius* Druso Claudio. II, 117, 1 *intra quinque consummati tanti operis dies.*

Hinc confusa sunt cap. 18 *uterentur* et *u'terentur* i. e. *verterentur.* Hoc in cod. Δ recte servatum, illud in Γ legitur. Eodem modo c. 28 *uno remigante,* quod ineptum est, enatum puto ex *uno morig'ante* i. e. *uno morigerante.* Unus igitur ex illis trium navium gubernatoribus voluntati eorum concessit, isque quum in una navi cursum dirigeret, reliquae duae, in quibus vector aliquis vel nauta gubernaculum tenebat, eum sequebantur. Fieri hoc ita potuisse, cognovi ex hominibus rei nauticae peritissimis, atque Livius XXIV, 8 *quilibet,* ait, *nautarum vectorumque tranquillo mari gubernare potest.* Vulgatam scripturam si qui ita defendere conati sunt, ut *remigare* dicerent subinde dictum esse pro *gubernare,* id prorsus commenticium est, nam ubique remiges et gubernatores accurate distinguuntur. Cf. Hist. IV, 6. V, 23. Cic. pro lege Manil. 14, 40. Caes. b. g. III, 9. bell. civ. I, 58. II, 4. Walchius adeo, quod unum est typographi vitium, *remigrante* (quod idem a typothetis Mediol. admissum est cap. 10) defendere sustinuit, at neque *remigrare* est aufugere, neque *uno remigrante* explicari potest: *postquam* unus remigravit; neque Usipii, mediterranei homines et navigandi imperiti, sine ullo gubernatore mare transvehi poterant. (Halm nuperrime proposuit *remorante,* quod quam vim habere velit, non plane intelligo.) Ceterum quod illos Tacitus dicit *Britanniam circumvectos,* pessime vulgo interpretes intelligunt, septentrionalem Britanniam eos circumvectos esse. Quid? quod Broterius eos non solum in Germanicum, sed etiam in Balticum mare incidisse fingit. Quos si memineris in Germaniam tetendisse, facile intelligis eos occidentalem partem meridionalis littoris *(Cornwallis)* a Tacito circumvectos dici. Sed in tralaticium istum errorem*) ut incurrerent interpretes, id Dionis Cassii accidit culpa, qui libro LXVI, 20 narrat: *κἀν τούτῳ πολέμου αὖθις ἐν τῇ Βρεττανίᾳ γενομένου τά τε τῶν ἐκεῖ πολεμίων Γναῖος Ἰούλιος Ἀγρικόλας πάντα κατέδραμε, καὶ πρῶτός γε Ῥωμαίων, ὧν ἡμεῖς ἴσμεν, ἔγνω τοῦθ', ὅτι ἡ Βρετταννία περίῤῥυτός ἐστι. Στρατιῶται γάρ τινες στασιάσαντες καὶ ἑκατοντάρχους χιλίαρχόν τε φονεύσαντες ἐς πλοῖα κατέφυγον· καὶ ἐξαναχθέντες περιέπλευσαν τὰ πρὸς ἑσπέραν αὐτῆς, ὥς που τό τε κῦμα καὶ ὁ ἄνεμος αὐτοὺς ἔφερε· καὶ ἔλαθον ἐκ τοῦ ἐπὶ θάτερα πρὸς τὰ στρατόπεδα τὰ ταύτῃ ὄντα προσχόντες. κἀκ τούτου καὶ ἄλλους ὁ Ἀγρικόλας πειράσοντας τὸν περίπλουν πέμψας ἔμαθε καὶ παρ' ἐκείνων, ὅτι νῆσός ἐστιν.* Haec quantum differant a Taciti relationibus, facile animadvertis. Apud Dionem illorum itinere admonetur Agricola, ut alios mittat, qui Britanniam circumvehantur, at apud Tacitum (c. 38) Agricola sua sponte praefecto classis illud praecipit, et *classis Romana* (c. 10) *tunc primum circumvecta insulam esse Britanniam affirmavit.* Illorum autem Usi-

*) Nunc Doederlinum video, ab isto errore sibi cavisse.

piorum casus Romanis tum demum innotuit, quum nonnulli eorum per commercia venumdati in provinciam Rhenanam delati essent (c. 28). Nulla igitur in hac re fides est Dionis, qui incompertos de ista re rumores apponit.

C. 36. quod libri habent: *Nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum et in aperto pugnam non tolerabant,* recte vidit Franciscus Medices scribendum esse *in arto*. Hoc in antiquissimo codice apparet ita corruptum fuisse, ut scriptum esset *IN APTO* (cf. de hac confusione Drakenb. ad Liv. XXXI, 23, 8), idque, pro *in ap'to* habitum, deinceps scribebatur *in aperto*. Sed facile erat librariorum lapsum removere, multo implicatiores et contortiores sunt interpretum nostrorum errores, qui quantum acuminis attulerint ad interpretandam et distinguendam vocabulorum vim, inde cognoscas, quod Walchius *pugnam in arto*, Pichena et Rothius *pugnam in aperto*, Ernesti denique *complexum armorum* esse aiunt *pugnam quae cominus fiat.* Unum igitur eundemque significatum tribus vocibus tribuunt diversissimis, et eum quidem, qui in nullam eorum cadit. Agite igitur videamus, quomodo illa distinguenda sint.

Neque pugna *in aperto* neque pugna *in arto* (cf. Roth p. 227) significant certum quoddam pugnae genus, uti *cominus*, *eminus pugnare, complexus armorum,* cetera, sed referenda est utraque dictio ad *locum* potissimum, ubi pugnatur. *In aperto* qui pugnant, possunt et cominus et eminus pugnare, *in arto* autem qui conflictantur, non possunt illi quidem eminus pugnare, sed cominus manus conserant necesse est, non autem idcirco pugna *in arto* idem est quod pugna *cominus*. *Pugna in aperto* est pugna in loco aperto et patente, cui oppositus est locus ad latebras et insidias aptus, veluti locus silvestris *).

Pugna in arto est pugna in angusto et coarctato loco, ita ut turba pugnantium conferta sit. Angustiae autem non necesse est ut in loci natura positae sint, sed aliis caussis potest fieri, ut pugnantes in artum locum constipentur. Utrumque coniunctum est Liv.

*) Cf. Caes. b. gall. II, 18 *collis infima apertus, ab superiori parte silvestris, ut non facile introrsus perspici posset. Intra eas silvas hostes in occulto sese continebant. in aperto loco paucae stationes equitum videbantur.* Liv. 38, 41 *Romanorum primum agmen extra saltum castra aperto loco posuit, pars altera medio in saltu.* Liv. 27, 12 *aperta erat regio sine ullis ad insidias latebris.* 33, 37 *magno circuitu per aperta eoque tuta loca ad collegam venit.* 83, 7 *monitos ut ab insidiis, quas dies obscurus apertis quoque locis tecturus esset, praecaverent.* Liv. XXIV, 14 *dimicaturum puro ac patenti campo, ubi sine ullo insidiarum metu vera virtute res geri posset.* Ann. II, 17 *qui silvam tenuerant, in aperta, qui campis adstiterant, in silvam ruebant.* Hist. III, 76 *qui non egredi moenia neque periculum in aperto audebant.* Ann. XIV, 34 *aperta planities sine metu insidiarum.*

XXXIV, 39 *nam propter angustias loci confertamque turbam non — ad emittenda cum procursu tela spatium habebant.* Illo in proelio primum Britannorum agmen in aequo adstiterat, ita ut acclinaretur ad acclive iugum, quo reliqua eorum acies insurgebat. In hoc igitur agmen si invaderent Romani, non poterant non conferta turba pugnare *).

Pugnae autem *genera* tria potissimum sunt: tum *eminus* pugnatur telis missilibus, tum *cominus* strictis gladiis, tum, ubi aut ardor pugnantium incensus est, aut angustiis loci in arctum condensantur, fit *complexus* et *conflictus corporum.* Ac duobus quidem illis generibus in quovis proelio pugnatur, ut pilis emissis deinde gladios stringant, nisi quod subinde *omissis pilis statim gladiis rem gerunt* **), tertium genus tum demum committitur, ubi exarsit fervor pugnantium. *Cominus* si pugnant, ordinem etiamtum servant, non ἔξω τάξεως manus conserunt. Propius si tota acies invadit, tum *collato pede* res geritur, quae et ipsa usitata facies est pugnae cominus commissae ***).

At novum genus est *complexus armorum, la mêlée,* in quo describendo et rerum scriptores et poetae mirifice sibi placent. Non specie, sed genere illud differre, ex eo colligas, quod subinde distinguitur a *pugna cominus.* Tac. Hist. V, 15 *neque, ut in pedestri acie, cominus,*

*) Liv. XXIII, 27 *et undique pulsi coire in orbem et, dum corporibus applicantur armaque armis iungunt, in artum compulsi, cum vix movendis armis satis spatii esset, corona hostium cincti ad multum diei caeduntur.* XXVIII, 33 *Scipio pro se esse angustias loci ratus, et quod in arto pugna Romano aptior quam Hispano militi futura videbatur.* XXVI, 39 *in arto stipatae erant naves, ut vix ullum telum in mari vanum intercideret.* Tac. Ann. II, 21 *nec minor Germanis animus, sed genere pugnae et armorum superabantur, quum ingens multitudo artis locis praelongas hastas non praetenderet neque adsultibus et velocitate corporum uteretur coacta stabile ad proelium.* Caes. b. g. V, 16 *accedebat huc, ut* (Britanni) *nunquam conferti, sed rari magnisque intervallis proeliarentur.* XLIV, 35 *gladio cominus rem geri in conferta turba.*

**) Liv. IX, 13 *ne mora in concursu pilis emittendis stringendisque inde gladiis esset, pila abiiciunt, strictisque gladiis cursu in hostem feruntur.* VII, 16. IX, 39. Caes. b. g. I, 52 *reiectis pilis cominus gladiis pugnatum est.* VII, 88 *nostri omissis pilis gladiis rem gerunt.* Sall. Cat. 60, 2 *pila omittunt, gladiis res geritur.*

***) Liv. XXVIII, 33 *deinde gladios nudant et collato pede res coepta est geri.* XXVIII, 2 *tum pes cum pede collatus et gladiis geri res coepta est.* XXXVIII, 21 *ut pede collato non viderentur pugnaturi.* VI, 12 *ubi haerere iam aciem collato pede videris.* c. 13 *clamore tantum missilibusque telis et primo pugnae impetu ferox gladios et collatum pedem et vultum hostis ardore animi micantem ferre non potuit.* X, 29 *itaque cum Galli structis ante se scutis conferti starent, nec facilis pede collato videretur pugna.* Cic. pro Planc. 19 *non possum magis pedem conferre, ut aiunt, aut propius accedere.* Differre videtur *collato gradu* certare, quod propius accedere videtur ad complexum armorum. Tac. hist. II, 42 *non una pugnae facies: cominus eminus catervis et cuneis concurrebant: in aggere viae collato gradu corporibus et umbonibus niti; omisso pilorum iactu gladiis et securibus galeas loricasque perrumpere.* Ann. II, 20 *collato illic gradu certatum.* Liv. VII, 33 *Primus omnium consul invadit hostem et cum quo forte contulit gradum, obtruncat.*

eminus certabatur, sed — totis illic corporibus nitentes — in mutuam perniciem implicabantur. Cic. pro Caecina 15, 42 *et si non solum impulsu scutorum, neque conflictu corporum, neque ictu cominus, neque coniectione telorum, sed saepe clamore ipso militum adspectuque signorum magnas copias pulsas esse audivimus.* Hoc in loco, quae se deinceps excipiunt in pugna, singula recensentur. Similiter apud Dionem Cass. lib. XLVII, 44 p. 353 A. in describenda pugna Philippensi singula procedentis pugnae momenta enarrantur: post silentium tubicinum cantus, clamor bellicus, emissio pilorum atque tela sagittariorum et funditorum, deinde gladiorum dimicatio (ξιφισμός); mox ubi fervor animorum crevit et ira exarsit, inconsiderate iam hostis cum hoste congreditur — donec mutuo complexu gladiorum et corporum pereunt, τῇ δὲ δὴ συμμίξει καὶ τῶν ξιφῶν καὶ τῶν σωμάτων διώλλυντο. Liv. XXIII, 27 *et dum corporibus applicantur armaque armis iungunt.* XXXIV, 46 *diu in angustiis pugnatum est, nec dextris magis gladiisque gerebatur res quam scutis corporibusque ipsi obnisi urgebant.* Curt. III, 11, 5 *tum vero multum sanguinis fusum est, duae quippe acies ita cohaerebant, ut armis arma pulsarent, mucrones in ora dirigerent.* Marcellin. XV, 30 *arma armis, corpora corporibus trudebant.* Inprimis autem poetae amant hunc armorum complexum depingere, quorum locos*) collegerunt Freinshemius ad Curt. III, 11, 5. Klotz ad Tyrt. II, 31 p. 101. Heyne et Wunderlich ad Virg. Aen. X, 361.

Tacitus igitur si dicit *complexum armorum et in arto pugnam* erit hoc: complexum armorum, qui fere fit, quum in arto pugnatur.

Quod saepissime in reliquis Taciti libris accidit, ut apex ille, quo *terminatio passiva* significatur, a librariis negligeretur (cf. Drakenb. ad Liv. X, 10, 1), id aliquoties etiam in Agricola evenit. Sic c. 25

*) Aen. X, 361 *Haud aliter Troianae acies aciesque Latinae concurrunt, haeret pede pes, densusque viro vir.* XI, 631 *Tertia sed postquam congressi in proelia, totas implicuere inter se acies, legitque virum vir.* Ovid. Metam. IX, 44 *eratque cum pede pes iunctus, totoque ego pectore pronus et digitos digitis et frontem fronte premebam.* Statius Theb. VIII, 398 *iam clipeus clipeis, umbone repellitur umbo, ense minax ensis, pede pes et cuspide cuspis.* Sil. Ital. IX *clipeusque fatiscit impulsu clipei, atque ensis contunditur ense; pes pede, virque viro teritur.* Ennius p. 303 ed. Hessel *pes pede premitur, armis teruntur arma.* Furius Antias IV annali (apud Macrob. VI, 3) *pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir.* Epitome Iliad. 295. 961. Hom. Iliad. IV, 447 σύν ῥ' ἔβαλον ῥινούς, σὺν δ' ἔγχεα, καὶ μένε' ἀνδρῶν χαλκεοθωρήκων. Tyrtaeus II, 31 καὶ πόδα παῤ ποδὶ θεὶς, καὶ ἐπ' ἀσπίδος ἀσπίδ' ἐρείσας, ἐν δὲ λόφον τε λόφῳ καὶ κυνέην κυνέῃ, καὶ στέρνον στέρνῳ πεπαλημένος ἀνδρὶ μαχέσθω. Tralaticius est error, quum in colligendis locis illi, Macrobium VI, 3 temere secuti, etiam Iliad. XIII, 130 sq. excitant. Ibi enim non de mutuo aliquo conflictu, sed de conferta una acie Graecorum agitur. Homerum imitatus est in hac re Curtius III, 2, 13 in describenda phalange Romanorum et Lucanus Pharsal. VII, 492.

timebant habent codd., ubi recte Puteolanus *timebantur* reposuit. Hoc modo restituendus est multum tentatus locus cap. 31, quem sic scribo: *Bona fortunaeque in tributum, aggeratur (aggerat ΔΓ) annus in frumentum: corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis inter verba ac contumelias conterunt.*

In his *aggeratur* non ab *aggerare*, sed ab *aggerere* derivandum, quam vocem Schneider gr. lat. I, 526 in codd. semper *aggerere*, non *adgerere* scribi monet. Sententia est: Licet bona fortunaeque a nobis adgerantur, ut pendatur tributum, et annuus agri proventus, ut frumenti exactioni satisfiat, nihil tamen proficimus; ipsa corpora conterunt. Non satis habent Romani bona fortunasque et anni messem devorare: adeo corpora conterunt. De voce *aggerere* cf. Plaut. Trucul. I, 2, 16 *Nam ipsi vident, quum eorum aggerimus bona, quin etiam ultro ipsi aggerunt ad nos. DIN. Me illis quidem haec verberat verbis, nam ego huic dona adcongessi.* Casin. I, 1, 36 *ita te aggerunda curvum aqua faciam probe.* Rud. II, 5, 27. Poen. I, 2, 14. Curtius VI, 6, 29 (23) *aggeri arbores iubet.* V, 7, 7 (22) *aggerentem faces.* De omissa particula *licet* cf. Ann. III, 11 *adrecta omni civitate, quanta fides amicis Germanici, quae fiducia reo, satin' cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius. Ac premeret is haud alias intentior, populus plus sibi in principem occultae vocis aut suspicacis silentii permisit,* i. e. Ac licet is maxime intentus esset ad sensus premendos, populus plus sibi — permisit. Horat. Sat. I, 1, 45 *millia frumenti tua triverit area centum: non tuus hoc capiet venter plus ac meus.* I, 3, 55 *decies centena dedisses huic parco, paucis contento: quinque diebus nil erat in loculis.* Quum autem verbum *adgeratur* ad duo pertineat subiecta: *bona fortunaeque in tributum aggerantur, aggeratur annus in frumentum,* omissum semel est ac loco quidem priori. Cf. Virg. Georg. I, 53 *hic segetes, illic veniunt felicius uvae.* Cic. Brut. 92, 318 *quum quaesturam nos, aedilitatem peteret Hortensius.* Agric. 25 *hinc terra et hostis, hinc victus Oceanus militari iactantia compararentur. Annus* de annuo proventu agrorum dictum est etiam Germ. 14 *nec arare terram et exspectare annum tam facile persuaseris quam vocare hostes et vulnera mereri.* Cf. interprett. ad Plin. paneg. 31. Gronov. Observ. I, 2 p. 19, qui apte comparat *Ver sacrum,* et Ruhnken praef. ad lex. Schell. *Frumentum* subinde dicitur vectigale frumentarium c. 19. Ann. IV, 6. Praepositio *in* autem eadem vi usurpata est uti apud Liv. XXIII, 11 *mittere pecuniam in stipendium.* IV, 61 *proditori duarum familiarum bona in praemium data.* Tac. Hist. IV, 53 *in aliud destinato auro.* Plin. ep. VII, 18 *pecunia, quam municipibus nostris in epulum obtulisti.* ibid. *millia nummum, quae in alimenta ingenuorum pollicebantur.* Aliorum de hoc loco

conatus liceat mihi omittere. *Bona — in tributum aggerata*, quod quidem scribi voluerunt, latine dici posse nego. Quod Rhenanus proposuit *egerunt*, id vereor ne Walchius perverse intellexerit.

Compendium aliquod admodum frequens in vocibus *habere* et *habitare*, ut fere constanter in Tac. codd. scribatur *hûit*, *hêret*, *hêri*, *hîtasse*, *hîtant'* pro *habuit*, *haberet*, *haberi*, *habitasse*, *habitantur*, id in antiquissimo Agricolae codice latius patuisse suspicor, ut etiam *lôrare*, *lôraturi* scriberetur pro *laborare*, *laboraturi*. Id si recte coniectatum statueris, in promptu erit emendatio duorum locorum, qui graviter affecti sunt in nostris libris. Quod enim cap. 28 in codd. comparet *mox ad aquã. Atque ut illa raptis secum plerisque*, id equidem *mox ab aqua atque uictu lôrantis cum plerisque* in antiquissimo codice scriptum fuisse suspicor, ut scribendum videatur *laborantes*. Meliora mihi non occurrunt nunc quidem, nec praeferenda dixerim, quae alii suaserunt. Ne quis terminationem *rap tis* illi coniecturae obesse putet, adnotandum, nominativum participiorum in codd. subinde in *is* terminari. (Cf. p. 11.) Ex superscripto *es* forsitan enatum sit *s e cum*. Sin illam corruptelam non ex compendio enatam iudicas, sed inde, quod media syllaba casu exciderit, nihil impedio.

Cap. 31 similiter *laturi*, quod codd. praebent, mutandum censeo in *l a* bora*t u r i*, ut verba iam sic se habeant: *nos integri et indomiti, et in libertatem, non in poenitentiam laboraturi*. Respicit Brigantes, qui quum rebellassent contra Romanos, mox, quia felicitas in socordiam vertit, a conatu destitere, ut illis laboribus nihil proficerent, nisi ut poeniteret. *Laborarunt* igitur illi *in poenitentiam*. Quintil. VIII, 2, 18 *in hoc malum a quibusdam etiam l a b o r a t u r, neque id novum vitium est, quum inveniam fuisse praeceptorem aliquem, qui discipulos obscurare quae dicerent iuberet*. Seneca de ira III, 41 *conscientiae satis fiat: nihil in famam l a b o r e m u s*. de tranq. 1 *quae in speciem laborant, dignitatem dico et eloquentiae famam*. Lucan. Pharsal. IX, 258 *quod non in regna laboras*. Liv. XXIV, 2 *ne in libertatem Crotonis sicut ante Locrorum pugnaretur*. Suet. Oct. 27 *in cuius tamen pertinaciae p o e n i t e n t i a m postea T. Vinium — equestri dignitate ornavit*.

Cap. 30 codd. habent: *hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis t o t i Britanniae fore*. Puteolanus illud *toti* pro compendio *toti'* habuit scripsitque *totius*. Mihi illa virgula e cod. *Γ* non enotata est, sed tamen retinui vulgatam Puteolani scripturam, non quo dativum illum non satis aptum existimem *), sed quia propter numeros trisyllabus genitivus auribus meis magis probatur.

*) Ann. I, 5 *quod caussa exitii marito fuisset*. Liv. IV, 17 *vocem eius ambiguam caussam mortis legatis fuisse*.

At in eodem cap. paullo post: *Priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant, quia nobilissimi totius Britanniae* e o q u e *in ipsis penetralibus siti, nec servientium littora adspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus* magnopere vereor ne pro *eòque* scribendum sit *ei'que* i. e. *eiusque*. Nam illud quidem satis constat, eos, qui interiora alicuius terrae incolant, pro indigenis haberi (sic Caesar b. g. V, 12, quamquam ibi de inferiore Britannia agitur, *Britanniae pars interior,* ait, *ab iis incolitur, quos natos in insula ipsa memoria proditum dicunt*), eos autem nobiliores quam ceteros censeri facile credimus. Ita apud Livium XXXIV, 22 *Argos* n o b i l i s s i m a m *vetustissimamque civitatem, in* m e d i a G r a e c i a *sitam,* nominant. At ut dicere illis sane liceat: nos interiora incolimus, ideoque sumus nobiliores, idcirco non potest hoc inverti: nos nobiliores sumus ideoque habitamus in interioribus, praesertim in tali tempore, ubi alios iubemus spem in nobis positam habere, isque, qui nobilissimus vult haberi, fortiter obviam ire hostibus et *ἐν προμάχοισι* eos invadere debet. Atque nonne Agricola c. 34 illos Caledonas, quia adhuc in latebris suis et silvis abditi latuerunt, propter id ipsum *ignavos, metuentes* et *caeterorum Britannorum fugacissimos* dicit? An vero, quae veteres homines de tali re senserint, Agricolam sive Tacitum latuerunt, unus Walchius, qui sit sensus antiquus, persentiscit? Is enim illum recessum nobiliorum omnino *antiquitati* convenientem dicit excitatque Homerum et *τὰ κειμήλια ἐν τοῖς μυχοῖς κείμενα!* Quasi pretiosa supellex et vascula aurea conferri possint cum virorum nobilium fortitudine ac robore. Immo viri fortes solent *virtutem extendere factis* Virgil. Aen. VI, 807. Sed Taciti verba quamvis corrupta vel sic meliora sunt, quam illa Walchii commenta, si distinguere ea hoc modo volueris: *quia nobilissimi totius Britanniae eoque, in ipsis penetralibus siti nec servientium littora adspicientes, oculos quoque — inviolatos habebamus,* ut sit: quia nobilissimi sumus eoque a contactu dominationis inviolati, *quippe* siti in ipsis penetralibus. Sed facile vides, non a nobilitate, sed a terrae potissimum situ et sede sua derivari id, quod intacti sint a dominatione. Atque facile est supersedere his machinis. Nam si scripseris *e i u s q u e in ipsis penetralibus siti* cett., omnia facile et rite procedunt. Tum nobilissimos se dicunt propter fortitudinem, qui primo statim concursu ostendent, *quos sibi Caledonia viros seposuerit.*

Multi sunt loci, in quibus per dittographiam peccatum est a librariis, quum syllabae vel litterae aut bis scribendae semel omitterentur aut male repetitae scriberentur *).

*) Pervulgatae huius corruptelae nonnulla exempla attuli ad Soph. Ant. Tom.

Unum locum, ubi *illa illacessita* nobis scribendum videtur, supra emendavimus. Eadem medela adhibenda erit cap. 45 *quum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat.* Equidem a Tacito scriptum censeo: *denotandis tot hominum pallore oribus.* Uti Ovid. Metam. IV, 329 ait: *pueri rubor ora notavit.* VI, 46 *sed tamen erubuit subitusque invita notavit ora rubor.* Amor. III, 6, 78 *desit famosus, qui notet ora rubor,* sic hoc loco hominum ora denotantur pallore, utque id fieret, satis erat adspicere Domitiani saevum vultum et ruborem. In verborum collocatione ne quis offendat, cf. Liv. IV, 30 *stragem siti pecorum morientium.* Iam illos hominum pallores ipsis periculum attulisse et deinceps crimini datos esse, id animo intelligas ut in re positum, neque vero his verbis indicatur. Non igitur cogitandum de altera vocis *denotare* significatione, quam alibi habet, veluti Cic. Manil. 3 *una litterarum significatione cives Romanos necandos trucidandosque denotavit.* Catil. I, 1, 2 *notat et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum* Ann. III, 53 *ne denotantibus vobis ora ac metum singulorum — ipse etiam viderem eos ac deprenderem.* Sed interpretes plerique utramque significationem commiscentes contorta omnia et perversa hariolantur. *Pallores denotare* possit sane dictio poetica videri, similis Graecis τροπὰς καταῤῥηγνύναι, ἕλκος οὐτᾶν, φόνον κείρειν cett. At tum *in oribus hominum* aut simile quid additum exspectaveris.

Accidit inprimis particulae *ut,* si vicina esset similis aliqua syllaba, ut omitteretur *). Sic cap. 43 *Et augebat miserationem constans rumor veneno interceptum: nobis nihil comperti, ut affirmare ausim* (sc. illud, veneno eum interceptum esse) omissa in codd. illa particula magna negotia facessivit editoribus, quorum commenta nihil attinet recensere. Adverte autem animum ad aoristum *ausim,* ὥστε τολμῆσαι, non enim *audeam* licuisset Tacito hoc sensu dicere. Neve dubites recte sic emendatum locum, cf. exempla graeca ea, de quibus Godofredus Hermannus disputat ad Vigerum p. 949: „particula ὥστε praegressa negatione interdum ita construitur, ut ad solum verbum, quod cum negatione coniunctum est, non etiam ad negationem pertineat.“ Magis perspicue dixisset: Negatio pertinet non solum ad verbum, cum quo coniuncta est, sed etiam ad adiunctam consequen-

II, p. 79. Item Liv. III, 41 scribendum censeo: *si leniter ducta re res sine populari strepitu ad consules redisset.*

*) Sic Seneca epist. 77 scribendum esse suspicor: *non properavi scire, quis illic esset rerum mearum status, quid afferent, ut olim. Iam nec perit quicquam mihi, nec acquiritur.* Vulgo scribitur: *quid afferrent. Olim iam nec perit* cett. Hist. I, 52 *ut Vitellius* Rhen. recte scripsit.

tiam. Quoniam qui compertum quid habet, audere potest id affirmare, propterea Tacitus dicit, non ego aliquid compertum habeo de hac re, ut eam ausim affirmare. Ann. I, 81 *de comitiis consularibus vix quicquam affirmare ausim, adeo diversa apud auctores* cett. Ad sententiam idem est quod Germ. c. 46 ait *quod ego ut incompertum in medio relinquam.* Ceterum eandem coniecturam proposuit Halmius, qui confert Liv. XXI, 36 *adeo — variant auctores, ut vix quicquam satis certum affirmare ausim.* Quod pluralem numerum *nobis* excipit singularis *ausim*, id monuerunt iam alii inde fieri, quod illud ad amicos Agricolae eiusque familiam, hoc ad Tacitum historicum referendum est. Similiter Ann. XIV, 43 *Simul quidquid hoc in nobis auctoritatis est, crebris contradictionibus destruendum non existimabam.* Cic. Catil. I, 9, 22 *tametsi video — quanta tempestas invidia nobis — in posteritatem impendeat,* ad totum senatum illud *nobis* spectat *).

Cap. 26 male codd. habent *his intulisse opem,* quod Puteolanus vidit scribendum esse *his, ut tulisse opem.* Itidem cap. 36 vulgo scribebatur: *Interim equitum turmae fugere, covinnarii peditum se praelio miscuere,* quae corruptela ingentem adnotationis molem procreavit. Tu repone: *Interim equitum turmae, ut fugere covinnarii, peditum se praelio miscuere, et, quamquam recentem terrorem intulerant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant.* Olim proposui *fugere enim covinnarii,* quod ad sententiam aeque aptum erit, at proclivior mihi videtur illa medela, quam eandem nuper proposuit Doederlinus **).

Equites Romanos cur fugisse putemus nunc ipsum, cum pe-

*) Quia olim nonnulli in genitivo *comperti* offendebantur, adferam similia. Liv. XXXVIII, 28 *ceterum ipsine sibi eum finxerint metum, an iactata sermonibus es perlata ad eos sit, nihil comperti t.* Cic. pro Cluent. 47, 131 *certe probavissem, res enim indicat, nihil ipsos habuisse cogniti, nihil comperti.* de fin. II, 31, 101 *et quum reliqui sit nihil omnino, quod pertineat ad nos.* Liv. XXXII, 13 *nec quod ab hoste crudelius pati possent, reliqui quicquam fuit.* Liv. VII, 35 *praeter arma et animos armorum memores, nihil vobis fortuna reliqui fecit.* (Cf. Kritz ad Sall. Cat. 11, 7.) XXVI, 35 *per tot annos tributo exhaustos nihil reliqui praeter terram nudam et vastam habere.* XXVIII, 25 *omnia circumspectantes nihil reliqui habebant praeter* cett. XXXVI, 35 *ne hoc quidem reliqui vobis est, ut indignis ea accidisse videantur.* Sall. fragm. I, 15 p. 940 *estne viris reliqui aliud quam solvere iniuriam aut mori per virtutem?* Liv. XXXVI, 7, 6 *cui si semel in causam descenderit, nihil integri futurum sit* (ibi Drakenb.). XXIV, 6 *velle, quid veri sit, scire.* XXXV, 48 *a quo nihil satis tecti sit.* XXXVIII, 21 *procedente certamine nihil iam aequi erat.* III, 35 *apparere nihil sinceri esse.* V, 38 *si quicquam humanorum certi est.*

**) Vir quidam doctus in diurnis litt. Ienens. anni 1816 no 127 suasit, ut scriberetur: *Interim equitum turmae (fugere covinnarii) peditum se praelio miscuere.* Ita sane supersedere possemus inserta illa particula. At vereor equidem, ne in parenthesi aoristus, qui alias plusquamperfecti vices sustinere potest (Kritz ad Sall. Cat. 17, 2), in parenthesi id non possit. Plusquamperfecto tum opus erat.

dites eorum strato primo hostium agmine insigni ardore in hostes invaderent, caussa excogitari potest nulla. At quum adhuc id munus habuissent, ut covinnarios, qui media campi strepitu et discursu compleverant et Romanorum aciem perturbare conabantur, observarent et, ne a tergo aut ex transverso impressionem facerent, prohiberent, non illi prius peditum proelio se immiscere poterant, quam covinnarii ex campo fugissent, ut suis in acclivi iugo laborantibus opitularentur.

At illi equites, aiebant quidam, non Romanorum sunt, sed Britannorum equites. Horum quidem sententia iam dudum explosa est, ut nihil attineat eos refutare, at in refellenda illorum opinione tam graves admissi sunt errores ab interpretibus, qui nimia probando nihil probarent, ut non liceat hac disquisitione supersedere. Primum *turmarum* nomen proprium esse aiunt Romanorum equitum, non barbarorum. Istud quidem facile refellitur multis locis, ubi barbarorum et equitum *turmae* nominantur, veluti Hist. I, 79. IV, 2. Ann. XV, 9. XIV, 32. et peditum *legiones* Liv. VI, 31. 32. *Volscorum legiones* Liv. IV, 22. *Etruscas legiones* XXII, 14. *Gallorum legiones**). Addit Walchius, equites, qui diversi fuerint a covinnariis, Britannos omnino non habuisse. At ista Walchii opinio, quod demonstrarunt iam Riglerus et Waltherus, falsissima est et scriptorum locupletissimorum memoriae repugnat. Largiamur illi, si ei placet, tenuem esse Melae auctoritatem, qui lib. III, 6, 5 expresse refert: *dimicant* (Britanni) *non equitatu modo aut pedite, verum etiam bigis et curribus gallice armatis, covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* Neque ei opponam Iornandem de rebus Geticis p. 81 ed. Lind. *non tantum equitatu vel pedite, verum etiam bigis curribusque falcatis, quos more vulgari essedas vocant.* Nam hic quidem facile illa desumpserit ex Pomp. Mela. Verum quae ea est petulantia, quum ille autumat Britannorum equitum, qui diversi fuerint a covinnariis, neque Caesarem neque Dionem Cassium mentionem iniicere. Caesaris quidem multa dicta cuique sunt in promptu. Tu vide bell. gall. IV, 24 *barbari* (Britanni) *praemisso equitatu et essedariis, quo plerumque genere in proeliis uti*

*) Sellingius ad cap. 25 adeo dubitabat, num barbarorum agmina *exercitus* nomine appellari possent! Non minus vana est Mureti, Gronovii, Ernestii, aliorum opinio, qui a Romanis scriptoribus negabant unquam Romanos cum barbaris pugnantes *hostium* nomine insigniri, et quum nostro loco *densa hostium agmina* Romanorum agmina intelligenda putarent, illa verba adeo corrupta et corrigenda esse in animum inducebant. At ex uno Livio sexcenti loci afferri possunt, ubi Romani a scriptore *hostes* nuncupantur. Liv. XXI, 53 *Hannibal cum quid optimum foret hosti, cerneret.* ibid. *intentus, dum tiro hostium esset miles.* c. 45 *Poenus opere occupatis hostibus.* XXII, 6 *per confertissimam hostium turbam impetum facit.* XXIII, 46 *cum diu perlustrans oculis obequitasset hostium turmis.* IV, 37 *Volscus plus caedis hostium videre quam fugae.* c. 33 *nova acies — velut fanatico instincta cursu in hostem ruit, formaque insolitae pugnae Romanos parumper exterruit.* V, 42 *ad flectendos hostium animos.* VI, 2 *ne qua intrare ad munimenta hostis posset.*

consuerunt. *) IV, 32 *simul equitatu atque essedis circumdederant.* V, 9 *illi equitatu atque essedis ad flumen progressis.* V, 15 *equites hostium essedariique acriter proelio cum equitatu nostro conflixerunt.* Dionem Cassium autem profecto non legit Walchius, quum illud assereret. Is enim tum lib. LXII, 12. p. 706. C. narrat *οἱ ὁπλῖται τοῖς ὁπλίταις ἀνθίσταντο, οἵ τε ἱππεῖς τοῖς ἱππεῦσι συνεφέροντο, καὶ πρὸς τὰ ἅρματα τῶν βαρβάρων οἱ τοξόται τῶν Ῥωμαίων ἀντηγωνίζοντο,* tum lib. XXXIX, 51. p. 114 D. *καὶ μετὰ ταῦτα καὶ ἐκείνους προσβαλόντας ἀπεώσατο, καὶ ἔπιπτον μὲν οὐ πολλοὶ τῶν βαρβάρων· ἁρματηλάται τε γὰρ ὄντες καὶ ἱππεῖς ῥαδίως τοὺς Ῥωμαίους, μηδέπου τοῦ ἱππικοῦ αὐτοῖς παρόντος, διέφυγον.* Adde Polyaenum strateg. VIII, 23, 5 *βασιλεὺς Βρεττανῶν Κασόλαυνος ἀνεῖργε μετὰ πολλῶν ἱππέων καὶ ἁρμάτων.* Apud Tacitum quoque Ann. XIV, 34 *at Britannorum copiae passim per catervas et turmas exsultabant*, illae *turmae* non de covinnariis, qui singuli procursant, sed de equitibus intelligendi videntur. Supra quoque c. 12 *in pedite robur; quaedam nationes et curru proeliantur*, reliquas nationes praeter robur peditum equites habuisse significari videtur.

At, dixerit quisquam, si Britanni equitatum habuerunt, cur non hanc quoque virium partem in hac pugna, qua decertandum erat, Romanis opposuerunt? Neque vero in ipsius pugnae descriptione neque antea c. 35, ubi de Britannorum agminibus, quomodo constiterint, agitur, ulla equitatus Britannici mentio iniicitur. Nam quod vulgo c. 35 legitur *covinnarius et eques*, ista particula *et* a Rhenano demum per coniecturam invecta est. Verum enim vero interpretes, quum nimis intenti essent in *verba*, ipsam *rem* omiserunt. Etsi Walchium modo demonstravimus temere affirmasse, Britannorum nullos fuisse equites, tamen ego nunc quoque assero, hostes illos, cum quibus illo proelio confligebant Romani, neque hac pugna neque omnino habuisse equites. Quid enim? Num tandem cum *Britannis* nunc quidem congrediuntur? num in Britannia confligitur? Minime vero. In *Caledonia* potius res agitur, et *Caledones* sunt hostes, quos si subinde Tacitus Britannos dicit, nihil id refert, nempe efficiunt partem Britanniae. Iam quos Britannos ex Caesare et Dione equites habuisse evicimus, ii nunc non hostes sunt Romanorum, sed potius eorum socii; Caledones autem, scilicet montium incolas, admodum verisimile vel potius certum est omnino non habuisse equitatum. In

*) Huius quidem unius loci meminit et ipse Walchius, sed dicit haec per hendiadyn explicanda esse, uti apud Homerum *ἵπποισι καὶ ἅρμασιν ἐμβεβαῶτα.* Vae mihi, quam malae res sunt illae *figurae*, quae adeo doctissimum illum Walchium in devia avertunt! Non tantum Homerus, sed nos quoque eos, qui equos alunt, quotidie dicimus „habent carpentum et equos," verum idcirco non *equites et sagittarii* idem est atque *equites sagittarii*.

montuosis illis regionibus satis habebant covinnarios instruere, atque ii quidem, quod Caesar refert bello gall. IV, 33, *tantum usu quotidiano et exercitatione efficiunt, uti in declivi ac praecipiti loco incitatos equos sustinere et brevi moderari ac flectere consuerint.* Non Britannos universos, sed Caledones nunc decertare cum Romanis, facile vides ex Calgaci, eorum ducis, oratione c. 30. *Priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant. — Nos integri et indomiti et in libertatem non in poenitentiam laboraturi* (quomodo Brigantes), *primo statim concursu ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit.* Inferiores enim Britannos idem significat c. XXXII a partibus Romanorum stare: *exercitum contractum ex diversissimis gentibus ut secundae res tenent, ita adversae dissolvent: nisi Gallos et Germanos et, pudet dictu, Britannorum plerosque, licet dominationi alienae sanguinem commodent, diutius tamen hostes quam servos, fide et affectu teneri putatis. — In ipsa hostium acie inveniemus nostras manus; agnoscent Britanni suam caussam.* Itaque equitum turmas illas poteris adeo defendere Britannos fuisse, at scilicet pugnantes pro Romanis, ut eorum socios. Agricola enim exercitui suo *fortissimos ex Britannia et longa pace exploratos addiderat* (cap. XXIX).

Adiungam statim, quomodo sequentia huius cap. verba, quae valde corrupta sunt, emendanda censeam. Legitur in codd. *minimeque equestres, ea enim pugnae facies erat, cum egra diu aut stante simul equorum corporibus impellerentur.* In his nec caput est nec pes. Ac de equestri quidem pugna agi omnino non potest, nam cum hostes non habeant equitatum, neutiquam equestris ulla conseri poterat pugna. Caesar de bell. gall. V, 16, postquam de pugna inter equites Romanorum et essedarios exposuit, deinceps transit ad *equestre proelium*, et de eo, tanquam de re plane diversa ab illa essedariorum pugna, agere incipit. Neque verba quae insequuntur, *cum equorum corporibus impellerentur*, apte dicta sunt de equitibus pugnantibus, et referenda potius videntur ad pedites, qui inter equites mixti ab eorum equis impelluntur *). Quid multa? Equidem a Tacito haec scripta fuisse existimo: *minimeque aequa nostris iam pugnae facies erat, cum aegre iam diu ante stantes simul equorum corporibus impellerentur.* Qui scripturac in vett. codd. genus novit, satis scit,

*) i. e. truduntur, verberantur. Cic. pro Planc. c. 7 *equidem, si quando, ut fit, iactor in turba, non illum accuso, qui est in summa Sacra via, quum ego ad Fabium fornicem impellor.* Sen. de tranq. c. 12 *impellunt obvios.* de const. 16 *non negamus rem incommodam esse verberari et impelli.* de clem. I, 5 *elephanti leonesque transeunt, quae impulerunt.* Non igitur est hoc loco, quod Walchius putat, militaris illa vox, quae fere idem significat quod *fugare, percellere,* uti Ann. I, 63. II, 17. Hist. IV, 34. 78. Liv. I, 4. II, 20. XXII, 47. XXIV, 16. XXIII, 36. XXVI, 6.

eqſtrs et eqnrs vix dignosci posse (cf. Walther cod. diplom. p. 234, l. 12. p. 113, l. 12), sin hoc scripturae genus non adhibitum fuerit, vulgata compendia *equ'rs* (cf. *potāte* i. e. *potestate* cett.) et *eqnrs* non magis discerni possunt. Eandem coniecturam postmodo vidi ab Anquetilo propositam. Quod sequenti voculae *ea* superscriptum est in cod. *i*, satis apparet *iā* i. e. *iam* scriptum fuisse. *Aequa* autem *pugnae facies* quid sit, facile vides e locis similibus *).

Nec reliquorum verborum emendatio vereor ne non satis verisimilis videatur. Quod ait, eos *aegre iam diu ante stetisse*, conqueritur de *loco ad gradum instabili* (Ann. I, 64.) et quod *ne de gradu quidem libero ac stabili conarentur* (Liv. XXXIV, 39). Quod nonnulli voluerunt *aegredum stantes*, non videtur commendari a latinitate. Non enim Latini ut *vixdum* ita etiam *aegredum* dicunt. Drakenb. certe ad Liv. XXXII, 28, 4. et Hand Tursell. I, p. 330 non adferunt exemplum. Rhenani inventum *in gradu stantes simul* propter adiectum *simul* non intelligo, cuiusvis enim est militis *in gradu stare*. Ingeniose Trillerus *aegre clivo stantes*, sed neque praepositio deesse poterat, et de loci natura paullo ante (*inaequalibus locis*) satis iam dictum erat.

Aliud genus dittographiae est, si aliqua vox post pauca verba repetita legitur. Sic c. 35 libri habent *ne simul in frontem simul et latera suorum pugnaretur,* in quo duplex est vitium. Nam ubi Latini *simul — simul* dicunt, ibi semper praepositio utrique nomini adiicitur **). Scribendum igitur certe erat *in latera,* uti voluit Gesnerus. Deinde *simul — simul et* alienum est a consuetudine Latinorum, qui aut *simul*

*) Caes. b. g. VII, 48 *erat Romanis nec numero nec loco aequa contentio.* Liv. XXXIV, 39 *dein crescente certamine nequaquam erat praelium par; missilibus enim* cett. XXXVIII, 21 *praelium commissum est primo par, Gallos loco adiuvante, Romanos varietate et copia telorum. Procedente certamine nihil iam aequi erat.* XXV, 13 *nec vallum modo tutantur Poeni, sed, ut quibus locus aequior esset, deturbant nitentes per ardua hostes.* IX, 3 *omnia aequa et plana erunt Romano in perfidum Samnitem pugnanti.* Nep. Miltiad. 5 *Datis etsi non aequum locum videbat suis.* Caes. b. g. III, 74 *locum se aequum ad dimicandum dedisse.* Sueton. Iul. C. 35 *bellum sane difficillimum gessit neque loco neque tempore aequo.* Liv. XXVI, 3 *sed postero die et tempore et loco aequo instructos. Pugnae facies* quid sit, intelligitur ex Hist. II, 42 *non una pugnae facies.* III, 30 *ac rursus nova laborum facies.* IV, 22 *mixta belli civilis externique facie.* Ann. I, 49 *diversa omnium, quae unquam cecidere, civilium armorum facies.* Sall. Iug. 51 *ceterum facies totius negotii varia, incerta, foeda atque miserabilis.* Seneca ep. 76 fin. *ac stultis et fortunae credentibus omnis videtur nova rerum et inopinata facies.*

**) Liv. XXI, 33, 5 *simul ab hostibus simul ab iniquitate locorum Poeni oppugnabantur.* XXIV, 21, 7 *simul ad libertatem simul ad arma vocantes.* XXXIX, 35, 2 *simul ad purganda crimina simul ad deprecandam iram senatus.* XXVII, 15, 4 *simul ab arce simul a portu.* De praepositionibus ubi repetendae sint cf. Drakenb. ad Liv. VI, 28, 6. Kritz ad Sall. Cat. 49. Wunder Var. lect. ex cod. Erf. p. XVI sq. ad Cic. Planc. p. 120 Otto ad Cic. de fin. exc. VIII.

— *simul* *) aut *simul et* — *et* aut *simul* — *que*, inprimis autem et frequentissime *simul et* dicere amant, atque tum praepositio semel ponitur; c. 6 *in subsidium simul et solatium*. Liv. VI, 40 *ex quo adsciti sumus simul in civitatem et patres*. VI, 12 *sub Rhodiorum simul imperio et tutela*. Itaque hoc loco non dubito quin omisso priori *semel* scribendum sit *ne in frontem simul et latera* cett.

Eodem modo c. 32 *paucos numero*, *circum trepidos ignorantia, coelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circum spectantes* haud scio an recte editt. recc. quidam cum Heumanno prius *circum* deleverint. Non placet certe, quod quidam interpretati sunt: circumtrepidantes. Insulsa autem est Walchii ratio, qui cum Anquetilo *locorum* aut addi vult aut in locum vocis *circum* substitui. Quorum enim ignari sint hostes, statim additur: quippe *coelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circum spectantes*. (Cf. Liv. XLIX, 29 *praeco, accensus, insueta omnia oculis auribusque*. Sall. Iug. 31, 12 *postremo honesta atque inhonesta, omnia quaestui sunt*.)

Contra *male duplicatas* syllabas existimo cap. 32 *nisi si Gallos et Germanos et (pudet dictu) Brittannorum plerosque — fide et affectu teneri putatis*. Alterum *si* delendum arbitror, quia *nisi*, ubicunque pro *nisi forte* dictum est **), nunquam *si* adiunctum habet. *Nisi si* enim quum dicitur, semper id, quod ponitur, cogitatur fieri posse, *nisi* autem si ironice dictum est, commemoratur aliquid, quod fieri non posse significatur. Nam ut affirmetur aliquid certissime, adiicitur una aliqua exceptio, quam ipsam prorsus nullam esse cuivis apparere scriptor putat. Tres sunt loci, qui huic sententiae refragari videantur. Ovid. Heroid. IV, 111 *nisi si manifesta negamus*, at hoc loco illud *si* Heinsii demum coniectura invectum est; libri habent *nisi nos*. Cic. in Catil. II, 4, 6 *nisi vero si quis* cett. recte nuper Madvigius *si* delevit. Quintil. Instit. IV, 1, 70 *nisi si cui divina illa pro Ligario ironia displicet* Buttmanno (ad XII, 9, 11) et Zumptio (Tom. V. p. 185) recte *si* delendum videtur. Atque codicum vestigiis ibi apertissime hoc proditur. Nam cum plerique et optimi codd. omisso *nisi* habeant *interim: si cui*, facile vides ab antegressa syllaba *im* absorptam esse *ni*, quem defectum deinceps alios adiecta integra particula *nisi* explevisse vidit Buttmannus. Apud. Terent. Adelph. IV, 3, 3 *nisi si me in illo credidisti esse hominum numero*

*) c. 41 *simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum*. c. 36 *simul constantia, simul arte*. c. 25 *simul terra, simul mari*. Ann. XIV, 40 *simul longa senecta, simul orbitate*. cf. Drakenb. ad Liv. III, 50, 12. XXVII, 15, 14. — *simul et* – *et* Drakenb. ad Liv. XXVI, 43, 6. *simul* – *que* Ann. V, 10. *fingebant simul credebantque* Drakenb. ad Liv. XXXIII, 12. 2.

**) Liv. XXI, 40 *nisi creditis*. Cic. pro Rosc. Am. 45, 131 *nisi hoc mirum est*. 50, 147 *nisi hoc indignum putas*. Görenz ad Cic. de fin. I, 5, 16. Gernhard ad Lael. 13, 48.

non ironice dictum est, nam quod Micio, quum illud dicit, statui fortasse posse asserit, id Hegio, ut serio coniectatum ab illo, tanquam inane refutare operam dat. Accedit, quod in codd. *nisi* modo plene, modo *ni* scribitur, ut proclivis esset librariorum error. Sic inter *nisi si* et *nisi* fluctuant codd. Germ. c. 2. Sic cap. 39 male in codd. scriptum *occuparet et cetera.* c. 19 *tributorum exactionem aequalitate munerum mollire,* codd. male habent *exactionem in aequalitate.* Contra c. 27 *penetrandum Caledoniam,* ubi cum Dronkio *penetrandum in Caled.* scribendum suspicor.

Litteram *S,* qua terminatur vox, saepe ante vocabulum, quod eadem littera incipit, omitti notum est. Cf. Drakenb. ad Liv. XXXVII, 29, 5. III, 34, 6. Sic cap. 11 cum viro quodam docto apud Walchium p. 198 omnino scribendum *eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasiones: sermo haud multum diversus.* Quod vulgo legitur *persuasione,* intelligi nequit. Nam si quando *deprehendere* cum ablativo construitur, tum est *aliquam rem agnoscere aliqua sua virtute.* Plin. N. H. XII, 9 *sed deprehenduntur* (caetera genera gummi) *odore, colore, pondere, gustu* i. e. num sint ea genera gummi, quae videntur, id cognoscitur ex odore cett. Quod non cadere in nostrum locum manifestum est, praesertim quum *sacra* non ex *superstitione,* sed superstitio potius ex sacris cognoscatur. Waltherus, qui interpretatur: die religion der *Gallier* lässt sich in dem *brittischen* aberglauben *wiedererkennen,* magnopere fallitur, neque Tacitus id, quod Waltherus in interpretando addit: *Gallorum sacra Britannorum persuasione* cett. vere dicit. *Superstitionum persuasiones* sunt *religionsbegriffe,* persuasiones, quae continentur eorum superstitionibus, der glaube, welcher der inhalt, inbegriff ihrer religion ist. In plurali numero ne offendas cf. Seneca ep. 94 *ingenii vis praeceptis alitur et crescit novasque persuasiones adiicit innatis et depravatas corrigit.* Plin. N. H. II, 8, 6 *Libera enim vel contra receptas persuasiones rationem sequenti sententia est.*

Asyndeton autem, si quem offenderit, hoc maxime loco satis excusatur, quod *tertium* membrum adiicitur verbis: *sermo haud multum diversus.* Cf. Ann. 1, 17 *ille varie disserebat de magnitudine imperii, sua modestia, solam divi Augusti mentem tantae molis capacem.* Cic. in Verr. Act. I, 15, 43 *Itaque a pop. Rom. contemnimur, despicimur, gravi diurnaque iam flagramus invidia.* Verum amant Latini asyndeton, si in recensendis rebus singulis indicare volunt, plura ex hoc genere afferri posse neque plenam esse enumerationem rerum singularum. Sic initio huius cap. *namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem asseverant.* Liv. XXVII, 5 *omnes in urbes, in agros*

suos reductos arare, serere. XXIII, 12 *magnam vim frumenti, pecuniae absumi.* Ann. I, 21 *ad terrorem ceterorum affici verberibus, claudi carcere iubet.* Cic. pro Deiot. 6, 18 *at id fieri potuit primo occultius in potione, in cibo,* ubi male a plerisque *vel* inseritur. De simili genere asyndeton cf. ad cap. 15.

C. 33. *Iamque agmina et armorum fulgores, audentissimi cuiusque procursu simul instruebatur acies.* Fuerunt, qui *procursus, simul* legi vellent. Quod et ego praeferam, si *audentissimi cuiusque procursu* negaveris a Tacito dici posse pro *audentissimo quoque procurrente.* Iam non contulerim receptas quasdam dictiones *populi iussu, consulum missu, hortatu, permissu, Paullini ductu, Drusi vocatu* cett., neque attinet omnino in substantivo iusto et integro, quale est *procursus,* ad eiusmodi exempla confugere, sed dixerim potius, quia Livius et Tacitus non dicunt solum *magno patrum silentio,* sed etiam sine adiectivo *silentio patrum edicitur dilectus* (Liv. III, 41), idcirco nec illud abhorrere a Taciti dicendi genere. Quam ab caussam Ann. III, 14 *absurdum videbatur inter aliena servitia et tot adstantium visu ipso Germanico coram id ausum,* non *visu* cum Pichena damnaverim, qui *visus* legi malebat collato Ann. XI, 34. II, 41. Respuenda autem profecto est Walchii ratio, qui cum illo *audentissimi cuiusque procursu* iungi volebat *armorum fulgores.* Immo arcte copulanda sunt: *iamque agmina et armorum fulgores,* quod recte Dahlius p. 19 explicavit *iamque agmina fiebant* (aufmärsche, züge einzelner schaaren) fulgentibus armis. Poterat igitur hoc loco deamata illa hendiadys venditari. Agmina fiunt, quum instruenda est acies, quae hoc modo praeparatur. Procurrentibus autem singulis non agitur amplius de uno armorum *fulgore,* sed lacessunt illi hostes, illudunt, vulnerant. (Caes. bell. civ. II, 41. Liv. XXV, 11. XXIII, 40. V, 19 cett.)

Similes voces confusae sunt saepissime. Nemo dubitat recte scripsisse Rhenanum c. 6 *praeturae tenor (certior ΔΓπ).* c. 10 *enorme spatium (inorme ΔΓπ).* c. 11 *origines vi seu (originis usu ΔΓπ).* c. 33 *quando acies (animus ΔΓπ* cf. compendium *aius,* quod nunc quoque *π* habet*).* c. 35 *agmen aequo (agmine quo ΔΓπ).* c. 37 *oblatis (ablatis ΔΓπ),* aut Muretum c. 46 *formamque (famamque ΔΓπ),* Lipsium c. 39 *auctum (actum ΔΓπ),* Ernestium c. 36 *et stratis (et tratis ΔΓ).* Neque minus certae sunt aliae emendationes, veluti quum Rhenanus *ita* pro *item* scribit c. 33. *Nam ut superasse tantum itineris pulchrum ac decorum in frontem: ita fugientibus periculosissima, quae hodie prosperrima sunt.* Fuerunt quidem, qui *item* defendere conarentur collatis his exemplis: Cic. de orat. I, c. 26 *nihil est, quod cogat homines, sicut in foro non bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti.* Acad. II, 13, 42 *ut enim de sensibus hesterno die vidistis,*

item faciunt de reliquis cett. de legg. II, 5, 11 *ergo ut illa divina mens summa lex est, item, quum in homine est, perfecta est in mente sapientis.* Tusc. V, 3, 9 *nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam et nobilitatem coronae peterent — item nos quasi in mercatus quandam celebritatem profectos alios gloriae servire, alios pecuniae.* pro Cluent. c. 24 *ut adhuc me attenti audivistis, item quae reliqua sunt audiatis.* de off. II, 14, 51 *nec tamen ut hoc fugiendum est, item habendum est religioni* cett. (Cf. Beier ad h. l. et Madvig de fin. III, 14, 48.) At in omnibus his exemplis praedicatum *unum* est, *res*que duae, in quibus illud inveniatur, nostro contra loco *una res* est, cui *duo praedicata* propter mutatam temporum rationem tribuuntur. Bene adnotat Walchius p. 417. not. quum in illis item dictum videatur pro ita item (Caes. b. g. 1. 44 *ut ipsi concedi non oporteret, si in nostros fines impetum faceret, sic item nos esse iniquos, quod in suo iure se interpellaremus),* nostro loco non posse *ita item* substitui, sed potius *sic contra* intelligendum esse.

C. 20. Acidalius ex coniectura scripsit *atque ubi satis terruerat, parcendo rursus invitamenta pacis ostentare.* Hoc Ernesti quamquam non improbat, tamen contra monet: „Sed et *irritamenta pacis* recte dicuntur, ut opinor. Nam *irritare* etiam in bonam partem dicitur.“ Additque Walch. Quintil. Inst. I, 1, 26 *irritare infantiam ad discendum.* At si quaeritur, num recte dicatur *irritari ad aliquam rem,* nihil omnino refert, utrum *bona* sit res illa, an *mala,* sed num alio nomine istae notiones congruant. *Irritamur* autem ad *agendum* et ad quamvis virium exercitationem, non ad *quietem* et *pacem,* ad quam *invitamur* (Cic. Phil. X, 2). Habemus igitur *irritamenta irarum* Plin. paneg. 8. Liv. XL, 27, 8. *irritamenta libidinum* Tac. Hist. I, 58. *irritamenta cupiditatis* Quintil. Declam. III, 6. *irritamentum certaminum equestrium* Liv. XXX, 11. *opes, irritamenta malorum* Ovid. Metam. 1, 140. et earundem rerum *incitamenta,* veluti *incitamentum periculorum et laborum* Cic. pro Arch. 10, 23. *incitamenta victoriae* Agric. c. 32. (Cf. Liv. XXI, 45, 9 *nullum incitamentum ad vincendum acrius datum est. desperatio magnum ad honeste moriendum incitamentum.* Curt. IX, 19, 6.) At quae ad pacem aut quietem et somnum alliciunt, ea nemo unquam dixit *irritamenta,* sed *invitamenta pacis.* In quibusdam sane rebus utrumque dici posse sponte intelligitur. Nam cum pueri ad discendum *irritentur* (Quintil. l. l.), aliis solent *in ipsis rebus, quae discuntur et cognoscuntur, invitamenta inesse, quibus ad discendum cognoscendumque moveantur.* Cic. de fin. V, 19, 52. Et quae Tacitus Ann. XIV, 15 *irritamenta luxus,* ea Cicero eodem iure de rep. II, 4, 8 dicit *ad luxuriam invitamenta perniciosa,* quae *civitatibus*

suppeditantur mari. Curtius IV, 10, 24 (41) *eximiamque pulchritudinem formae eius non libidinis habuerat invitamentum, sed gloriae.* Tacitus contra novit *irritamenta libidinum.* Scilicet ad libidinem modo invitamur, modo stimulamur. Nec mirabor, si quas Livius II, 42 dicit *largitiones temeritatisque invitamenta,* eadem alibi dicantur *temeritatis irritamenta.* Vellei. II, 67 *velut in dotem invitamentumque sceleris Antonius L. Caesarem avunculum, Lepidus Paullum fratrem proscripserant.* At quae *somnum invitare* dicunt Horat. Epod. II, 27. Ovid. Metam. XI, 604, ea nemo unquam dicet ad somnum *irritare.*

Ceterum nostro loco *invitamenta pacis*, quae Agricola *ostentat,* si grammaticam rationem quaeris, non explicaverim: quae ad pacem alliciant, sed in pace insunt invitamenta, quibus moveantur homines ad deponenda arma. Sic apud Cic. de fin. V, 6, 17 *prima invitamenta naturae* et pro Sulla 26, 74 *invitamenta urbis et fori* legimus.

Cap. 41 *tot exercitus in Moesia Daciaque et Germania et Pannonia temeritate aut per ignaviam ducum amissi: tot militares viri cum tot cohortibus expugnati et capti.*

In his palmarem Gronovii coniecturam *militares vici* admodum miror vulgatae scripturae *militares viri* ab editoribus posthabitam esse. Est autem haec corruptela plane non ferenda. Primum Tacitus conqueritur *amissos tot exercitus,* iam, dum maiora et graviora eum additurum exspectas, descendens potius ad minora singulas *cohortes expugnatas* addit, et *militares* quidem *viros* cum *tot cohortibus* expugnatos. Quid enim? si toti exercitus cladibus absumti sunt, in his num *militares viri* nulli perierunt? At enim *militares viri* sunt „duces, rei militaris peritissimi viri, magnum militiae usum habentes"; at haec ipsa opinio ut a plerisque iactata, ita falsissima est, nisi forte, quia milites plerique fortes sunt, ideo vocabulum *miles* significare putas *fortem*, quasi non ignavi quoque milites sint. *Militaris homo* *), et *militaris vir* **), et *militaris* (Ann. XIV, 33 *omissis castellis praesidiisque militarium.* Curt. VIII, 5, 4 (17) *militares auro et ebore fulgere dicebant.* Quintil. XI, 1, 33

*) Liv. XLII, 33 *militares homines et stipendia iusta et corpora et aetate et assiduis laboribus confecta habere.*

**) Ann. IV, 42 *testis Aemilius e militaribus viris.* XV, 67 *militaris viri sensus incomptos et validos.* Hist. III, 73 *irrumpunt* (in obsessam urbem) *Vitelliani et cuncta sanguine, ferro flammisque miscent, pauci militarium virorum pugnam ausi obtruncantur.* Liv. X, 24 *in concione, ut inter militares viros et factis potius quam dictis fretos pauca verba habita.* XXX, 15 *et alii militares viri, prout a quoque navata opera erat, donati.* ibid. c. 37 *perturbatus militaris vir urbana libertate.* XXXV, 26 *nihil ea res animum militaris viri et multos experti casus imminuit.* Seneca de provid. c. 4 *militares viri gloriantur vulneribus.* Ulpian. L. 6 de off. praesid. (Dig. I, 18) *militares viros* cett. Codicis lib. X, 31, 42. XII, 36, 16 *militaribus viris* cett.

simpliciora militares decent) nil est nisi qui militat, sive miles est, non togatus. Ceterum eum, qui militiam capessivit eamque exercet, rei militaris usum habere, id in rei natura positum est; sed tamen hanc laudem si *militari viro* tribuere volunt, tum eum dicunt *virum militarem* et *hominem militarem*. Ann. XV, 10 *verum ubi a viris militaribus firmatus erat.* XV, 26 *multa auctoritate, quae viro militari pro facundia erat.* Hist. II, 75 *versabatur ante oculos Germanici exercitus robur, notum viro militari.* Sall. Cat. 45 *illi, homines militares, sine tumultu praesidiis pontem obsidunt, collocatis.* 59, 6 *homo militaris, quod amplius annos triginta — cum magna gloria in exercitu fuerat.* Liv. XXIV, 23 *iuvenes militares et assueti militibus.* Paullo ante iidem dicuntur *periti militiae.*

Solent enim Latini, si adiectivo aliquo *genus* quoddam designare volunt (nos patria lingua substantivis compositis plerumque utimur), id praeponere nomini, sin singuli alicuius propria indoles indicanda est, postponere plerumque adiectivum*). Nostro igitur loco si vera esset scriptura, et, quos volunt interpretes, viri magno militiae usu excellentes significarentur, Tacitus certe *tot viri militares* scripsisset. Nunc nihil aliud his verbis indicaretur nisi eos esse e *militari genere***).

Vici autem si scribis, omnia bene se habent, et statim intelligis, quid sibi velint illae cohortes, videlicet praesidio impositae illis vicis. Saepissime autem *vicos* legimus una cum *castellis* nominatos***).

*) Cf. Plinii *naturalem historiam*, quam multi perperam *historiam naturalem* dicere solent, *militaris via*, *covinnarius eques*, *commune periculum* c. 12. 29. *sensus* ille *qui communis dicitur* (Quintil. I, 2, 20) constanter dicitur *communis sensus*, nisi quod Seneca, Iuvenalis, Phaedrus ordinem invertunt. (Cic. de orat. II, 16, 68 *in sensu hominum communi* rhetoricae rationes hunc ordinem flagitabant.) *Ficta fabula* differt a *fabula ficta*. Nam *ficta fabula* est genus quoddam poesis. *Fictas fabulas* inveniunt poetae, *fabulas fictas* comminiscuntur mendaces. Cic. pro Mil. 3, 8 *fictis fabulis doctissimi homines memoriae prodiderunt*, de fin. V, 19, 51 *quid? cum fictas fabulas, ex quibus utilitas nulla elici potest, legimus?* ad Herenn. 2, 8 *aut aliquam fictam fabulam adferemus, quam dicamus omnibus in ore esse.* in Verr. lib. III, 78, 182 *vetera exempla pro fictis fabulis iam audiri atque haberi.* Easdem *poeticas fabulas* dicunt Quint. IV, 11, 17 et Livius praef. (*poeticis decora fabulis*). Itidem Aesopi fabellas Phaedrus dicit III. epil. v. 3 *arte fictas fabulas.* I. prol. v. 7 *fictis iocari fabulis.* Contra multum differt Cic. pro Mil. 16, 42 *timemus rumorem, fabulam, fictam, levem*, ubi male Orelli *fabulam fictam unam* notionem esse dicit, nempe confundens illam cum *ficta fabula.* *Magna pars*, *maior pars*, *maxima pars* est die mehrzahl, die majorität. Liv. VI, 21, 24. XXII, 6, 7. XXIII, 10. XXVI, 33. XXXIV, 3. 33. XXXV, 51: XXXVI, 10. Insigne hoc in genere exemplum est XXII, 6 *magnae partis fuga inde primum coepit — pars magna, ubi locus fugae deest, per prima vada* cett. Igitur *magnae partis pars magna* diversum quid fecere.

**) Liv. XXIV, 32 *ad militare genus omne partemque magnam plebis invisum esse nomen Romanum.*

***) Ann. XII, 38 *ac ni cito e vicis et castellis proximis subventum foret, copiae tum occidione occubuissent.* Liv. IX, 38. *multa alia castella vicique.* XXXI, 30, 6 *delubra, quae quondam in castellis vicis-*

Sed tamen, ait Ernesti, exempla desidero huius epitheti loco tributi, in quo praesidia imposita sunt. Bene hoc monet vir cautus et diligens, at non deest, quod respondeatur. Nisi deperditi essent ii libri, in quibus Traiani expeditiones in Pannonia enarrantur, omninoque si de Romanorum bellis in illis regionibus plura memoriae tradita essent, satis frequens foret *militarium vicorum* mentio. Suspicor enim equidem *militares vicos* esse *vicos sitos ad militarem viam* *), qua exercitus Romani in illis regionibus traducerentur, in quibus frumentum congestum esset ad milites alendos (cf. Liv. XXI, 48 *ad Clastidium vicum, quo magnum frumenti numerum congesserant*), ut conferri possint *les étapes militaires*, quos hodie Francogalli in Africa condiderunt.

Reliqua sunt multa, eodem modo coniectura ad genuinam formam refingenda. Cap. 19 vulgo legebatur: *Nihil per libertos servosque publicae rei: non studiis privatis nec ex commendatione aut precibus centurionum milites ascire, sed optimum quemque fidelissimum putare.* Quaerentibus, quid sit *milites ascire*, respondebant I. Fr. Gronovius et Walchius, intelligendos esse tirones, qui exercitum sequuti *adscripticii* dicti sint, qui, ut Varro apud Non. s. v. *Optiones* ait, *referentibus centurionibus adoptati in cohortes subibant, ut semper plenae essent legiones.* Hoc antiquae disciplinae Romanae institutum utrum his quoque temporibus obtinuerit, nec ne, nihil attinet quaerere. Nam egregie I. A. Ernesti haec contra monet: „Bene, si sermo esset de re militari. At de disciplina domestica sermo est.“ Cuivis sane, qui liber ab omni praeconcepta opinione Taciti verba legit, manifestum est, toto hoc capite de una administratione provinciae agi et de coercendis, moderandis, puniendis iis, qui ad administrandas provinciae res adhibiti singulisque officiis praepositi essent. Deinde illud plane intelligi non potest, quae illa fuerint *privata studia,* quibus impulsus sit summus dux, ut tironem non ad summorum eveheret honorum fastigium, sed ad unam legionariam adscisceret militiam; nec illud animo comprehendes, cur centuriones, ut tirones sui locum inter milites gregarios obtinerent, non satis habuerint eos commendare, sed tanquam suffragatores eorum in petendo aliquo magistratu, adeo preces adhibuerint. Iam tu respice codices. Hi quod habent *centu-*

que consecrata. X, 12 *sed castellis etiam vicisque* XXX, 18. XXXIII, 36, 8 *Boii in castella sua vicosque dilapsi sunt.* Caes. b. c. III, 32 *paene vicis castellisque singulis cum imperio praeficiebantur.*

*) Liv. XXXVI, 15 *haec una militaris via est, qua traduci exercitus possint.* Cic. Phil. XII, 10 *militaris via.* de prov. cons. II *ut via illa nostra, quae per Macedoniam est usque ad Hellespontum, militaris non solum excursionibus barbarorum sit infesta, sed etiam castris Threciis distincta ac notata.* Colum. I, 5 *nec esse oportet aedificiis iunctam militarem viam.* Curt. V, 13, 23 *discesserunt a militari via.*

rionem milites nescire, id quovis pignore contendo scribendum esse: *centurionem milites v e ascire*. Iam omnia perspicua, omnia plana. Agricola enim quum nihil publicae rei per libertos servosque agi vellet, qui tandem alii reliqui erant, quos ad haec munera et ad res publicas administrandas adscisceret, nisi milites sui? Sententia igitur est: nihil per libertos servosque publicae rei, centurio autem vel milites qui adsciscendi essent *) ad officia in rebus publicis administrandis, eos non privatis studiis (aus persönlicher gunst) neque commendatione (aliorum) neque precibus (singulorum suis) adscivit; nam multi vehementer tale munus expetebant, quum opportunitatem daret divitias acquirendi, talisque opera minus laboriosa esset quam iusta militia, sed *optimum quemque* i. e. fortissimum elegit, ratus eundem *fidelissimum* fore in tali ministerio. Agitur igitur de *cohorte accensorum*, quae temporibus reipublicae dicebatur *cohors praetoris* **), quae tunc apparitores, lictores, viatores, scribas, praecones, accensos cett. complectebatur.

Temporibus quidem reipublicae in provinciis pacatis, quibus non praeessent militares homines, non milites, sed liberti ***) adeoque servi ad talia munera adhibebantur. Neque id inusitatum fuisse sub Caesaribus, et ex hoc loco et Ann. XIV, 31 desumitur, sed deinceps hi ministri ex militibus eligebantur, qui quia a reliquis militiae muneribus liberati erant, *beneficiarii* †) nominabantur (serio-

*) Elliptice autem sive absolute poterat illa voce uti, quia admodum usitata est in hac re. Hist. IV, 80 *asciri inter comites*. Cod. Theodos. VIII, 1, 8 *nuper ascitos adiutores*. I, 12, 1 *consiliarium sibi asciscere*. Hist. II, 53 *in senatum asciscere*. Orelli Inscr. no 799. 3048 *in ordinem equitum ascitus*. Supra c. 9 *inter patricios ascivit*.

Ascire autem pro *adsciscere* etiam alibi scriptum invenitur. Hist. IV, 24 *asciri in societatem*. IV, 80. Ann. I, 3 *ascirique per adoptionem*. Quod autem haec vox nostro loco in codd. cum *nescire* confusa est, id, si agitur de orthographia, poterit argumento esse, in antiquissimo codice non *adscire*, sed *ascire* scriptum fuisse.

**) Cic. ad Q. fratr. I, 1, 4 *quos vero ex necessariis apparitionibus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte praetoris appellari solent*. Saepissime huius *cohortis* mentio fit in orat. Verrinis, lib. II §. 27. 30. 71. lib. III §. 28. 55. 68. 70. 111. 112. 137. 139. 142. 155. 158. Alia est *cohors Drusi* Ann. I, 29, quae non ex apparitoribus constat, sed ex amicis et comitibus, de quibus paullo post disputabitur.

***) ad Q. fratr. I, 1, c. 4 *accensus sit eo numero, quo eum maiores nostri esse voluerunt, qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris ac muneris, non temere nisi libertis suis deferebant.* Servos ne adhiberet, magnopere dissuadet fratri ibid. c. 6 *ac si quis ex servis egregie fidelis, sit in domesticis rebus et privatis; quae res ad officium atque imperium tuum pertinebunt, de iis rebus ne quid attingant. Multa enim, quae recte committi servis fidelibus possunt, tamen sermonis et vituperationis caussa committenda non sunt.*

†) Plin. ep. X, 36 *Maximus libertus et procurator tuus praeter decem beneficiarios, quos adsignari a me Gemellino iussisti, sibi quoque confirmat necessarios esse milites. Ex his interim, sicut inveneram, in ministerio eius relinquendos existimavi, praesertim quum ad frumentum comparandum iret in Paphlagoniam.* X, 32 *praecepisse te* [*scripsi*

ribus temporibus *deputati* *) dicebantur), alibi *cohortalini, accensi, officiales* vocati. Sed varia erant eorum nomina pro diversis officiis, in quibus adhiberentur, de quibus agitur cod. Theodos. libro VIII. Qui ad hanc, quae serius dicebatur, *cohortalinam militiam* **) adsciscerentur, simul *promoti* ***) habebantur et ordine praestare videbantur militibus reliquis *munificibus*. Numero horum accensorum praeficiebatur *centurio*, qui in isto ministerio hoc suum nomen retinebat. Ex his saepissime commemoratur *centurio ex officio annonae* ****), qui numero frumentariorum praeesset. Qui *frumentarii* (non confundendi illi cum *frumentariis*, quales saepe commemorat Caesar in commentariis, qui ad tempus emittuntur ad frumentum supportandum) id maxime munus habebant, ut rem frumentariam administrarent, quum et exigerent frumentum ab incolis provinciarum †) et ex horreis dividerent militibus cett. Ceterum frumentariorum nomen seriori aetate latius patuit, ut alia quoque accensorum genera hoc ut communi nomine appellarentur ††).

Hi centuriones singulorum officiorum †††) parebant aliis, veluti *primipilaribus*, *optionibus*, *adiutoribus*, omnesque iis, qui *singulis*

Gabio Basso praefecto orae Ponticae] *ut contentus esset beneficiariis decem, equitibus duobus, centurione uno.* Hoc denuo scribit Trajanus ep. 33 additque: *curandum, ne milites a signis absint.* Saepissime beneficiariorum mentio fit in inscriptionibus. cf. Orelli Inscr. no 182. 328. 1806. 1650. 929. 3182. 3462. Gruter. Inscr. p. 51, 4. 558, 5. Cf. etiam G. Christ. Gebauer in originibus Feodi p. 6 sq. et Gothofr. ad cod. Theod. VIII, 4, 5.

*) Cod. Theod. VIII, 7 c. 8 *cornicularios, qui annis singulis ex numero deputatorum exeunt,* quo loco Gothofredus ex Notitia Imperii affert: *officia eorum in numeris militare et in officio deputari.* Cassiod. Var. XI, 30 *de primicerio deputatorum in officio praefecti praetorio.* Veget. de re mil. II, 19 *ad obsequia tamen iudicum vel tribunorum et principalium deputabantur milites, qui vocantur accensi.* Non. Marcell. s. v. *accensi, quos nunc dicimus deputati.*

**) Cod. Theod. VIII, 4, 1 *eos, qui cohortali militia completis XXV stipendiis discesserint.* ibid. XVI, 5, 48 *cohortalina militia.*

***) Ascon. ad Verrin. Act. II. lib. I. §. 71 *accensus nomen est ordinis et promotionis in militia, ut nunc dicitur princeps, vel commentariensis cornicularius. Haec enim nomina de legionaria militia sumpta sunt.*

****) L. 43 de pign. actione (Dig. XXX, 7) *ex officio annonae centurio.* Orelli Inscript. no. 3664. 1256. 74. Is praeerat *numero frumentariorum*, qui commemorantur Grut. Inscr. p. 520, 8. 530, 7. 565, 11. 12, 1. Marini Atti p. 666. Orelli no. 3491. 3492. 4922. In inscript. apud Orell. 3664. C. Titius, antea centurio leg. X. eligitur *centurio frumentarius*, mox *princeps peregrinorum.*

†) Hi deinceps *compulsores* et *opinatores* dicebantur. Cod. Iust. XII, 38, 11. Cod. Theod. VII, 4, 26. XI, 1, 34. cf. Cuiacii opera T. III. p. 255.

††) Aelii Spart. Hadrian. XI, *et erat curiosus non solum domus suae, sed etiam amicorum, ita ut per Frumentarios occulta omnia exploraret.* Aurel. Vict. Caes. 39 *neque minori studio pacis officia vincta legibus, remoto pestilenti Frumentariorum genere, quorum nunc Agentes rerum simillimi sunt.*

†††) Cod. Theod. I, 7, 1 *Centurionum aliorumque Officialium parva magnaque poscentium intolerandi impetus oblidantur.* Orelli Inscr. 3100 *centurio deputatus.* Plin. ep. X, 32 *decem beneficiariis unus centurio additur.*

officiis et administrationibus praepositi erant, qui serioribus temporibus *principes officiorum* dicebantur, idque munus plerumque *comitibus* mandabatur, ut praeses provinciae, sicuti in bello gerendo legatos et contubernales, ita in rebus publicis administrandis *comites* *) haberet summos magistratus, qui reliquis praeessent et mandata darent. Nostro in loco si etiam iurisdictionem in iis, quae ad *publicam rem* administrandam pertinebant, contineri putaveris, possis *centuriones* simul eos significatos suspicari, quorum opera legatus in rebus capitalibus cognoscendis et in exercendo iure gladii usus sit. Cf. c. 15 et quae de hoc loco infra explicabuntur.

Ceterum toto hoc capite, in quo de administrandis rebus publicis agitur, mirum est nullam iniici *procuratoris* mentionem. Habuisse in provincia Agricolam procuratorem dubitari non potest, nam sub Suetonio Paulino procurator fuit in Britannia (c. 15. Ann. XIV, 32). Videtur igitur Tacitus, quum dicit *primum domum suam coercuit,* simul procuratorem complecti eiusque ministros et accensos, quippe quos ille a legato consulari videatur accepisse (cf. Plin. ep. X, 36. 37). Itaque huic quoque ab Agricola nulli nisi milites ad haec ministeria dati sunt **).

Ex his, quae de verborum illorum sententia disputavimus, satis puto iam manifestum esse, recte Puteolanum scripsisse *optimum quemque fidelissimum putare,* cum libri praebeant *fidissimum,* quod ferri non potest. *Fidus* enim is est, qui constanter aliquem sectatur, cuius partes sponte amplexus est, *fidelis* autem is dicitur, qui ea est probitate, ut ei omnia tua confidere et committere possis. Quod igitur veteres grammatici dicunt (Donat. ad Ter. Phorm. I,

*) Sueton. Caes. 42 *contubernalis aut comes magistratus.* Tib. 46. Plin. ep. VII, 27 *obtinenti Africam comes.* L. 7. ad leg. Iul. de vi publ. (Dig. XLVIII, 6) *quod ad legatos, oratores comitesve attinebit.* L. 6 §. 1 de poenis (Dig. XLVIII, 19) *si quos comitum vel legati sui reos proconsul invenerit.* L. 16 de off. Praes. (Dig. I, 18) *quae provincias regentes comites aut libertini contraxerunt.* Tac. Ann. III, 13 *comites et amici Germanici.* VI, 7 *Servaeus praetura functus et Germanici quondam comes.* Hist. IV, 80 *neque Antonium Primum adsciri inter comites passus est.* Atque hi quoque *comites* constituunt *cohortem.* Ann. VI, 9 *Vestilium praetorium, quem in cohortem suam transtulerat* (Tiberius). Seneca de clem. I, 10 *Sallustium et Cocceios et totam cohortem primam interioris admissionis ex adversariorum castris conscripsit* (Augustus). Ann. I, 29 *ex cohorte Drusi.* Nomen est antiquum, reipublicae iam temporibus in re non plane dissimili usitatum. Cic. ad Q. fratr. I, 1, 3 *comites et adiutores negotiorum publicorum.* Verris *comites* quamquam a Cicerone homines nequissimi dicuntur, tamen discernuntur a reliquis accensis Verr. lib. II. §. 27. Suet. Caes. 4 si dicit *comites servosque ceteros,* explicandum hoc videtur ex nota illa dicendi consuetudine: *βοῦς καὶ ἵππους καὶ ἄλλα πρόβατα.* De *comitibus* cf. etiam Ernesti Exc. XV ad Suetonium.

**) Sub Augusto administri hi procuratoris (*ὑπομείονες*) ex equitibus et libertis Caesaris eligebantur. vide Dio Cass. LII, 25 p. 679 *ὑπομείονας ὅσους ἂν ἡ χρεία ἀπαιτῇ, ἔκ τε τῶν ἱππέων καὶ ἐκ τῶν ἐξελευθέρων σου ἔχων.*

2, 26. Servius ad Aen. I, 113. Gramm. apud Gothofred. p. 1358) *fidus est amicus, fidelis servus:* id propterea satis apte dictum est, quia, cui quis *amicus* et deditus esse velit, id in cuiusque potestate et voluntate positum est, at in servo, qui mancipatus est domino, non quaeritur, quem sectari velit; sed potest ille in officio et fidelis et infidelis esse. Amicus infidus est, si dissolvit amicitiam, infidelis tum demum dici poterit, si, dum amicum se esse simulat, fiduciam, quam alter in eo ponit, fraude fallit. Contra alii *fideles in amicis* Sall. Cat. 9. i. e. si quae cum amicis transigunt. Iam milites Romani non possunt *fidi* nominari, quia nemo est, cuius partes sequantur, nisi dux Romanus, at possunt *infideles* esse in iis, quae suae fidei a duce committuntur. *Fidi* illi tum demum dicuntur, si in bellis civilibus huius vel illius principis castra constanter sequuntur. Cic. Phil. X, 11, 24 *exercitum fidissimum* (Bruto) *et constantissimum.* Tac. Hist. II, 46 *orabat* (Othonem), *ne fidissimum exercitum, ne optime* (de se) *meritos milites desereret.* Exteri populi, qui ad societatem Romanorum accedunt, *fidi* dicuntur. Sic *Cogidumnus rex fidissimus mansit Romanis* c. 14. *Rex Hiero fidissimus imperii Romani cultor* Liv. XXVI, 32. *Hermundurorum civitas fida Romanis* Germ. 41. Contra *Rhodiorum civitas infida atque adversa Romanis fuit* Sall. Cat. 51. etenim *dubia fide speculati fortunam, proniores regis partibus fuisse visi sunt* Vellei. I, 9, 2. Itemque *Numidae genus hominum mobile, infidum, neque beneficio neque metu coercitum.* Iidem si diuturna societate cum Romanis coniuncti fuerunt et cum eorum imperio quasi coaluerunt, tum *fortis ac fidelis opera* ab iis postulatur. Liv. XXIII, 16. 46. XXIV, 47. et ut *socios fidelissimos fortissimosque* se praebeant Liv. XXI, 44. Sic *Deiotarum Cn. Pompeius amicum vereque benevolum unum fidelem populo Romano iudicavit* Cic. Phil. XI, 13. Cicero in Cilicia *sociis multo fidelioribus usus est, quam quisquam usus esset* ad Att. V, 18. Liv. VI, 26. Quod vetus gramm. apud Gothofr. p. 1335 ait: *fidelis fit, fidus nascitur,* id aut nugatorium est, aut distortum ac depravatum ex alia eaque vera definitione, quam conservavit Fronto de differentiis vocabulorum T. II, p. 481 ed. Francof. *fidelis fit* (i. e. nascitur), *fidus exstat.* Illud enim ingenii proprium est et morum, hoc ad rationem pertinet, quae alicui intercedit cum altero. Jenes ist ein charakterzug, dies eine stellung, in die ich zu einem anderen trete.

Eiusdem cap. 19 pars extrema ingenti adnotationis mole obruta est et obscurata. Inprimis Walchius comparandis rebus Siculorum, quorum et iura et res frumentaria prorsus differebat a Britannis *),

*) Cicero accus. in Verr. lib. III, 5, 11 *Neminem vestrum praeterit, iudices, omnem utilitatem opportunitatemque provinciae Siciliae consistere in re frumentaria*

omnia misere conturbavit. Mitto equidem ea, quae propter librorum auctoritatem non amplius opus est disquirere *), alia meliori verborum distinctione ab interpretum commentis liberabuntur, una reliqua est vox, qua leniter emendata omnes difficultates removebuntur. Scilicet quod in codd. legitur *ludere pretio*, quod temere Puteolanus ita mutavit, ut *vendere pretio* scriberet, id mecum lege: *luere pretio*. Totum igitur locum sic scribendum censeo: *Frumenti et tributorum exactionem aequalitate munerum mollire, circumcisis quae in quaestum reperta ipso tributo gravius tolerabantur. Namque per ludibrium assidere clausis horreis et emere ultro frumenta ac luere pretio cogebantur, divortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates, proximis hibernis, in remota et avia deferrent, donec (quod omnibus in promptu erat) paucis lucrosum fieret.*

Ante omnia quaerendum erit, quae sit illa *aequalitas munerum*, qua Agricola exactionem tributi et frumenti molliebat. Quod primum cuivis in mentem venit, cautum ea esse, ut tributa ab omnibus aequabiliter tolerarentur, neve locupletissimorum censu extenuato, tenuiorum aucto, maius egenis onus imponeretur, quam aequum esset **), id contendo equidem non cadere in nostrum locum, quum de studiis, quibus divitum rationibus cum pauperum dispendio consultum sit, nulla omnino significatio in verbis inveniatur. Aequalitas illa erat longe alia. Etenim quum munera iniuncta Britannis duplicia essent, *frumentum* et *tributa* (c. 31 *bona fortunaeque in tributum, aggeratur annus in frumentum*), alterum quidem munus, quo frumentum aggerendum erat, multo gravius erat iis regionibus, quae rei frumentariae difficultate et inopia laborarent, quam iis, quae copiosae essent a frumento. Itaque ne hoc nomine propter diversas rationes ii, qui non haberent frumenti copiam, praegravarentur prae reliquis, Agricola aequalitatem aliquam reparavit *aestumatione* frumenti, ita ut, cum frumentum deberetur, ii qui non haberent, pro frumento pecuniam darent, quanti frumentum esset apud eos, qui ipsum frumentum, quod darent, haberent. Sublata igitur annonae *varietate* con-

maxime. — *Hac alimur et sustentamur* — *In hac caussa frumentaria cognoscenda haec vobis proponite, iudices, vos de rebus fortunisque omnium Siculorum* — *de victu vitaque populi Romani cognituros*. Quod serioribus temporibus frumentum e Britannia in alias provincias transvectum est (Ammian. Marcell. XVIII, 2, 3. Zosimus lib. III, c. 5), id neque ad hoc tempus pertinet neque quidquam simile habet cum frumento, quod in Sicilia emi et imperari solebat.

*) Lipsius sine codicum ope vidit scribendum esse *exactionem*, Walchius, et alii qui nossent librorum discrepantiam, corruptelam *auctionem* defenderunt. Vide, quantum veteres artis criticae principes ab Walchiis nostris differant.

**) Admisit hoc Verres in Sicilia Verr. lib. II, 55, 138. idem dissuadet Cicero fratri ad Q. fr. I, 1, 8 *sumptus et tributa ab omnibus tolerari aequabiliter*.

stituta est quaedam *aequalitas*. Atque hanc ipsam ob caussam, ut Cicero refert Act. in Verr. lib. III, c. 82, 189 *haec aestumatio* *) *nata est initio, non ex praetorum aut consulum, sed ex aratorum et civitatum commodo — certe hoc ab aratore primum est profectum aut ab ea civitate, cui imperabatur: cum aut frumentum vendidisset aut servare vellet, aut in eum locum, quo imperabatur, portare nollet, petivit in beneficii loco et gratiae, ut sibi pro frumento quanti frumentum esset dare liceret. Ex huiusmodi principio atque ex liberalitate et accommodatione magistratuum consuetudo aestumationis introducta est.* ibid. 192 *Valet ista ratio in iis provinciis, in quibus u n u m p r e t i u m frumento esse non solet.* At avariores magistratus varias quaestus vias invenerunt, atque nostro quidem loco duplex potissimum eorum fraus et iniuria exempli caussa notatur. Altera factitabatur in iis regionibus, ubi erat inopia frumenti, et quod suppetivisset, omne iam coactum erat et in horreis Romanorum clausum. *Namque per ludibrium assidere clausis horreis et emere ultro frumentum ac luere pretio cogebantur* i. e. frumentum imperabatur iis, qui non haberent, quoniam quod habuerant a Romanis iam ante exactum erat, ut *emere ultro* **) (i. e. *noch obendrein, noch dazu,* non enim satis habebant Romani frumentum imperare quod haberent incolae) deberent. Nemo autem erat, a quo emerent, nisi Romani, qui omne frumentum, quod in ea regione suppetivisset, imperando exegissent et in horreis suis clausum tenerent ***). Itaque illi frumentum, quod usque imperarent Romani, emturi eorum horreis tanquam mendicantes *assidebant* †), i. e. certis diebus et horis, quibus clausa horrea emturis aperirentur, exspectabant, donec sibi quasi beneficii loco hoc daretur, ut emere possent. Sed ista quae videbatur, non erat vere emtio, nam dum pretium solvunt pro frumento emto, ipsum hoc frumentum, emerant enim quia imperatum erat, reddebant Romanis, ita ut in iisdem horreis maneret. Propterea addit Tacitus *ac pretio luere*, ubi *ac* idem fere est quod *sive, vel potius* ††) *(Sie mußten kaufen, das heißt mit gelde büßen).* *Pretio luere* quid sit, cognosce ex Liv. XXX, 37 *placuit quod darent non habuisse et a tuo procuratore e m i s s e, ex quo intelligi potest, nihil te aratoribus reliqui fecisse: potest illo quidquam esse certius, i n t u a p o t e s t a t e a t q u e t u i s h o r r e i s omne frumentum Siciliae per triennium atque omnes fructus agri decumani fuisse? — omne frumentum c l a u s u m et compressum tenebas.*

*) Ascon. ad Cic. Verr. Act. lib. I. §. 95 *Licebat enim magistratibus in usus suos frumentum accipere vel etiam pro frumento pretium, quae a e s t u m a t i o dicebatur: in qua re avarissimi quique infinitam pecuniam contrahebant, iniquum pretium sociis imperando.*

**) C. 31 *atque u l t r o a dominis aluntur.* Ann. III, 73. VI, 30. XIV, 14. Ter. Adelph. IV, 3, 4. Liv. V, 37.

***) Idem notatur in Verre Verr. lib. III, 77, 178 *nam ut illud missum faciam, permultos aratores in alteras decumas*

†) Seneca ep. 4 ut famem sitimque depellas, non est necesse superbis *assidere* liminibus.

††) De hac vi particulae *ac* explicativa vide Drakenb. ad Liv. XXXVIII, 49.

naves (per inducias captas) *reddi et homines utique inquiri; cetera quae abessent, aestimanda Scipioni permitti, atque ita pecunia luere Carthaginienses.* L. 9, §. 2 de statu lib. (Dig. XL, 7) *quae pecunia lui praestarique possunt.* Nostro loco *luere* absolute dictum est. Sin obiectum requiris, adde *imperata.* Dicunt enim Latini non solum *noxam, peccatum luere,* sed etiam *debitum luere, aes alienum luere* cett. Ergo id unum quaerebatur, ut pecunia a Britannis exprimeretur. Cur autem per istas ambages pecuniam exigebant? Quia frumenti exactione tanquam honesta praescriptione turpissimam tegebant rapinam, ut si forte apud Caesarem repetundarum arguerentur, parata esset *ratio defensionis* (Cic. Verr. III, 82, 190). Atque propterea Tacitus haec facta dicit *per ludibrium.* Nihil erat nisi rapina, sed quia frumenti nomine pecuniam extorquebant, speciem quandam legitimi tributi praetendebant, et in re manifesto turpi et illicita iure ac legibus se grassari velle simulabant *). De Puteolani scriptura *pretio vendere* indignum est disputare, haec enim re perversa est, dictione absona. Nam quicunque vendit, *pretio* vendit. Quod quidam interpretati sunt „pretio certo, statuto vendere“ id futile est et commenticium. Hoc dicunt Latini pretio *constituto* vendere (in Verr. III, §. 171). Quod conferre audent c. 12 *naturam* (τὴν φύσιν) *deesse,* c. 11 *habitum dedit,* id Walchio condono, non ignosco Walthero.

Altera vexationis et avaritiae ratione utebantur in iis regionibus, quae ita abundarent annona, ut illud quaestus genus exerceri non posset. Ibi *devortia itinerum et longinquitas regionum indicebatur, ut civitates, proximis hibernis, in remota et avia deferrent* **). His igitur quia frumento usque imperando pecunia extorqueri non poterat, longinqua et devia loca indicebantur quo frumentum portarent, *quamquam* proxima erant hiberna ***), in quae imperari posset, idque ea una de caussa, ut difficultate vecturae eo compellerentur, ut pro frumento pecuniam dare mallent. Addit Tacitus: *donec, quod omnibus in promptu erat, paucis lucrosum fieret.* In his verbis *quod omni-*

*) Similiter ab Augusto Ann. I, 10 abducta Neroni uxore, *per ludibrium pontifices consulti, an concepto necdum edito partu rite nuberet.* In re igitur nefaria videri vult omnia rite observasse.

**) Easdem artes novit Verres. Cic. Verr. III, 82, 190 *avariores magistratus instituerunt semper in ultima ac difficillima ad portandum loca frumentum imperare, ut vecturae difficultate ad quam vellent aestumationem pervenirent. In hoc genere facilior est existimatio quam reprehensio, ideo quod eum, qui hoc facit, avarum possumus existimare, crimen in eo constituere non tam facile possumus, quod videtur concedendum magistratibus nostris esse, ut iis quo loco velint, frumentum capere liceat.* Cf. etiam c. 84.

***) Ita haec verba intelligenda esse, vidit iam Pfitznerus p. 29. Bezzenberger et Halm frustra coniecerunt *pro proximis hibernis.* Illud *quamvis proxima essent hiberna* quidni sufficiat?

bus in promptu erat, vulgo refertur ad *frumentum*. At non ipsum frumentum eiusque copia lucrosa fiebat, sed vexatio. Neque male Ernesti: „aut non assequor acumen sententiae, aut merus lusus est in *omnibus* et *paucis*.“ Contra quem Waltherus: „quod omnibus in promptu est, inde nemini lucrum nasci solet, malis vero procuratoris eiusque ministrorum artibus factum est, ut sibi lucrosum fieret frumentum, licet eius penuria nullibi esset.“ Haec apte dicta essent, si primitus et simpliciter de *mercatoribus* sermo esset, qui, cum nulla alicuius rei penuria sit, tamen artibus pretia augent et accendunt. Neque Waltherus cum *sibi* substituit pro *paucis*, satisfecit ei, quod Ernesti desiderabat, ut, quod acumen inesset in oppositis *omnibus* et *paucis*, explicaretur. Deinde si omnibus ubique frumenti copia suppeteret, quae tandem erant illae artes Romanorum, quibus lucrum pararent? Tum quaero equidem cum Cicerone Verr. III, 83, 192 *Quid cuiusquam intererat, quo loco daret? neque enim portandum erat, et quo quisque vehere iussus erat, ibi tanti frumentum emeret, quanti domi vendidisset?* Novit artem Verres, quam aperit (c. 84) Cicero: *Tu, cum tibi ego frumentum in meis agris, denique cum in iis locis, in quibus es, versaris, rem geris, provinciam administras, paratus sim dare, angulum aliquem eligas provinciae reconditum ac derelictum? iubeas ibi me metiri, quo portare non expediat, ubi emere non possim?* Ex his vides illam per vecturae difficultatem quaesitam lucrandi artem nullum omnino locum habere, si omnibus frumentum in promptu sit i. e. large suppeditet. Ad aliorum veluti Walchii inanes paleas ventilandas et excutiendas nolo te invitare, apponam tibi, quibus Augusto Ernesti satisfactum foret. Tu igitur illud *quod omnibus in promptu erat* nolito ad frumentum referre, immo est illud: *id quod omnibus in promptu* i. e. manifestum *erat* *). Omnes enim persentiscebant et perspiciebant, istas vexationes istaque imperata id unum spectare, ut lucrum facerent Romani, excogitataque esse per avaritiam, ut pauci illi, qui rei frumentariae praeessent, accensi et cohortalini quaestum facerent. Iam quum illa verba quasi parenthetice interposita sint, non opus est ut in *omnibus* et *paucis* quoddam insit oppositorum acumen. Ceterum in ipsa re dixeris inesse aliquid, quod afferat sententiam talem, in qua non sine vi et gravitate illa verba sibi opposita sint. Nimirum, quia fraudem perspiciebant, omnes (Britanni) sunt exacerbati, lucrum qui caperent (accensi Romani) erant pauci. Ergo propter lucrum pauco-

*) Cic. de orat. I, 6, 23 *sed quum ea pateant in promptuque sint omnibus*. de off. I, 2, 6 *quae quamquam ita sunt in promptu, ut res disputatione non egeat*. 27, 95 *ut non recondita quadam ratione cernatur, sed sit in promptu*. II, 19, 68 *est enim in promptu*. Ceterum hanc horum quidem verborum interpretationem praeoccupatam video ab Halmio in Diurnis Antiquitatis VI, p. 726.

rum omnium incolarum animi exasperati sunt. Sed gravius est iam illud quaerere, quomodo verba *donec — lucrosum fieret* coniungenda sint cum antecedentibus. Quod si, ut vulgo fit, ea connectis cum iis quae proxime antegrediuntur, satis bona quidem enascitur sententia haecce: non destiterunt *) remotas et avias regiones indicere, donec lucrosum fieret, i. e. si qui paratos sese ostenderent ad frumentum, quo imperaretur, deferendum neque vecturae difficultate deterrerentur, ita ut spes pecuniam exprimendi intercideretur, tum eis remotiores et magis devias regiones indicebant, donec cett. Sed tamen haud scio an Tacitus, ut significaretur continuata ista impudentia, dicturus fuerit *in remotiora*. Deinde quaero, num lucrosa fuit una imperatae vecturae vexatio, quae altero loco notabatur? nonne illa quoque emendi frumenti necessitas imposita est, ut lucrosa esset? Iam tu porro mihi animum ad hoc advertas, singula membra huius enuntiati, alterum *per ludibrium — cogebantur*, alterum *devortia — deferrent*, nulla omnino particula copulativa coniuncta esse. Quid sibi vult hoc asyndeton? Est hoc ex eodem genere de quo supra (p. 70) disputavimus, quo alicuius rei duo exempla afferuntur, eaque ἀσυνδέτως idcirco se excipiunt, quia scriptor vult significare, plura ex eodem genere posse afferri. Hac igitur orationis forma iubemur haec quasi animo addere: aliasque similes vexationes excogitarunt, donec cett. Ita vero verba *donec — lucrosum fieret* pertinebunt ad omne illud vexationum genus (dieses ganze treiben), de quo sermo fuit, atque si verborum illorum subiectum quaeris — multi enim iam pronomen aliquod desiderabunt — totius enuntiati argumentum subiectum est, uti cap. 2 *Legimus, quum Aruleno Rustico Paetus Thrasea, Herennio S. Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse.*

Iam tu porro reminiscaris illud, quod saepe usu venit apud Graecos et Romanos, ut in contracta et elliptica dictione particula aliqua adsumat significationem quandam, qua ellipsis, ut ita dicam, oblitteretur et tegatur. Sic in enuntiatis quibusdam conditionalibus *ni* et a nobis redditur *doch*, et a Latinis ipsis commutatur cum *sed* particula **), sic *quin* et *quominus* (τὸ μὴ οὐ) multis in locis non potest nisi per *sed* verti (cf. ad cap. 20), sic apud Graecos ἕως ἂν *donec* nonnunquam est *dummodo*. (Soph. Ant. v. 215. Eur. Hec. v. 330. cf. me ad Antig. T. II. p. 115.) Atque sic haud scio an hoc

*) Hist. 1, 46 *tum locupletissimus quisque miles labore ac saevitia fatigari, donec vacationem emeret.* Ter. Phorm. II, 3, 72 *immo haud desinam, donec perfecero hoc.*

**) Liv. III, 25 *et forsitan ad ultimum impedivissent, sed novus subito additus terror est.* Iuven. III, 315 *poteram plures subnectere caussas, sed sol inclinat.* Lucan. 111, 597.

loco *donec* explicari possit *dummodo*, ut totus locus sic interpretandus videatur: Multa erant in quaestum reperta; cogebant frumentum emere, indicebant longinqua, vexabant aliis modis, dummodo lucrosum fieret, id quod omnibus in promptu erat, quapropter gravius ista tolerabantur ipso tributo. Ceterum si verba *per ludibrium*, quae ego ad primum vexationis modum rettuli, ad universum vexationum genus referenda censeas, nihil ego impedio.

C. 24. *Quinto expeditionum anno nave prima transgressus ignotas ad id tempus gentes — domuit.* Quid sit *nave prima*, multum quaesitum est. Buchnerus: „ut ante omnes esset scilicet, et metum periculo suo adimeret, quo consilio supra c. 18 *ipse ante agmen* fuisse memoratur." At non de proelio nunc quidem sermo est neque de adversis hostibus. Atque ubi de primo agmine navium in pugnam procedentium agitur, illae non *naves primae*, sed *primae naves* dicuntur. Caes. b. g. IV, 23 *ipse hora diei circiter quarta cum primis navibus Britanniam attigit.* Idem bello Alex. c. 15 *videris mihi vereri, si haec vada primis navibus intraveris, ne prius dimicare cogaris, quam reliquam classem possis exspectare.* Brotier explicat: „nave omnium prima, quae oras illas scrutari ausae sunt." Addendum tum certe erat nave prima Romana, neque omnino apte illud dicitur nisi de insula inaccessa, inanis enim est gloria, nave primum in regionem aliquam te venisse, si eandem terra adire potueras, id autem propter metum non ausus es. (Cf. c. 25 *quia infesta hostilis exercitus itinera timebantur.*) Aliis non *primus* Agricola, sed nave tum *primum* (mox terra) in eam regionem venisse dici videtur, at id quidem non patitur grammatica, non apte enim conferuntur loca, quae attulit Gronovius Observatt. I, c. 7. Mira excogitavit Sellingius, Agricolam interea Romae fuisse et prima nave in Britanniam denuo transgressum *).

Melius tum erat de mari in illis regionibus navigantibus aperto cogitare, ut, cum primum vere licuisset, Clotam transgressus diceretur. At desidero exempla, ubi *prima nave* aut *nave prima* hoc sensu dictum sit. Propterea Beckerus *vere primo*, Peerlkampius *aestate prima* legi voluerunt, non recordati illi, tum certe *primo vere* **), *prima aestate* scribendum fuisse. Verum quidquid his ma-

*) Huic adsentiens Waltherus mystica quaedam argumenta adfert de puero „sexto expeditionis anno" ei nato et „per hiemem" ante hanc quintam aestatem Romae a Domitia concepto. Diu profecto tum parturivit Domitia. Ceterum illam dubium non est in Britannia una cum marito fuisse ut alias feminas, uti Livia Augustum (Ann. III, 34), Plotina Traianum, Agrippina Germanicum (Ann. 1, 40), in provincias comitata est. Cf. Ann. III, 33. Ulpian. l. 4. de off. proc. Dig. 1, 16. Cf. etiam supra c. 6 *auctus est ibi filia.*

**) Mirum est Livium XXI, 21 de eadem re tum *primo vere* tum *vere primo* dicere. Altero loco corrigendum videtur, pariterque c. 5 *vere primo in Vaccaeos promotum bellum.*

chinis moliuntur, nihil puto profici, quia non id maxime quaeritur hoc loco, *quomodo* aut *quando* transgressus sit, sed id unum potissimum relatum exspectamus ab historico, quo transgressus sit anno quinto. Id quamvis ex cap. sequenti intelligatur, non tamen est boni scriptoris, incertum lectorem ad sequentia relegare. Itaque equidem nunc quoque tueor, quod olim conieci *proxima* *). Idem olim coniecit Riglerus, atque is quidem, haud scio an rectius, *in proxima* scribi voluit. Igitur quum ei non placuisset in terminis isthmi subsistere, primo anno in proxima trans Clotam sita transgressus est, altero anno remotiores civitates trans Bodotriam, quae non possent singulis navibus adiri, classe in virium partem adsumpta aditurus. Mutatio autem illa, ut pro *prima* scribatur *proxima*, admodum facilis est, quia ꝑma et ꝑma facile confunduntur. Cf. Drakenb. ad Liv. V, 47, 5. Spalding ad Quinct. VIII, 5, 35. Stürenburg ad Cic. de off. praef. p. IV. Sic Ann. II, 8 scribendum puto *proxima aestuaria* (cf. Ann. IV, 73 *igitur proxima aestuaria cett.*). Caes. b. g. IV, 25 antiquitus iam librarii fluctuasse videntur, utrum scriberent, hinc hodie coniunctim legitur *hos item ex proximis primis navibus quum conspexissent*, ubi alteram vocem delendam esse censuit Hotomannus. Ceterum non *nave*, sed *navi* scribendum arbitror. Videntur enim Latini, ubi non de navigio aliquo, sed de navigando agitur, *navi* scripsisse. Cic. ad Att. XIV, 20 *e Pompeiano navi advectus sum.* ad fam. IV, 12 *quum ab Epidauro Piraeeum navi advectus essem.* Plaut. Amph. 1, 1, 173 *lassus sum hercle e navi, ut vectus huc sum, etiamnunc nauseo.* Ter. Hec. III, 4, 7 *dies triginta aut plus eo in navi fui.* Contra Horat. ep. II, 2, 200 *nave ferar magna an parva, ferar unus et idem.* Virg. Aen. V, 188 *at media socios incedens nave per ipsos.* Plin. N. H. VII, 56 (57) *nave primus in Graeciam ex Aegypto Danaus advenit, antea ratibus navigabatur.* Hoc si verum est, scribendum erit apud Ter. Andr. V, 4, 20 *Atticus quidam olim nave fracta ad Andrum eiectus est.* Plaut. Poen. III, 3, 37 *atque istunc e nave exeuntem oneraria.* Cf. *vesperi, luci* Schneid. gr. lat. II, p. 233. 235. Bentleium ad Ter. Ad. V, 3, 55 „*luci* adverbium *i* littera terminatum." Cic. Phil. XII, 10 *quis enim audeat luci, quis bene comitatum aggredi?* Cf. Pareum lex. crit. p. 693. Antiquitus autem si *navi* scriptum fuerit, facile praepositio *in* excidere poterat. Sed ea carere nos posse facile dixeris coll. Ann. VI, 44 *propinqua Seleuciae adventabat.* Curt. III, 4, 1 (9) *regionem, quae Castra Cyri*

*) Liv. XXXV, 51 *inde in proxima Euboeae mari est traiectus.* XXXVII, 11 *nocte in proxima Samiae terrae traiecit.* ibid. c. 12 *inde cum in proxima Samiae vellent traiicere.*

appellatur, pervenerat. IV, 8, 1 (33) *ut Mareotin paludem, haud procul insula Pharo sitam, venit.* Cf. Zumpt ad h. l. Poetarum exempla vide apud Stallbaum ad Ruddimanni Institut. T. II, p. 284, not. 38.

C. 34. *Quomodo silvas saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal contra ruere, pavida et inertia ipso agminis sono pelluntur, sic acerrimi Britannorum* cett. Uterque codex non *pelluntur* habet, sed *pellebantur,* quod vix poterit defendi; mihi quidem exempla non suppetunt imperfecti de re quae fieri soleat usurpati, nam in sententia generali adhibetur aoristus, sed forsitan antiquissimus codex hoc loco carie affectus fuerit, in quo si *pell...nt* reliquum fuerit, poteris *pelli solent* suspicari. Tum omnia bene procedunt. Puteolani scriptura *pelluntur* si aliquam haberet auctoritatem, tum pro *ruere* scribendum suspicarer *ruet.* Non licet enim ruêre suspicari, quia Latini, etsi dicunt *optimus quisque — moriuntur,* non tamen eodem modo *optimus quisque homo — moriuntur* unquam dixerunt. Cf. Haase ad Reisig. gramm. p. 325. Infinitivus autem locum non habet, quia neque poterit haberi pro infinitivo historico, quum non enarrentur res gestae, neque locus quidquam simile habet cum iis, in quibus *quum* (*quum interim*) in oratione obliqua cum infinitivo coniunctum est *), aut ubi *quum, ubi, postquam* infinitivum historicum adsumunt, et dupliciter quidem, ut aut addatur alterum aliquod factum **), aut protasin illa faciant adiuncto altero membro cum verbo finito ***), aut ubi *quomodo* est interrogandi particula †), aut ubi *ut — ita* non comparationi inservit, sed tanquam *μέν — δέ* aut *et — et* contraria copulat ††). Novam et prorsus inauditam rationem nuperrime excogitavit Ritterus, qui retinens Puteolani scripturam *pelluntur,* id dictum ait pro *pelli solent* et ab hac vocula *solent,* quam ipse animo sibi fingit, suspensum facit infinitivum *ruere.* Tales machinae grammatico prorsus sunt indignae.

C. 40. quod vulgo legitur *tranquillitatem atque otium penitus auxit,* nego a Tacito scribi potuisse. Aliud est *virtutem, vires, saevitiam augere* (Ann. XI, 19. IV, 24. Suet. Tib. 62), hoc in nostra potestate situm est, illud non est. Quid autem est *penitus augere?* Nuper quidam: „ultro captabat otiantis speciem.“ At quae

*) Liv. IV, 51. VI, 27. XXIII, 48. Krüger gramm. Unters. I. p. 57. Eodem modo *quia* cum infinitivo coniunctum legitur Liv. XXVI, 27.

**) Liv. II, 27. III, 37. Krüger I. p. 58. Kritz ad Sall. Iug. 98. Ann. II, 31. 40. IV, 50. VI, 44. XIII, 57. XIV, 5. Hist. III, 31.

***) Ann. II, 4. III, 26 *postquam exui aequalitas et ambitio incedebat.* XII, 51 *ubi quati uterus et viscera vibrantur.* Hist. III, 10. 31.

†) Liv. XXVI, 38. Krüger I. p. 10 sq.

††) Liv. III, 65. XXIII, 34. Krüger I. p. 77.

in speciem fiunt, non penitus fiunt (cf. Ann. 1, 52). Quid multa, tu repone *otium penitus hausit.* Litterarum ductus si quaeris, memineris, quam saepe in Taciti maxime codd. littera *h* aut omittatur aut addatur, cf. *abili, exordeo, ortos, inexausta* cett. pro *habili, ex. hordeo, hortos, inexhausta* (Massmann ad Germ. p. 209). Ipsum *hausit* et *auxit*, *haustus* et *auctus* saepissime confundi exemplis docet Drakenb. ad Liv. II, 43, 3. ad Sil. Ital. IX, 230. Walch. Emend. Liv. p. 163. Sed mittamus apices, ad sententiam autem vide, quomodo omnia quadrent. Nam uti *otio frui, otio satiari* (Cic. de off. III, 1. Plin. ep. VII, 7) Latini dicunt, ita *otium haurire* pariter dicent atque *libertatem haurire.* Liv. XXXIX, 26 *insolenter et immodice abuti Thessalos indulgentia populi Romani velut ex diutina siti nimis avide meram haurientes libertatem.* Sic *voluptate, gaudio, luce* non modo se *frui*, sed etiam eam *haurire* dicunt. (Hist. III, 2 *tanto cupidius voluptates hausisse.*) *Poculum libertatis* satis nota est metaphora. Cf. Theodorum Metochitam apud Muret. Var. Lect. VII, 17. Atque nunc demum intelliges, quid sit *penitus.* Cf. dial. de orat. 30 *se omnes philosophiae partes penitus hausisse.*

C. 43. *nec quisquam audita morte Agricolae aut laetatus est aut statim oblitus est. Augebat miserationem constans rumor, veneno interceptum.* Duplex *est* non ferendum esse quum plerique intelligerent, alii priori, alii altero loco *est* deletum volebant. Scribendum autem est, quod amicus quidam mihi persuasit, *aut laetatus est aut statim oblitus. Et augebat miserationem.* Cf. c. 41 *Et ea insecuta sunt tempora.* c. 29 *Et in luctu bellum inter remedia erat.* Ann. II, 57 *Et erat, ut rettuli clementior.* Ann. II, 69 *Et reperiebantur erutae reliquiae.* Hist. II, 70 *Et erant quos — misericordia subiret.* Alibi lectori scire cupienti, quid deinceps consecutum sit, quod tum evenerit, narratur. c. 17 *Et terrorem statim intulit Petilius.* c. 26 *Et propinqua luce fulsere signa.* Ann. I, 11 *Et ille varie disserebat* cett. II, 28 *et vocantur patres.* II, 50 *et Apuleiam — arcessebat* cett. XIII, 56 *et commotus his Avitus* cett. XV, 27 *et venientes de pace legatos* cett. *).

*) Singularem aliquam vim habet ista particula aliis locis, veluti Cic. pro Mil. c. 13 *Et aspexit me illis quidem oculis, quibus tum solebat, quum omnibus omnia minabatur. Movet me quippe lumen curiae* i. e. *Sah er mich doch an mit jenem Blicke* cett. sc. ut non perturbari non possem. Hoc eodem modo Graeci. Soph. Philoct. 634:

ἀλλ ἐστ᾽ ἐκείνῳ πάντα λεκτὰ, πάντα δὲ τολμητά. καὶ νῦν οἶδ᾽ ὁθούνεχ᾽ ἵξεται.

i. e. er mag nun reden und aufstellen, was er will; weiss ich *doch* nun, in welcher absicht er kommt. Eaedem particulae *et — quidem* restituendae sunt Liv. IV, 3 *altera connubium petimus, quod finitimis externisque dari solet. Et nos quidem civitatem, quae plus quam connubium est, hostibus etiam victis dedimus.* Geben wir doch das bürgerrecht, was noch viel mehr ist als das connubium, den feinden. Ibi *et* propter ante-

Transpositione verborum perpaucis in locis opus est. C. 14 recte iam Rhenanus transposita vocula *ut* scripsit *vetere — populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et reges.* Alioquin deesset subiectum grammaticum. Nissenius proposuit ut scriberetur *haberentur*, sed magis placet Rhenani medela. Itidem c. 37 dubium non est quin recte Puteolanus transposuerit vocem *collecti*, idemque, quod deinceps libri praebent *locorum ignari*, recte mutavit in *locorum ignaros*. Peerlkampius, ut libris patrocinaretur, scribendum suadebat *collecti et locorum gnari*. At neque concinunt copulata verba *collecti et locorum gnari*, neque *incautos* suo loco positum est. Atque ne tale quid ex terminatione, quam illa vox in libris habet, eliciendum suspiceris, intelligendum est, loco semel corrupto librarios verba reliqua pro captu suo ex arbitrio refinxisse. Haec sciolorum librariorum libido aliis quoque in locis comparet, velut si c. 9 scripsere *nullam ultra potestatis personam*. c. 11 *posita contra Hispaniam*, utroque loco illis, quas putabant, praepositionibus suos casus adaptaturi. Eodem modo antiquitus ignorata verborum constructione inducti sunt ut c. 9 scriberent *ne famam quidem — ostentandam virtute*. c. 3 *multis fortuitis casibus*. c. 30 *postquam cuncta vastantibus defuere terram et mare scrutantur*. c. 21 *eoque in bello faciles*. c. 15 *centurionis alterius*. Mitto permulta eiusmodi codicis Δ vitia, cuius scriba non propter nescio quam doctrinam, sed propter inscitiam peccavit.

Sed transponendo ad integritatem restituendus erit locus de insula Thule c. 10. Omitto Puteolani portentosum commentum, mitto, quae multa olim ab editoribus de loco ab illo deformato frustra disputata sunt. Accedamus statim ad librorum memoriam, qui sic habent: *Dispecta est et Thule q_s hactenus iussum et hiems appetebat. Sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent* cett. In his ut intelligas, quid sit *hactenus iussum* legas c. 38, ubi narratur: *praefecto classis circumvehi Britanniam praecipit. Datae ad id vires, et praecesserat terror.* Mox ille *proximo Britanniae latere lecto omni* rediit. Quod ille *lecto omni latere proximo* (i. e. ad orientem vergente) statim rediit, ex eo cognoscere licet, id unum ei praeceptum esse, ut eo usque veheretur, donec Britanniam insulam esse cognosset. Id autem quum fieri non posset nisi ita, ut praeterveheretur Orcadas insulas, quarum fama Claudii iam tem-

gressam syllabam omissa, restituenda itidem Cic. Brut. 2, 6 *Etenim, si viveret Hortensius — orbatum sentiret. Et equidem angor animo* cett. Liv. XXII, 25 *cum laeta civitate dictator unus nihil nec famae nec litteris crederet, et, ut vera omnia essent, secunda se magis quam adversa timere diceret.* „Asyndeton" hoc loco non ferendum. Cic. pro Mil. 19, 49 scribendum censeo: *quae caussa, cur Romam properaret, cur in noctem se coniiceret? Ecquid afferebat festinationis, quod heres erat?* (Cf. Drakenb. ad Liv. V, 36.)

pore Romam pervaserat, propterea *datae ei vires* sunt, ut si ab illarum incolis lacesseretur, defendere se et ipsas insulas domare posset. Ille igitur quum et insulas illas domuisset et satis cognosset insulam esse Britanniam, redeundum sibi neque ulterius navigandum putavit, nam et illud expleverat, quod unum maxime mandatum erat, et *hiems appetebat* i. e. appropinquabat. Iam ut sententia recte procedat, scribendum puto: *sed hactenus* (i. e. usque ad Orcadas) *iussum et hiems appetebat.* Tu vide, quae sequuntur: *Sed mare pigrum perhibent.* Non assequor equidem, quid hoc loco *sed* sibi velit, nam quibus de caussis ille non ad ipsam Thulen accesserit, iam dictum est, et quum antea non de mari, sed de terra sermo fuisset, non poteris dicere *sed* ideo dictum esse, quia post digressionem ad maris descriptionem redeat. At tu transponas hanc particulam in lineam antecedentem, tum eo loco posita erit, ubi cum maxime eam desiderabis. Quod isto in loco in cod. Δ legitur *quia* (cod. Γ habet compendium q_8) id deinceps additum videtur, quia omissa *sed* particula hiulca erat oratio. (Erat, quum scribi vellem *Dispecta est et Thule quoque, sed* cett. De *et* — *quoque* cf. Zumpt ad Verrin. lib. I, 4, 11.) Bezzenberger coniecit *quum hactenus iussum* suppleto *esset*, quod interpretatur: *quum nihil nisi dispicere iussum esset.* Multis nominibus hoc non ferendum est. Nam *quum hactenus iussum et hiems appetebat* latine dici non potest pro *iussum esset*, quod tum demum probari posset, si *appeteret* scriptum esset. Deinde *dispicere* necesse foret ut significaret: nach etwas ausschauen, lugen, at neque videtur hoc significare alias, neque nostro loco, si quis primum haec legit, facile cuiquam hoc in mentem venit. Tum illud *nihil nisi*, quod addit Bezzenberger, vix omittere poterat Tacitus. Ritterus nuperrime scripsit *nam hactenus iussum*, quod interpretatur: „praeceptum est classi, ut rediret neque ad Thulen progrederetur: ea caussa erat, cur insula tantum dispiceretur. Verbis *et hiems appetebat* dictum est, cur illud iuberetur.“ Ubi tandem legitur, praeceptum esse classi, ut rediret, et quis est, qui praecepit? An Agricola alias naves submisit cum mandatis? *Iussum* non potest referri nisi ad ea mandata, quae praefectus classi acceperat, cum proficisceretur. Ea qualia fuerint, indicavimus. *Nam* si ferri posset, dudum ego ex codicibus *quia* reposuissem. Iacob nuper: *quando hactenus iussum*, „auch sah man nebelhaft in der ferne Thule, da nur bis so weit nach dieser insel umzuschauen der befehl ging.“ Ut alia omittam, tum Tacitus profecto scripsisset: *Thule est dispecta.* Ceterum totum enuntiatum *Hanc oram* — *appetebat* pro parenthesi habendum erit, interposita illa descriptioni Britanniae.

Lacunas aliquot in locis inveniri non mirum est, quum unus tantum codex olim aetatem tulisset.

Cap. 27. *At Britanni, non virtute sed occasione et arte ducis ** rati,* incertum est utrum unum verbum an tota linea exciderit. Frustra in talibus locis opera consumitur.

C. 17. codicum scriptura *Et Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset. Sustinuitque molem Iulius Frontinus, vir magnus, quantum licebat* manifesta praebet lacunae vestigia, quam cum explere ausus esset Puteolanus, in explicandis eius commentis interpretes nostri non modo naufragium fecerunt, sed etiam insipientiae dedecus in se receperunt. Vulgo igitur legebatur: *Et cum Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset, sustinuit quoque molem Iulius Frontinus, vir magnus, quantum licebat.* Quod quam insulsum sit, satis cognoscitur ex interpretum, inprimis Walchii mirificis experimentis. Statim ab initio ruunt et suis se laqueis irretiunt. *Alterum successorem* Broterius dicit esse ipsum Iulium Frontinum. Quod cum fieri nequeat, ut idem homo et successor sit et alter successor, aliud quid comminiscitur Walchius, quod vix tirone dignum est. Confundit enim *alter* cum *alius*. Nam illud quidem satis constat, *alterum* esse tum τὸν ἕτερον tum ἕτερόν τινα, ἄλλον τινά, *alium quem* *), *quemvis alium*, at nunquam *alter* dici potest pro attributivo *alius* i. e. *aliter comparatus*, diversus, sive maior, sive minor. Perverse igitur *alterum successorem* dicit „*einen anderen d. h. größeren nachfolger*," neque melius Waltherus ab illo in errorem inductus: „non ita strenuum et magnum virum, quam fuit Frontinus."

Deinde *sustinuit quoque molem Frontinus* ita explicant, quasi scriptum sit: *tamen Frontinus quoque molem sustinuit: „Wiewohl Cerialis — — leistete doch auch Frontinus seinem amte genüge."* *Tamen* sane omitti poterat, verum *quoque — Frontinus* non dici poterat pro *Frontinus quoque*. In nulla autem re magis laborant, quam in eo, quid sit *quantum licebat*. Quod Brotier explicat: „sustinuit molem, quantum licebat, magno enim viro succedere semper difficillimum; nec eadem tantum virtus, sed maior requiritur, ut quis post magnum virum magnus ipse habeatur," id hoc uno argumento satis redarguitur: difficultas, quam subit is, qui magno viro succedit, eam Latini non *molem* dicunt, sed *onus* **). *Moles* in una

*) c. 5 *consiliis ductuque alterius*. Hist. II, 90 *tanquam apud alterius civitatis senatum*. An. XV, 25 *ne cuius alterius inscitia rursum peccaretur*. Liv. X, 2, 9 *altero itinere*. XXVIII, 37 *nec quisquam alterius gentis* cett. Cic. de off. I, 2 *si cum altero contrahas*. Tusc. II, 17, 39 *qui alteri exitium parat*.

**) Plin. paneg. 44 *quam sit onerosum succedere bono principi*. Plin. ep. VII, 24 *onerat te quaesturae tuae fama, onerat testimonium principis*. Cic. de off. III, 2, 6

ipsius rei difficultate posita est *). Deinde quam elumbis et enervata est ista oratio: „quamquam difficile erat, post talem virum magnum se praebere, tamen hoc onus Frontinus sustinebat *quantum licebat.*“ Exspectaveris potius: mirifice tamen vel sic exsplenduit eximia Frontini virtus. Alii *quantum licebat* explicant: „pro virium suarum modulo,“ at hoc cum in quemque alium cadit, tum eadem premitur orationis insulsitate, quum restrictione illa omnis vis elevetur eorum, quae magno hiatu inchoata erant. Alii *quantum licebat* referunt ad tempora, quibus magna fama periculosa fuerit. Verum non de Neronis et Domitiani seculo agitur, sed de Vespasiano, ubi primum *magni duces* exstiterunt. Peius adeo est, si qui non *sustinuit*, sed verba *vir magnus* limitari et restringi putant, quod etiam odiosum est, quia alibi Iulius Frontinus insignis nominatur **). Tali igitur viro non existimandus est Tacitus talem maculam inussisse, ut eum notaret virum magnum fuisse, *quantum licebat.* Sed quam perversa sint illa verba, optime cognosces, si totam sententiam ante oculos ponas, qualem repraesentat Walchius: Doch wiewohl Cerialis auch eines anderen d. h. gröſseren nachfolgers ruhm hätte verdunkeln können, leistete doch auch Frontinus seinem amte genüge, ein groſser mann, so weit es vergönnt.“ Quam contorte haec dicta sint, facile vides; priora non possunt nisi in laudem Petilii, reliqua nisi in Frontini ignominiam et contumeliam iactata accipi.

Tu igitur locum puta mutilatum, sic iam scribendum: *Et Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset * * sustinuitque molem Iulius Frontinus, vir magnus, quantum licebat.* Iam si quaeris, *alter Petilii successor* quis dicatur, respondeo, is qui vere fuit: Agricola. Huius igitur *curam* i. e. rerum gerendarum studium *et famam Petilius obruisset*, i. e. omnia ipse ita peregisset et iam tum Britanniam debellasset, ut, cui postea contigit his rebus inclarescere, Agricolae, omnis rerum gerendarum oppor-

suscepisti onus praeterea grave et Athenarum et Cratippi. de rep. I, 23 *permagnam tu quidem exspectationem, quod o n u s est ei, qui magnis de rebus dicturus est, gravissimum, imponis orationi meae.* Liv. 6, 6 *ingens inde onus a populo Romano, magnum a senatu talibus i u d i c i i s eius ordinis imponi.*

*) Liv. VIII, 29 *cui maior moles rerum imposita erat.* 30, 21 *omni belli mole in unum ducem exercitumque inclinata.* Vide Ern. Gloss. Liv. T. Ann. 1, 45 *sic compositis praesentibus haud minor moles supererat.* XIII, 6 *quemadmodum princeps vix septendecim annos egressus suscipere eam molem aut propulsare posset.* XIII, 35 *Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum quam contra hostium perfidiam erat.* Hist. II, 74 *sed in tanta mole belli.*

**) Plin. ep. IV, 8, 3 *mihi vero etiam illud gratulatione dignum videtur, quod successi* (in auguratu) *Iulio Frontino p r i n c i p i v i r o.* ep. IX, 19 *addis etiam melius rectiusque Frontinum, quod vetuerit omnino monimentum sibi fieri.* Idem Frontinus scripsit commentarium *de aquaeductibus, strategemata* et librum, qui deperiit, *de re militari.*

tunitas subtracta neque quidquam laudis et famae relicta esset, [*sed subito medio in cursu exstinctus est*]. *Obruere* iam suo loco positum est, hoc enim non est, ut vulgo h. l. interpretantur, „verdunkeln,“ id est *obscurare, inumbrare.* Plin. paneg. c. 19 *est haec natura sideribus, ut parva et exilia validiorum exortus obscuret: similiter imperatoris adventu legatorum dignitas inumbratur.* Quae obscurantur, non exsplendescunt et pallida sunt, at quae *obruuntur*, ea plane non cernuntur quasi sepulta *).

Iulius Frontinus, qui anno 824 praetor urbanus fuit, videtur in Britannia tum legatus praetorius fuisse. Subito fatali casu quum exstingueretur Petilius Cerialis, ille, ut primus legatorum, in consularis locum succedere debebat. At cum nesciret totius belli quam Petilius sibi descripserat rationem, qui magna consilia agitasset et magnam Britanniae partem bello amplexus esset, magnam sane sustinuit molem, quum quae ille inchoasset, ei perficienda essent. Hanc igitur molem sustinuit, *quantum licebat.* Atque videtur cum legione sua aliam plane regionem obtinuisse, quam in qua Petilio duce summae res gererentur. Hinc *locorum quoque difficultates eluctandae* erant, antequam in eam regionem veniret, ubi primaria esset sedes belli.

Melius accidit alii loco mutilato, in quo quae in codd. ΔΓ interciderunt, in codice Ursini nobis conservata sunt. Cap. enim 44 quod vulgo legebatur: *Nam sicuti durare in hac beatissimi seculi luce ac principem Traianum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur, ita festinatae mortis grande solatium tulit, evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus — rempublicam exhausit,* id mancum et hiulcum esse, iam olim senserunt nonnulli viri docti; contra alii multi fuerunt, qui verba illa, ut sunt, explicare conarentur, nimirum ad ellipses confugientes et ad zeugmatum armamentaria. Ex quibus quia arma petere non placet, nolo equidem impari pugna cum illis certare. Unum locum, quem ut similem certatim excitant ex Germania c. 2, supra iam (p. 51) illis subduxi, nec reliqua, quae contendunt exempla, simile quicquam habent. Bene nonnulla contra eos disputavit Walchius. Iam vero Rhenanus, Lipsius, Gronovius, Walchius difficultates expediri posse putabant omissa vocula *quod.* Et Walchius quidem interpretem agit substituta hac periphrasi: *Etenim, quamquam vitam se propagaturum esse in temporum horum felicitate, atque Traianum regnantem visurum, ET auguriis ominabatur, ET votis concupiscebat, mor-*

*) Cic. de orat. 1, 25, 116 *ita quidquid est, in quo offenditur, id etiam illa quae laudanda sunt obruit.* pro Arch. 10, 24 *idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruisset.* Saepe legitur *oblivio obruit* c. 46. Cic. pro Deiot. 13, 37. de fin. I, 17, 57.

tis tamen, quae hac felicitate eum privasse videri possit, grande solatium tulit, quod evaserat cett. Habent haec primo adspectu quandam speciem veritatis, at si introspexeris singula, futilia et inania comparent.

Ac primum quidem *durare in hac luce ac videre — ominabatur* non potest latine dici pro *se duraturum ac visurum esse ominabatur.* Nam in quibus exemplis infinitivus pro futuro dictum videtur (cf. Reisig et Haase gramm. lat. p. 497; quae ipse Walchius excitat exempla *), ea parum apta sunt), in iis ille infinitivus aut usum habet gerundivum i. e. non magis futurum tempus quam praesens denotat, eodem modo usurpatum, quo nos Germani infinitivo praesentis, Graeci autem aoristi sui infinitivo utuntur, aut vere praesens tempus significat, quia aut de facultate rei agitur, quae praesenti iam tempore in aliquo inest, aut de re, quae nunc incipit fieri. At ubi expresse dicendum est, aliquid non nunc fieri, sed posthac eventurum esse, tum infinitivo futuri non modo Latini, sed ne nos quidem supersedere possumus. Nostro igitur loco quia futura praesentibus opponuntur, non locum habet infinitivus praesentis. Hoc tuber ut magis exulceraretur, curavit nuper Ritterus, qui Walchii rationem amplexus ex sua coniectura addidit *videre quondam augurio — ominabatur.*

Sed ne poterat quidem Tacitus dicere *ominabatur se duraturum esse in hac luce,* quoniam ei non in animo erat dicere, falsa Agricolam ominatum esse. Nam quod ipse Tacitus dicit *quod augurio votisque ominabatur,* id pertinet ad unum Traiani principatum, non ad diuturniorem Agricolae vitam. Non fugisse hoc videtur Walchium, propterea novas iam machinas molitur substituendo *ET augurio ET votis ominabatur*, ut esset *et augurio ominabatur et votis concupiscebat.* Non hoc ausus esset, si particulae *que* vim ponderasset. Multum enim differunt *et dominus et servus* et *dominus servusque.* Haec vides Walchium eo consilio machinatum esse, ut vox *votis* efferretur, indeque illud *concupiscebat* elici posset, atque id quod Agricola concupiverit tanquam contrarium oppositum videretur iis, quae vere consecutus sit. At quae sibi opponuntur, ea apud scriptores, qui recte et emendate scribunt, expresse et elate significantur, non obiter per epenthesin aliis adnectuntur. At-

*) Liv. XXIV, 18 *pecuniae quoque pupillares coeptae conferri, nusquam eas tutius sanctiusque deponere credentibus qui deferebant, quam in publica fide* i. e. illi tum et deponebant et se deponere credebant tutissime. Sall. Iug. 33 *pars in vincula duci iubebat* infinitivus futuri non locum habebat ullo modo. Tac. ann. XIV, 14 *ratus dedecus molliri, si plures foedasset* i. e. putabat *solere* tale decus molliri, si plures communicarent. Curt. IV, 14, 23 *an creditis aequo animo iis servire, quorum reges esse fastidiunt?* i. e. an creditis eos tam abiecto et servili animo esse, ut serviant iis cett.

que *vota*, quae Agricola addidit augurio, ea haud scio an fuerint vota pro republica nuncupata, quae si Agricola sperare posset rata futura esse, non solatio opus erat magno et excelso viro, si haec tempora ipse non videret.

Verba denique *ita festinatae mortis grande solatium tulit, evasisse postremum illud tempus* vertit Walchius: *so nahm er von dem beschleunigten tode doch den grofsen trost mit sich, entgangen zu sein* cett. sive, ut Böttícherus reddit: *so ward ihm doch bei seines todes beschleunigung der grofse trost, noch entkommen zu sein jener letzten schreckenszeit.* Non video equidem, quomodo moribundus aliquis solatii quid capere possit ex iis, quae post eius mortem evenerunt, quae nimirum nescit eventura esse. Agricolam igitur, qui faustissima quaeque de futuro tempore ominatus esse dicitur, eum putemus eodem tempore se consolatum esse, quod quae imminerent foeda et misera moriendo esset evasurus? Sed fingamus, vide quam non restricti simus, Agricolam praesagiisse haec, quae proxime instarent, Domitiani saeva et atrocia facinora, tu iam adverte animum, quam fuerit Agricolae horum cogitatio quasi grata et accepta, quippe ex quibus grande solatium hauriret festinatae mortis. Ergo Agricola moriens, quum filiam suam et generum, quum coniugem, quum cives suos tristissima tempora manere animo videret, tamen *grandi* eo solatio utebatur, semet ipsum morte ea evasurum esse, suis ea perpetienda et exhaurienda relinquere? Quam magno vir et excelso animo fuit Agricola! At enim paullo ante dicitur *beatus futura effugisse filia atque uxore superstitibus.* Haec quidem praestanda relinquo Taciti editoribus; ipsum Tacitum ita non scripsisse equidem paullo post docebo.

Sed satis multa ad refellendam Walchii interpretationem. Manifestum est cuique, non hic agi de ratiocinatione aliqua ipsius Agricolae, qui quamquam diutius vivere cupiverit, tamen frustratae huius spei solatium ipse hauserit ex mortis opportunitate. Agitur potius de cogitationibus suorum maximeque generi sui Taciti, qui quamquam nunc, quum haec scribit, quam maxime optaret, ut Agricolae contigisset, ut felicissima haec sub Traiano tempora videret, tamen de hac illi denegata felicitate ipse se consolatur eo solatio, quod proxima, quae post eius mortem ingruerunt tempora, non viderit vel potius ea *evaserit,* nam illa Domitiani crudelitate ipse Agricola inprimis periturus fuerat. Propter hanc igitur mortis opportunitatem suis Agricola videbatur beatus effugisse *).

*) Cf. Iustin. Iug. 14, 22 *Iamiam frater, animo meo carissime, quamquam tibi immaturo et unde minime decuit vita erepta est, tamen laetandum magis quam dolendum puto*

Tu igitur adhibito Ursini codice totum locum sic refingito: *Nam sicut* *magnae cuiusdam felicitatis esset* (male codex *esse* habet), *durare in hac beatissimi seculi luce ac principem Traianum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur, ita festinatae mortis grande solatium tulit evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus* cett. Neque dubito, quin I. A. Ernesti, nisi praeiudicata opinio de Ursini codice increbruisset, dudum illa verba in verborum contextum recepturus fuerit. Non enim difficile erat videre, *esset*, non *esse* scribendum. Verum enim vero Ritterus nuper improbavit, quod haec verba recipienda olim asserui, quae *colore Tacitino* ait *prorsus destituta sunt.* Habeat sibi Ritterus *colorem*, dummodo ea, quae reponenda dixi, Tacitinum habent succum et incorruptum sanguinem. Ceterum *magnae cuiusdam felicitatis esset* *), habet sane aliquid, quod Tullianum videatur **), verum in toto hoc epilogo ad oratorium dicendi genus Tacitus escendit, ut Ciceronem audire tibi videaris. *Esset* autem, quod Tacitus scripsit, non *fuisset*, quod non desideraturos puto latine doctos (cf. p. 47) simul documento est, retinendam esse librorum scripturam *durare in hac luce*, neque cum Acidalio scribendum *in hanc lucem* ***). Verborum sententia supra iam explicata est, reliquum est, ut *grande solatium tulit* i. e. grandi solatio hoc nobis fuit, defendamus. Walchius quidem, cum per totum enuntiatum subiectum grammaticum esse putaret Agricolam, vix aliter illud explicare potuit atque fecit. Atque vere Latini, certe poetae, *solatium fero* eodem modo dicunt †), uti *palmam, victoriam, praemium, gloriam, repulsam, primas,* alia *ferre* dicunt pro *referre.* Atque quum Walchius, haud scio an inscius et invitus, dupliciter illud intelligat, tum enim illas confert dictiones (p. 343.), tum patria lingua vertit: *er nahm den trost mit sich:* hoc quoque poetarum exemplis ††)

casum tuum, non enim regnum, sed fugam, exilium, egestatem et omnis has, quae me premunt, aerumnas cum ǎnima simul amisisti.

*) Quid tandem in his est non Tacitinum? an genitivus? Piget exempla adferre, sed cf. Plin. paneg. 61 *ut enim felicitatis est, quantum velis, posse, sic magnitudinis, velle quantum possis.*

**) Cic. Tusc. II, 4, 11 *te natura excelsum quendam videlicet et altum et humana despicientem genuit.* V, 10, 31 *quae sunt magni cuiusdam et alti viri.* Acad. II, 1 *incredibilis quaedam ingenii magnitudo — habuit enim divinam quandam memoriam rerum.* Lael. 9, 2 *admirabilis quaedam exardescit benevolentiae magnitudo.* Vide Beier ad Cic. de off. I, 15, 47. Kühner ad Cic. Tusc. II, 4, 11.

***) Si de optato quodam morientis Agricolae sermo esset, hoc recipiendum foret. cf. Ann. III, 16 *qui nostram ad iuventam duraverunt.* dial. de orat. 17 *nam Corvinus in medium usque Augusti principatum, Asinius paene ad extremum duravit.*

†) Lucan. Pharsal. II, 91 *solatia fati Carthago Mariusque tulit.* VIII, 314 *sed magna feram solatia mortis.*

††) Ovid. Met. V, 73 *et tulit ad manes iunctae solatia mortis.* 191 *magna feres tacitas solatia mortis ad umbras, a tanto cecidisse viro.* Lucan. VI, 802 *refer haec solatia tecum, placido manes patremque domumque exspectare sinu.*

defendi potest, at Tacitus ipse ita potius intellectum voluit: *grande solatium nobis* i l l u d *tulit, evasisse eum* cett., ut *ferre* h. l. neque *referre* sit neque *secum auferre*, sed *adferre*. Cf. Ann. IV, 66 *sed ut studia procerum et largitio principis adversum casus solatium* t u l e r a n t, *ita accusatorum maior in dies et infestior vis sine levamento grassabatur*. Cic. Lael. 27 *magnum tamen afferret mihi aetas ipsa solatium*. Iam uti plane idem valent hae dictiones: *magnam capio ex hac re voluptatem* (Cic. Brut. 40, 147 *itaque cepi voluptatem, tam ornatum virum tamque excellens ingenium fuisse in nostra republica*) et *haec res mihi affert voluptatem* et *haec res mihi est voluptati* (Cic. ad fam. 1, 7 *speroque et opto, nobis hanc coniunctionem voluptati fore*), ita *grande solatium fert haec res* idem erit quod *grandi solatio haec res est*, sive *grande solatium ex hac re capio*. Accedit quod respondet *magnae felicitatis* (hoc) *esset, durare*. Composita igitur haec sunt, *sicut felicissimum foret, (eum) durare in hac luce, ita grandi solatio* (nobis) *fuit, eum evasisse*. Nam *eum* facile animo intelligitur, quum inde a verbis *et ipse quidem* perpetuum subiectum logicum sit Agricola. Nunc denique plane suo loco positae sunt particulae *sicut — ita (zwar — doch)*, eodem modo usurpatae illae, uti alias *ut — ita**). Liv. XXI, 35 *elephanti* s i c u t *magna mora agebantur,* i t a *tutum ab hostibus agmen praebebant.* ibid. *pleraque Alpium ab Italia sicut breviora, ita arrectiora sunt.* c. 39 *convenerantque duces, sicut***) *inter se nondum satis noti, ita iam imbutus uterque quadam admiratione alterius.* XXXIV, 9 *quam* s i c u t *minoribus viribus quam Massilienses,* i t a *pari fide colebant****). T. Hist. I, 52 *multi in utroque exercitu sicut modesti quietique, ita mali et strenui*

*) Ann. 1, 12 *ut non toti reipublicae parem,* i t a *quaecunque pars sibi mandaretur, eius tutelam suscepturum.* 42 *nos,* u t *nondum eosdem,* i t a *ex illis ortos.* III, 43 *ut nondum aperta consensione,* i t a *viritim promptis studiis.* IV, 33 *ceterum ut profutura,* i t a *minimum oblectationis adferunt.* XI, 7 u t *minus decora haec,* i t a *haud frustra dicta ratus.* XIV, 45 u t *nemo unus contra ire ausus est,* i t a *dissonae voces respondebant.* XVI, 7 *mortem Poppaeae ut palam tristem,* i t a *recordantibus laetam.* Hist. 1, 7 *Capitonem* u t *avaritia et libidine foedum,* i t a *cogitatione rerum novarum abstinuisse.* II, 37 u t *concesserim —,* i t a *— reor.* IV, 80 u t *non pro spe sua excipitur,* i t a *neque averso imperatoris animo.* Liv. III, 55 *haec omnia* u t *invitis, ita non adversantibus patriciis transacta.* III, 65 u t *nimis feroces suos credere iuvenes esse,* i t a *malle suis quam adversariis superesse animos.* XXI, 29 u t *summae rerum prosperum eventum,* i t a *haud sane incruentam victoriam portendit.* 7 u t *locus satis aequus agendis vineis erat,* i t a *haud prospere coeptis succedebat.* 8 u t *quies erat,* i t a *ab opere non cessatum.* XXIII, 34 *exercitum ibi* u t *satis firmum pacatae provinciae,* i t a *parum bello, quod motum iri videretur.*

**) *sicuti* ex multis codd. scripsit Drakenb., quod in hac locutione mihi non videtur probandum. Quapropter etiam hoc Agricolae loco contra libros *sicut* scribendum putavi.

***) Drakenb. cum Gronov. *ita* male omisit, quia in plerisque codd. abest. At defectus iste non excusatur exemplo IX, 17, 4, ubi comparatio inest, nec altero XXXIX, 41, 1, ubi *sicut omni vita* per parenthesin additum est.

(sicut multi modesti, ita multi mali). dial. 37 *quae mala sicut non accidere melius est, ita, cum acciderent, ingentem eloquentiae materiem subministrabant.* Liv. XXIV, 19 *Marcellus multa magnis ducibus sicut non aggredienda, ita semel aggressis non dimittenda esse censendo* cett. XXXV, 51 *ea res Quintio sicut iactura militum molesta, ita adius inferendi Antiocho belli adiecisse aliquantum videbatur.*

Hic statim adiungam emendationem verborum, quae hoc eodem cap. 44 paullo ante leguntur, quae in codd. et apud Puteolanum melius distincta sunt, quam in nostris editionibus. Verba enim *filia atque uxore superstitibus* in codd. cum prioribus continuata ex Rhenani recensione novam incipiunt enunciationem: *Filia atque uxore superstitibus potest videri etiam beatus incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis futura effugisse.* In his primus offendit Sellingius. „Non video, ait ille, quomodo verba *filia atque uxore superstitibus* cum sequentibus cohaereant. Etenim si Agricola potest videri beatus futura effugisse, num, si filia atque uxor non superstites fuissent, non potuerat beatus videri futura effugisse"? Nempe gaudebat ille, quod ipse futura effugeret, filia autem atque uxor futuras miserias exhaurire deberent. Deinde si Agricola beatus videri poterat, quia *salvis affinitatibus et amicitiis* moreretur, nonne multo magis ad hanc felicitatem pertinebat, ut filia atque uxor salvae essent? Hinc Doederlinus illa verba vult transponi, ut iuxta haec legantur: *florente fama, filia atque uxore superstitibus, salvis affinitatibus et amicitiis futura effugisse.* At non reputavit Doederlinus, tum scribendum potius fuisse *filia atque uxore etiamtum vivis,* nam *superstites* is demum habet, qui mortuus est, non qui moriturus. Tu igitur cum Sellingio scribe potius: *Opibus nimiis non gaudebat, speciosae contigerant filiae atque uxori superstitibus. Potest* cett. i. e. opes nimias non expetendas putabat (*grosser reichthum hatte keinen reiz für ihn*)*); una autem caussa, propter quam opes expetere potuerat, ut superstitibus suis cautum esset, ea moveri non poterat, quoniam illis satis speciosae opes contigerant, quum uxor bona haberet a parentibus accepta, filia Tacito nupta satis locuples esset. Iam praeterea, quum codd. habeant *speciosae non contigerant,* possis coniectare, antiquitus scriptum fuisse *speciosae .n. contigerant* i. e. *speciosae enim con-*

*) Germ. 5 *ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis: numero gaudent.* c. 15 *gaudent praecipue finitimarum gentium donis.* Liv. XXXIV, 7 *haec feminarum insignia sunt, his gaudent ac delectantur.* Plin. nat. hist. VIII, 18 *obturbata proculcatione prius aqua* (bibunt); *aliter potu non gaudent.*

tigerant. Sententiarum certe ea ratio est, ut hac particula commode possint coniungi.

Glossemata in reliquis Taciti libris hic illic inserta esse, manifestis exemplis edocuit I. A. Ernesti in praefatione ad Taciti opera p. XLVII (ed. 1772) et ad Ann. XVI, 2. Hist. II, 98. III, 7. 20. Itidem in Agricola haud pauca inveniri eiusmodi additamenta demonstraturus, non ignoro equidem, quam et lubrica sit eiusmodi quaestio et multis invisa, praesertim quum in aliis scriptoribus recensendis non defuerint, qui quae ipsi non satis intelligerent tanquam adulterina eiicienda putarent, a qua iniuria ne hic quidem liber intactus fuit: sed quaedam talia sunt, ut a Tacito addi non potuisse manifestum sit. Talia igitur resecui. Sunt alia, quae suspecta mihi videntur, quae uncis inclusa laetabor, si alii defenderint a Tacito vere scripta esse.

Antiquitus iam enata esse eiusmodi interpretamenta, ex ipsis codicibus eorumque discrepantia cognoscitur. C. 45 in antiquissimo cod. scriptum fuit *nihil metus in vultu,* eaque scriptura conservata est in eo cod., ex quo Pomp. Laetus marginales lectiones desumsit. At antiquitus iam voci illi, non plane usitato modo usurpatae, adscriptum fuit interpretamentum: *et impetus.* Hoc substitutum est in genuinae lectionis locum in eo cod., quem habuit Pomponius Laetus. Hinc *Γ* habet *nihil impetus in vultu.* At codicis *Δ* scriba adsumsit illud additamentum, ut in eo utrumque iam legatur *nihil metus et impetus in vultu.* Quod c. 15 codd. habent plane simile glossema *servos,* idem iam in antiquo Ursini codice comparet. Quod si bene omisit Puteolanus, id casu magis fortuito quam consulto factum suspicor. Minus certe hoc in genere cavit Puteolanus c. 45, ubi, quia in margine codicis *Γ* ad verba *Albanam arcem* adscripta est glossa *villam,* propterea ille *Albanam arcem vilam* recepit.

Videamus iam alia interpretamenta, quae in ipsos codd. invaserunt. Cap. 12 *Solum, praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum, f e c u n d u m. Tarde mitescunt, cito proveniunt.* Vide, quam importune intrusum sit vocabulum *fecundum,* quo deleto facile procedit verborum structura, nam frugum mentioni adiicitur: *tarde mitescunt, cito proveniunt,* quae constructio turbatur interposito illo *fecundum.* Glossatori forsitan dictio *frugum patiens* poetica visa sit, ut eam vulgari voce explicandum putaret, sed tamen magis credo illum, quam apud seriores scriptores laudatam invenimus Britanniae fecunditatem (cf. Zosimum III. c. 5. Ammianum Marcellinum XVIII, 2, 3. Eumenium panegyr. in Constantin. c. 9. Pomp. Mel. III, 6, 4.) adnotare voluisse. I. A.

Ernesti autem illam vocem a Scheffero iam tentatam defensurus, verba illa sic explicat: „non modo accipit cultum Britannia, sed etiam copiosas fruges effert.“ Frustra. Ita enim scribendum foret *ac fecundum* vel *atque etiam fecundum*, ut in simili re Plin. ep. V, 6 *Coelum — myrtos, oleas aspernatur ac respuit, laurum tamen patitur atque etiam nitidissimam profert.* Asyndeton enim, quo gradatio fit ad graviora et maiora, non cadit nisi in oratoris dictionem verbaque rhetorico vigore pronuntiata, non in tam exilem et ieiunam narrationem *).

Asyndeton, quod mireris, deprehenditur c. 15. ubi legitur: *plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse.* In eo gradationem inesse putat Walchius, atque explicat *non modo plus impetus, sed etiam maiorem constantiam.* Cur non idem placuerat aliis, ut de coniecturis cogitarent? **) Quia in gradatione asyndeton tum demum locum habere sentiebant, si de talibus rebus agatur, quae in rerum natura ita connexae sunt, ut ex altera ad alteram gradum facias ***). At *impetus* militum quo maior est, eo minor solet esse constantia. Germ. 4 *magna corpora et tantum ad impetum valida.* Ann. II, 14 *iam corpus ut ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia.* Liv. V, 6 *nec impetu potius bella quam perseverantia gerat.* Iustin. 41, 2, 8 *Parthi intolerandi forent, si quantus his impetus est, vis tanta et perseverantia esset.* Iam hoc asyndeton non illis quidem accensendum puto, in quibus prorsus contraria sibi opponuntur, *maxima minima, ultro citro, prima postrema, dando accipiendo, adversa secunda, cominus eminus* (Hist. II, 42. V, 15. Liv. XXI, 34), *sursum deorsum, discordiae intestinae, bellum externum* (Liv. II, 31), *bellis terrestribus,*

*) Fuerunt, qui multum tribuerent verborum in codd. distinctioni *patiens: frugum fecundum* ideoque ad *patiens* aliquid animo suppleri vellent (*arborum* Doederlin., *Gewächse* Walth. Illud in ipsum verborum contextum recepit Ritterus). At qui novit, quam temere et oscitanter in codd. illae distinctionis notae appictae sint, non multum eas curabit, praesertim quum illa ellipsis ferri omnino non possit. Sunt, qui in disceptatione de hoc loco haereant in voce *frugum*, quia eius vim, qua differat a voce *fructus*, non satis accurate perceperunt. Sunt autem *fruges*, quaecunque terra *gignit; fructus*, qui *percipiuntur* ab hominibus. (Cf. Doederlin. synon. IV, p. 334.) Itaque arborum quoque qui plerumque *fructus* dicuntur, alibi *fruges* nominuntur. Liv. V, 33 dulcedine frugum maximeque vini voluptate captam. Serv. ad Virg. Georg. I, 55 fruges arboreae. Colum. IX, 1 fruges roburneae.

**) Ernesti non spernandam esse ait Acidalii coniecturam, post *impetus* omissum esse aliquid, quod ad Romanos pertineat opponaturque *miseris*, quasi dicere orator velit, *illis plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse.* At non debebat orator h. l. ullam Romanis tribuere virtutem.

***) Exempla apud Kritz. ad Sall. Iug. 20, 8. et Cat. 43, 2. Liv. III, 9, 4. Ann. XIV, 31 *captivos servos appellando.* Non tentandum erat Soph. Oed. Col. 1190 τὰ τῶν κακίστων, δυσσεβεστάτων. ibid. 1449 flagitante metro mecum repone βαρέ', ἄποτμα κακά.

navalibus (Liv. 37, 53, 9), *terra mari trepidatur* (Liv. XLI, 3), *armati inermes, fortes ignavi, pariter omnes capti; pedites equites; velim nolim*, alia (cf. Beier ad Cic. de off. 1, 17, 56. Kritz ad Sall. Iug. 60, 4). Sed puto esse ex eo genere, cui pleraque adnumeranda arbitror, quae hic illic Drakenb. ad Livium, alii excitant, in quibus res duae ita afferuntur, ut plures ex eodem genere res nominari posse significetur, neque plenam esse enumerationem singularum indigitetur. Sic initio cap. 11 *namque rutilae Caledoniam incolentium comae, magni artus Germanicam originem asseverant* *). Itaque illud intelligendum est, quasi dicat: *plus impetus, maiorem constantiam, alia penes miseros esse.* Argumento est, quod quum plerumque dicatur *ferro igni vastare*, id plenius pronuntiat Livius I, 59 *ferro, igni, quacunque dehinc vi possim*, saepissimeque *alia, similia, reliqua* tali asyndeto adiiciuntur. Exempla vide apud Goerenz ad Cic. de legg. III, 9, 20. Kritz ad Sall. Cat. 15. Quartum genus exemplorum erit, in quibus Zumptius ad Cic. Verrin. IV, 35, 77 existimat alteram vocem explicationis caussa priori additam. Ex alio genere sunt formulae sollemnes *sartum tectum* cett. cf. Hand Tursell. II, p. 472.

Eodem cap. 12 vix mihi tempero, quin in verbis *nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt*, vocem *utilius* si minus expungam, certe obelo tanquam suspectam designem. Quid ita? Estne satis latinum *utile pro nobis?* Est sane; nec minus latinum quam *pro Vespasiano magnifice, pro caussa fidenter* Hist. III, 9. *Accessit Galbae vox pro republica honesta, ipsi anceps* I, 5. *decorum pro caussa ratus* III, 7. *contumeliosa in Vitellium et pro se ipso popularia* II, 65. Neque ego de hac re verbum facerem, si modo alius quis praeter Romanos cogitari posset, cui illud aut minus utile aut non utile esset. Talem enim oppositionem desidero, ut commode et apte dictum videatur illud *utile pro nobis* **), quod peculiarem et longe aliam vim habet, quam si simpliciter addita esset enclitica *nobis*. Iam tu deleto illo additamento vide quam nervosa fiat

*) Cic. pro Deiot. 6, 28 *at id fieri potuit primo occultius in potione, in cibo* (*vel* delevit Madvig). de legg. II, 16, 41 *sed iam de periuriis, de incesto nihil sane hoc quidem loco disputandum est.* in Verr. lib. I, 48, 125 *aderant amici, propinqui.* II, 78, 192 *ab hac eius infamia, nequitia.* Ann. 1, 21 *affici verberibus, claudi carcere iubet. Sall. Iug.* 85, 7 *ut omnes labores, pericula consueta habeam.* Cat. 10 *his otium, divitiae, optandae aliis, oneri miseriaeque fuere.* ibid. *reges, tetrarchae vectigales esse, populi, nationes stipendia pendere.* Cf. p. 70.

**) Graeci tum dicunt *ὠφέλιμον ἐπί τινι.* Soph. Phil. 1384 *πῶς γάρ τις αἰσχύνοιτ' ἂν ὠφελούμενος; ΦΙ. λέγεις δ' Ἀτρείδαις ὄφελος, ἢ 'π' ἐμοὶ τάδε;* in quo ἐπὶ etiam ad Ἀτρείδαις retrahendum: *dicisne pro Atridis utile an pro me?*

oratio: *nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis, quam quod in commune non consulunt.* Cf. c. 32 *omnia victoriae incitamenta pro nobis sunt.* Hist. IV, 78 *et cuncta pro hostibus erant.* Liv. IX, 24 *et locus pro vobis et nox erit.* XXIX, 30 *et locus et genus pugnae pro hoste fuerunt.* XXVIII, 33 *Scipio pro se esse loci angustias ratus.* XXXII, 10 *pro his ordo et militaris disciplina et genus armorum erat, pro hoste loca et catapultae dispositae.* XXXVI, 17 *praecautum est, ne quid adversus vos in pugna praeter hostes esset.* Una ratio defendendae vulgatae scripturae haec erit, si explices, *nec aliud, adversus val. gentes pro nobis* (ὄν), *utilius est, quam quod* cett. Sed licet Sallustius Cat. 3 dicat *supra ea, veluti ficta, pro falsis ducit* i. e. quae *supra ea* sunt, tamen talia paullulum differunt, neque negandum, duram esse et parum commodam istam verborum constructionem. Sed tamen si pro: *eorum, quae ex re mea sunt, non aliud utilius est, quam quod* cett. dici posse putas: *non aliud ex re mea utilius est, quam* cett. tum bene se habet illa dictio. Nihil igitur decernam.

Quanta enim cautione in eiusmodi quaestione opus sit, expertus sum cap. 39, loco illi admodum simili. Ubi cum legatur: *cetera utcunque facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse,* facile in his cum I. A. Ernesti voculam *facilius* pro interpretamento habeas, praesertim quum ea legeris, quae, qui eius patrocinium suscepit, Walchius diversa commiscendo parum diligenter ad eam explicandam attulit.

Non huc pertinent exempla, in quibus ab illa particula protasis inchoatur, quam excipit apodosis, qualia sunt illa: *utcunque est, utcunque res se habet,* in qua *est* tum demum omitti potest, si additis particulis *sive — sive,* duae res, quae cogitari possunt, nominatim subiunguntur. Liv. XXXII, 3 *sed utcunque, seu iniuncta seu suscepta foret militia, et eam exhaustam esse.* Nihil differt, si alibi non *est,* sed aliud verbum adiunctum habet Liv. XL, 5 *utcunque tamen haec, sive errore humano seu casu seu necessitate inciderunt, bonum animum habe,* ubi *inciderunt* et ad *utcunque* et ad *sive—sive* referendum est*). Virg. Aen. VI, 823 *utcunque ferent ea facta minores, vincet amor patriae.* Plin. N. H. VI, 33 *nunc ipsarum partium magnitudo comparabitur, utcunque difficultatem afferet auctorum diversitas* i. e. quantacunque est difficultas, quam afferet auctorum diversitas**). Nonnunquam pro verbo finito parti-

*) Cf. Liv. XXXVIII, 47 *quibus* (tribunis) *ego gratias habeo, quod, seu mihi seu magnitudini rerum gestarum hoc dederunt, ut comprobarent honorem meum.*

**) Alibi *utcunque* in hoc genere est *prouti, proinde ut.* Liv. XXI, 35 *modo in primum modo in novissimum agmen* (concursabant), *utcunque aut locus opportunitatem daret aut*

cipium legitur: Liv. XLIV, 40 *verentibus nequicquam offendere in eo, quod, utcunque praetermissum, revocari non posset.* Vellei. II, 67 *adeo difficilis est hominibus utcunque conceptae spei mora.* Sueton. Tib. XI *filiae vel utcunque meritae**), *quidquid unquam dono dedisset, concedere.* His quidem exemplis transitus munitus est ad alterum genus, in quibus *utcunque* non protasin incipit, sed simpliciter adverbii vices sustinet, ita ut aut verbi alicuius aut adiectivi vis limitetur. Tum significat allenfalls, zur noth, leidlich, ziemlich, aliquatenus. Hic vocabuli illius usus non apud Ciceronem invenitur, sed proprius est seriorum scriptorum, Livii, Taciti, Plinii, Quinctiliani, aliorum, qui iidem vocem *qualiscunque* contra morem Tullianum tanquam uno adiectivo utuntur. Ann. XII, 51 *sed coniux gravida primam utcunque fugam ob metum hostilem et mariti caritatem toleravit, post festinatione continua, ubi quati uterus et viscera vibrantur, orare, ut morte honesta contumeliis captivitatis eximeretur.* Liv. XXIX, 15 *tempus esse, quaecunque dubiis in rebus utcunque tolerata essent, ea dempto iam tandem deum benignitate metu non ultra pati.* Plin. ep. V, 5 *sed hoc utcunque tolerabile, gravius illud, quod opus imperfectum reliquit.* Quinctil. Inst. II, 3, 4 *quae quamquam et ipsa reprehensione digna, securitas tamen esset utcunque tolerabilis, si eiusmodi praeceptores minus docerent, non peius.* Ann. XIV, 57 *non se, ut Burrum, diversas spes, sed solum incolumitatem Neronis spectare; cui caveri utcunque ab urbanis insidiis [praesentiora]***), *longinquos motus quonam modo comprimi posse?* Ann. II, 14 *primam utcunque aciem hastatam, caeteris praeusta ac brevia tela esse.* Huc pertinent etiam ea exempla, ubi intelligi potest *utcunque fieri potuit*, so weit dies möglich war, so gut es unter diesen umständen geht. Florus IV, 2, 51 *felicem utcunque in malis Pompeium, si eadem ipsum, quae exercitum eius fortuna traxisset.* Plin. ep. II, 11, 14 *utcunque tamen animum cogitationemque collegi*, quod plenius idem dicit Plinius ep. IX, 13:

progressi morative aliquam occasionem fecissent. Cic. orator. 17, 55 *ille — utcunque se affectum videri et animum audientis moveri volet, ita certum admovebit vocis sonum.* Liv. XXVI, 42 *stagnum incertae altitudinis, utcunque exaestuat, aut deficit mare.* Plaut. Poen. III, 5, 9 *utcunque est ventus, exin velum vertitur.* Cic. de off. I, 37, 135 *ad haec revocetur oratio, sed utcunque aderunt* (audientes); *neque enim omnes iisdem de rebus delectamur.* Cic. de div. II, 42, 89 *verum esse censent, proinde utcunque temperatus sit aer, ita pueros orientes animari atque formari.* Omitto exempla *ea*, ubi *utcunque* est pro *quandocunque.* Horat. Od. III, 4, 29. I, 17, 10.

*) pro Mil. 34, 93 *stet haec urbs praeclara mihique patria, quoquomodo erit merita de me.*

**) Frustra laborant interpretes in emendando aut explicando hoc verbo. Delendum videlicet est ut manifestum glossema, additum ab iis, qui, quod oppositum esset *longinquis*, desiderarent. Sed *urbanae insidiae* ipsae sunt praesentiores.

postea relationem meam, utcunque potui, *recollegi.* VI, 20, 19 *regressi Misenum curatis utcunque corporibus suspensam dubiamque noctem spe ac metu transegimus.* Sen. ad Helv. I *itaque utcunque conabar — reptare.* ibid. *utcunque connitar* cett.

Ex his, quae adhuc exposuimus, non ferendum erat, quod nostro loco scriptum legitur *caetera utcunque facilius dissimulari, nam quae utcunque* dissimulantur, ea neque *facile* neque *facilius* dissimulantur. Verum enim vero tertium est genus exemplorum. Nam subinde illud adverbium non ad unum aliquod verbum vel adiectivum pertinet, sed ad totum enuntiatum. Tum non significat *allenfalls,* sed quod nos dicimus *jedenfalls,* Latini alias *utique.* Plin. ep. I, 12, 2 *nam utcunque in illis, qui morbo finiuntur,* magnum *ex ipsa necessitate solatium est.* Ulpian. Dig. XLV, 1, 75. §. 8 *sed utcunque is, qui sibi electionem constituit adiectis verbis: utrum ego velim, potest videri certum stipulatus.* Paulus Dig. XLVII, 10, 26 *sed hoc utcunque tunc locum habere potest, quotiens ille, qui suadet, animum iniuriae faciendae habet.* Nostro loco simillimum est Quinct. Instit. IV, 1, 21 *et id quidem in consilio ampliore* utcunque tutius, — *apud singulos vero nunquam suaserim, nisi defecerint omnia,* quamquam comparativus ille *tutius* non conferri debet cum comparativo *facilius.* Nam *tutius* Graecorum more dictum videtur, qui constanter dicunt *ἄμεινόν ἐστι* (Buttmann ad Plat. Men. ind. p. 210. Heind. ad Plat. Gorg. 53), *ἀσφαλέστερόν ἐστι* (Plat. Phaed. p. 61. A.), atque sic Latini melius *erit tacuisse; satius puto* cett. Cic. pro Mil. 35, 95 *quo* tutior *esset vestra vita.* Seneca ep. 105 *ut* tutior *vivas.*

Foedissimum autem glossema invasit libros cap. 9 *ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona,* quibus vulgo additur tristitiam et arrogantiam et avaritiam *exuerat.* Haec verba, quae Peerlkampio iam suspecta fuerunt, tanquam e margine in ipsum librum translata, mihi utique delenda visa sunt. Nam qui vitia quaedam exuit, is antea iis laboraverit necesse est. Sunt autem illa vitia cum quovis praeside tum Agricolae persona prorsus indigna, ut, si ea in officio aliquando ostendisse diceretur, maxima ignominia ei inusta videretur. At enim illa non sunt vitia, ait Walchius. „Namque *tristitia* non est, ut Virdungus ait, nimia morum austeritas sive asperitas, quae sane indigna foret praeside provinciae.“ Immo *tristitia* peius et maius est vitium quam *austeritas.* Luculente hoc apparet ex Senecae verbis de ira I, 16 *tantumque a magnitudine animi ira, quantum a fortitudine audacia, a fiducia insolentia,* ab austeritate tristitia, *a severitate crudelitas.* ibid. II, 6 *iracundiae tristitia comes est.* Plin. ep. VIII, 21

pulcherrimum et honestissimum existimo, severitatem et comitatem miscere, ne illa in tristitiam, haec in petulantiam procedat. I, 10 *nullus horror in vultu, nulla tristitia, multum severitatis.* I, 2 *acres enim esse, non tristes volebamus.* Hist. I, 38 *ac ne qua saltem in successore Galbae spes esset, accersit ab exilio, quem tristitia et avaritia sui simillimum iudicabat.* I, 14 *aestimatione vera severus, deterius interpretantibus tristior habebatur.* Sen. de ira I, 1 *ut furentium certa indicia sunt, audax et minax vultus, tristis frons, torva facies* *).

Arrogantia deinde ut non adeo magnum videatur vitium, Walchius ea affert exempla, quibus contrarium egregie comprobatur. Ipse Tacitus saepissime illam ut vitium notat. Hist. 1, 51 *super avaritiam et arrogantiam, praecipua validiorum vitia.* Ann. I, 10 *quoniam arrogantiam saevitiamque Tiberii introspexerat.* XIII, 2 *Pallas tristi arrogantia — taedium sui moverat.* De *avaritia* non opus est dicere, quanquam huic quoque patrocinatur. Walchius. Alii ut largiuntur illa esse vitia, ita eum, qui vitia *exuisse* dicatur, non necesse esse aiunt antea his vitiis imbutum fuisse, sed *exuisse vitia* esse i. q. immunem, liberum esse a vitiis. At hoc non ullo loco probari potest, contra saepissime ii, qui *exuunt* vitia, opponuntur iis, qui ea retineant.

Alii dicunt, quum plerumque illis vitiis praesides provinciarum conspicui fuerint, ut illa quasi propria habita sint personae praesidis, Agricolam iam dici suam praesidis personam liberasse his vitiis, non igitur se, sed personam, quam gerebat, illis vitiis exuisse. Sic Ann. VI, 25 Agrippinam dici *virilibus curis feminarum vitia exuisse.* Haec primo quidem adspectu satis speciosa ubi accuratius inspexeris, ad sententiam plane perversa, ad grammaticam prorsus contorta apparebunt. Nam primum si Agricolam dicunt praesidis personam his vitiis exuisse, apparet eum dici liberum fuisse ab iis vitiis, quibus alii praesides laboraverint. At vero num tandem Agricola h. l. cum aliis comparatur p r a e s i d i b u s? Minime vero. Explicatur enim, qualis ipse fuerit in officio, qualis, ubi officio satisfactum. Tum deponebat potestatis personam i. e. non amplius *gravis,* non *intentus,* non *severus,* sed f a c i l i s, sed r e m i s s u s, sed ad omnem comitatem et hilaritatem proclivis erat, uno verbo, *nulla ultra potestatis persona.*

*) Walchius cum Donato ad Ter. Andr. V, 2, 16 Ciceronis verba Verr. act. I, 10, 30 *P. Sulpicius iudex tristis et integer,* in laudem dicta putat; uterque fallitur, sunt enim illa verba ex ore perditorum hominum desumta, quibus ipsa integritas Sulpicii summum vitium videtur, ideoque severitatem eius odioso nomine *tristitiae* calumniantur.

Iam vero illi, qui *personae* vitia Agricolam exuisse explicant, ad verba *tristitiam — exuerant* animo suppleri volunt vocem *ei* sive *personae*, quae scilicet vox modo commemorata sit. Hoc quum statuunt, grave admittunt peccatum, et plane novum Tacito obtrudunt dicendi genus. Nam si *personae* vitia eum exuisse dicunt, *personam* illi intelligunt praesidis m u n u s, at vero num tandem in verbis *nulla potestatis persona* haec vox eandem illam habet significationem? nonne *potestatis persona* in unam nationem coaluit *(amtsmiene)*, unamque significat *gravitatem*, *severitatem*, quam in officio ac munere in se recepit? Similiter Cicero severitatem suam in consulatu pro Mur. 3, 6 *gravitatis severitatisque personam ab republica sibi impositam* dicit, cui opponit *partes lenitatis et misericordiae*. Si quis igitur apud nos similiter diceret: *Der neue consul benahm sich ohne alle würde; er hatte s i e* (scilicet *die würde* i. e. *das amt) nur durch bestechung erlangt:* num hoc recte dictum, num ferendum putares? Atque talem unius balbutientis tironis sermunculum audebis Tacito tribuere eloquentissimo auctori?

Eidem glossatori haud scio an debeantur alia quaedam verba, quae in vicinia eodem capite interposita leguntur. *Iam vero tempora curarum remissionumque divisa: ubi conventus ac iudicia poscerent, gravis, intentus, severus et s a e p i u s m i s e r i c o r s; ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona.* Quid tandem sibi vult illud *et saepius misericors?* Non agitur hoc loco, quo animo iurisdictionem exercuerit Agricola, utrum aspere an clementer in eo versatus sit, utrum iuris rigore usus sit an misericordia. Istud quidem iam antea transactum erat, quum in iurisdictione *facile* eum *i u s t e q u e egisse* commemoraretur; nunc universe de curarum negotiorumque temporibus agitur, quae plane diversa fuerint a remissionum temporibus. Illis gravis et intentus, his facilis erat et ad comitatem remissus. Videtur igitur glossator secus intellexisse verba *gravis et severus* (de quibus cf. Cic. pro Deiot. 9, 26. 27); quibus quum in animum induxisset significari rigorem et asperitatem, Agricolaeque famae et existimationi male consultum putaret, nisi severitatis atque austeritatis, ut ille interpretabatur, mentioni adiiceretur clementiae et misericordiae laus, propterea morum ille censor ac ludimagister illum pannum adsui voluit. Frustra igitur laborarunt ii, qui aliis de caussis his verbis offensi, alii *s e d saepius misericors*, alii adeo *et saepius i m misericors* scribi voluerunt. Hi quidem videntur ea caussa moti esse, quod alias apud veteres (Seneca de clem. II, 4. 5) misericordia iudici vitio datur. De alio plane simili additamento, quod a tali paedagogo admistum videtur, infra disputabitur.

C. 34. Codices habent: *Novissimae res et extremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis.* In his equidem vocem *aciem* et particulam *et* utique delendum censeo. Hoc ut aliis probem caussasque corruptelae monstrare possim, ante omnia ipsa Taciti verba, quae ab eo scripta existimo, explicabo. Nam plurimi, quum de hoc loco disputarent, eam maxime ob caussam huc illuc titubarunt, quia de verborum neque significatione neque constructione quidquam convenerat. Ac plerique ne ea quidem, quae proxime antecedunt, recte interpretati sunt, etsi U. Beckerus iam dudum istorum quidem verborum structuram et sententiam dilucide explicarat*). Scripsit igitur Tacitus: *Reliquus est numerus ignavorum et metuentium. Quos quod tandem invenistis: non restiterunt, sed deprehensi sunt. Novissimae res extremo metu corpora defixere in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis.* i. e. Fugacissimos illos si tandem invenistis, non existimandum est, eos restitisse, sed deprehensi sunt. Cur haereant illi hoc in vestigio, neque ulterius fugere sustineant, iam caussa aperitur. *Novissimae res* non intelligendae sunt res, quae novissime acciderunt, nam vix possis dicere, quae istae significentur, sed uti dicitur *res secundae, adversae, extremae* cett. ita *novissimae* eorum *res* ea est eorum conditio, qua imminent *suprema*, quum instat mors et exitium (das letzte stündlein). Cf. *hora novissima* Ovid. Metam. IV, 156. *novissima Troiae tempora* ibid. XI, 757. *fata novissima* XIII, 478. *cum superesse tempus novissimis crederent* Ann. V, 7. *novissima exspectabat* Ann. VI, 50. Porro cf. Ann. XII, 43 *magna deum benignitate rebus extremis subventum.* XII, 17 *diu pensitato Mithridatisne rebus extremis an patrio regno consuleret.* Hist. I, 45 *Galbae usque in extremas res amicum.* Caes. b. g. II, 25 *et iam in extremis suis rebus.* Sueton. Nero c. 6 *extremis suis rebus.* Saepe sic dicitur *extrema* et *suprema.* Ann. III, 49. Hist. II, 47. IV, 59. Ann. XI, 37 *tanta inter extrema superbia agebat.*

Hoc igitur instantis interitus discrimen *defixit extremo metu corpora in his vestigiis,* in quo Britannos *corpora* dicit, quia animo

*) Beckerus recte sic interpretatur: „Quod illud attinet, quod tandem illos invenistis, dicam vobis, non (propter virtutem suam) eos restitisse, sed in his vestigiis esse deprehensos et indagine quasi septos clausosque, ut iam non in alias terras fugere possint.“ Exempla apud Ciceronem et Livium ubique obvia. Liv. XXI, 40 *ne genus belli neve hostem ignoretis: cum iis est vobis, milites, pugnandum, quos cett.* Cf. Fabri ad Liv. XXI, 18. Cic. de off. II, 10, 35 *sed ne quis sit admiratus — —: alia est illa subtilitas, alia* cett. de orat. 1, 2, 8 *ac ne quis forte—putet: qui convertat animum—circumspiciatque —facillime iudicabit* cett. uti hunc locum bene restituit Ellendtius. pro Planc. c. 38 *Nam si quis — putat: primum* cett. Agric. 44 *quod si habitum quoque eius posteri noscere velint: decentior quam sublimior fuit.* Horat. ep. I, 12, 25 *ne tamen ignores, quo sit Romano loco res; Cantaber — cecidit.*

amisso nihil superest nisi corpora; sunt igitur *exanimata corpora* (Liv. IX, 1). Cf. Liv. XXXVIII, 46 *tantae corporum moles fundis sagittisque in fugam consternati sunt.* Horat. Ep. I, 4, 6 *tu non corpus eras sine pectore.* *Novissimae res illos defixere metu* eodem modo dictum est, uti Liv. XXI, 33 *utraque simul obiecta res oculis animisque immobiles parumper eos defixit.* XXII, 53 *quod malum quum stupore ac miraculo torpidos defixisset.* Dicunt enim Latini non solum *ob eam rem ille defixus est metu* *), sed etiam *ea res illum defixit metu* aut *pavor eum defixit* **). In quo notandus est is usus verbi activi, quo quasi factitivum est verbi passivi. Nam *haec res illum metu defixit* quid aliud est, quam haec res fecit, ut ille metu defixus esset? Atque *Caesar milites accendit pudore* nonne explicandum est: *Caesar effecit, ut milites pudore accenderentur?* Ne putidam istam dicas subtilitatem et inutiles ambages, mox poenitebit te istius socordiae, ubi in locos incideris, qui aliter expediri non possunt. Veluti quod Cicero ait pro Milone 21, 56 *adde — Martem communem, qui saepe spoliantem iam et exsultantem evertit et perculit ab abiecto,* in quo loco adeo Garatonii haerent, et, quum explicare conantur, alienissima quaeque ut similia contendunt. Tu vero illud interpretare *et fecit ut perculleretur ab abiecto* ***).

*) Ann. 13, 5 *caeteris metu defixis.* Liv. V, 39 *Galli et ipsi pavore defixi primum stetere.* VIII, 7 *quum silentio defixi stetissent.* Flor. II, 61 *stetere diu mutua admiratione defixi.* Ann. 1, 68 *milite ob metum defixo.* XIV, 10 *modo per silentium defixus, saepius pavore exsurgens.*

**) Liv. VII, 10 *defixerat pavor Gallos.* VI, 40 *stupor silentiumque ceteros defixit.* III, 47 *primo stupor omnes admiratione rei tam atrocis defixit.* I, 29 *silentium triste ac tacita moestitia ita defixit omnium animos.*

***) Liv. VI, 36 *eaque res verecundia maxime non patres modo sed etiam plebem movit* i. e. eaque res effecit, ut verecundia patres moverentur. XXI, 39 *iunxissetque sibi non metu solum sed etiam voluntate Gallos.* XXXVI, 34 erexerat exspectatione consulem. V, 45 *cum repente iuvenis Romanus admiratione in se cives hostesque convertit.* XXI, 3 *cum admiratione tam ancipitis sententiae in se omnes convertisset.* VI, 4 *singulos metu suo quemque pertraxit.* Tac. Hist. III, 55 *multos ambitione, plures formidine trahebat.* Liv. XXV, 40 *quos metus dediderat.* Liv. III, 67 *patrum ac plebis certamina — sustulere illis animos,* quam Clerici emendationem recte comprobavit et bene interpretatus est Drakenborchius. Liv. XXXIV, 24 *nudare animos* est efficere, ut animi nudentur. Soph. Philoct. 349 *ταῦτ᾽ ἐννέποντες οὐ πολὺν χρόνον μ᾽ ἐπέσχον μή με ναυστολεῖν* i. e. his dictis effecerunt, ut haud diu morarer quin navigarem. Inprimis autem in hoc genere illud mirum, scriptores subinde illis ablativis alios admiscere, quibus plane usitato modo indicatur adhibita ratio. T. hist. III, 24 *alios pudore et probris, multos laude et hortatu, omnes spe promissisque accendens.* Liv. XXI, 58 *eam gentem aut vi aut voluntate adiuncturus.* XXXIV, 29 *oppida partim voluntate, partim metu aut vi* recepit. XXX, 9 partim spe, partim metu, partim vi *subegit.* XXXIV, 27 *metu et acerbitate poenarum tenebat animos.* III, 62 *equites aequato primum periculo, deinde pudore animos peditum accendunt.* Seneca de clem. I, 16 *qui monitionibus et verecundia emendare ac docere malit.* Terent. Ad. I, 1, 32 *pudore et liberalitate liberos retinere satius esse credo quam metu.* Gall. Iug. 89, 1 *sed consul oppida — partim vi, alia metu, aut praemia ostentando avertere ab hostibus,* quo in loco non comprobaverim Kritzii rationem.

Extremus autem *metus* est eorum, qui extrema (i. e. mortem) metuunt, *die todesangst.* Cf. *ultima desperatio* Hist. II, 48. Sic *extrema necessitas* (Ann. XIII, 1) et *ultima necessitas* (Ann. XV, 61) eorum dicitur, quibus mors proxime instat. Hunc *extremum metum* Virgilius Aen. II, 445 dicit *extremam mortem:*

his se, quando ultima cernunt,
extrema iam in morte parant defendere telis.

Igitur totum locum sic intellige: Das nahe ende hat die entseelten leiber in ihrer todesangst auf diesen fährten festgebannt. Admodum simile nostro loco est Curt. IV, 14, 2 *Reprehensos ex fuga Persas pugnaturos, quia fugere non possent. Tertium iam diem metu exsangues in eodem vestigio haerere. Nullum desperationis eorum maius indicium esse, quam quod* cett.

Aliorum de hoc loco disputationes recensere longum est. Qui *aciem* retinere student, mitto quod reliqua verba depravare coacti sunt, vix satis reputarunt, quid sit *aciem defigere.* Nam quum haec dictio alibi non inveniatur, nihil reliquum est, nisi ut ipsam et propriam vim illius vocis premamus. Ita autem nihil significare potest nisi: firmam, stabilem et immobilem aciem instruere, in qua quisque in gradu stet neque demoveri se patiatur. Quae autem acies magis timenda? Neque Agricola omnino turbam illam fugitivorum et consternatorum hostium *aciem* dixisset. Cf. Liv. XXXIII, 9 *agmen magis quam acies.* XXV, 34. XXIX, 36 *agmina magis quam acies pugnabant.* Alii *aciem* intelligunt *oculorum aciem.* At qui torpidi stant pavore et stupore, ii *oculos* sane, *obtutum, ora defigere* in aliquo loco dici possunt, at nunquam *aciem,* quia torpidorum oculi non habent *aciem.* Nam quod Sellingius p. 28 confert Plin. N. H. VIII, 16 *quum pro catulis* (leaena) *feta dimicat, oculorum aciem traditur defigere in terram, ne venabula expavescat,* eo nihil probatur; nam illa leaena cum maxime sui compos et intenta oculos defigit, non uti exanimata et mente alienata illa corpora, qualia Britannorum finguntur.

At unde glossema illud enatum? Forsitan eadem constructionis verborum ignoratio, quae nostros homines in errores varios induxit, antiquitus iam impulerit aliquem, ut istam vocem addendam putaret. Sed etiam alia cogitari potest eius origo, de qua infra demum sub finem huius capitis exponere potero.

In iisdem libris quod additum est *et,* proclive sane erat opinari, *et extremo* esse interpretamentum vocis *novissime,* at incerta est ista suspicio vel iccirco, quia addita vox *res* quemvis edocebat, non *novissime,* sed *novissimae* Tacitum scripsisse. Syllabae *et* et *ex* quum saepissime confusae sint, et ita quidem, ut pro *et ex* saepe aut *et*

aut *ex* scriberetur (cf. Drakenb. ad Liv. VI, 7, 4. V, 32, 4. XXX, 4, 7. XLIV, 43, 3. XXVI, 45, 1.), quidni etiam *et ex* semel scriptum putetur pro *ex*? Puteolanus quod habet *id et extremo*, id sane olim viris doctis glossematis suspicionem movere debebat, adeoque codicem aliquem proprium habuisse Puteolanum inde suspicari possis. At vero nulla praeterea sunt vestigia talis codicis. Indignum igitur est quaerere, quid aut Puteolano in mentem venerit, aut Lanterio in calamum inciderit.

C. 35. *Legiones pro vallo steterunt, ingens victoriae decus et auxilium, si pellerentur.* Haec verba, quibus nihil cogitari potest convenientius Tacitino dicendi generi, misere deformata sunt panno in codicibus adsuto, cum voci *decus* vulgo adnectantur verba: *citra Romanum sanguinem bellandi.* Facile vides illud dictum esse pro *ingens, si vinceret, decus, et auxilium, si pelleretur.* Nam *victoriae* hypothetice dictum est eodem modo, uti c. 34 *omniaque prona victoribus atque eadem victis adversa.* Appositio autem illa, cum maxime propria Tacito *), plerumque habet variatam singulorum membrorum structuram.

Additamentum autem illud prorsus supervacaneum primum tautologiam habet non modo in Tacito, sed ne in alio quidem scriptore ullo modo ferendam. Nam verba illa *legiones pro vallo steterunt* (i. e. non in aciem descenderunt), ad quae reliqua verba pertinent, quid aliud significant, nisi sine Romano milite pugnatum esse? Non melius igitur illud additum est, quam si quis dicere vellet: *exercitus propter fortitudinem magnam laudem tulit fortitudinis,* aut si Ann. XIII, 53 *maius ex eo decus sperabant, si pacem continuavissent,* voci *decus* aliquis insuper addere vellet *continuatae pacis.* Ceterum in gerundio illo nemo offendere debebat; quanquam enim admodum redolet supplementum grammaticum, tamen similis ge-

*) Ann. I, 3 *Augustus, subsidia dominationis, Claudium pontificatu, Agrippam geminatis consulatibus extulit.* c. 30 *quosdam ipsi manipuli, documentum fidei, tradidere.* III, 67 *maiestatis crimina subdebantur, vinclum et necessitas silendi.* c. 27 *compositae duodecim tabulae, finis aequi iuris.* XII, 29 *legionem ipsaque e provincia lecta auxilia pro ripa componeret, subsidio victis et terrorem adversus rebelles.* 32 *colonia deducitur in agros captivos, subsidium adversus rebelles et imbuendis sociis ad officia legum.* Hist. I, 44 *omnes conquiri et interfici iussit, non honore Galbae, sed—munimentum ad praesens, in posterum ultionem.* c. 72 *servaverat non clementia, sed effugium in futurum.* II, 24 *mille equites, cumulus prosperis aut subsidium laborantibus ducebantur.* IV, 18 *coniuges parvosque liberos consistere a tergo iubet, hortamenta victoriae vel pulsis pudorem.* Non factae rei, sed intentatae consilium hoc modo adiicitur Ann. I, 49 *truces etiamtum animos cupido involat eundi in hostem, piaculum furoris.* c. 27 *manus intentantes, caussam discordiae et initium armorum* i. e. ut inde oriretur discordia. Roth p. 136. Walth. ad Ann. I, 27. In quo dicendi genere Tacitus imitatus est Graecos. Matth. gr. gr. §. 432, 5. Soph. Elect. 966. Aiax 559. 1191. 1210. Diversum est appositionis genus, cuius exempla ad c. 18 afferentur, in quibus non finis, quem animo spectant agentes, indicatur, sed a scriptore aliquid adnotatur quod nihil pertinet ad agentis animum.

rundii usus neutiquam alienus est a Latinorum dicendi consuetudine. Quis enim vituperabit *ingens est decus pro patria moriendi?* *) Frustra igitur cum Rhenano plerique scribunt *bellanti*, quo nihil proficitur, nec tautologia illa removetur.

Sed adverte ad alia huius ulceris tubera. Si in illa pugna sine milite Romano pugnatum est, num icciroo sine milite Romano *bellatum?* An *bellare* idem est quod pugnare, dimicare? Immo *bellare* nil est nisi *bellum gerere*. Hist. II, 40 *non ut ad pugnam, sed ad bellandum profecti*. Cf. Drakenb. ad Liv. XL, 47, 3. Quid? ne *pugnandi* quidem sufficiebat, sed exspectaveris potius *vincendi*, nam illa verba apposita sunt dictioni *victoriae decus*, cui opposita sunt *et auxilium si pellerentur*. Quid enim? si sine milite Romano pugnans pelleretur, nonne tum quoque sine milite Romano pugnavit sive, si placet, *bellavit?* Debuerant igitur illa verba extra partitionem membrorum posita esse: *citra Romanum sanguinem bellanti victoriae decus et auxilium, si pelleretur*. Nunc autem scribendum certe erat *vincendi*. Atque tu vide interpretes nostros illius glossematis, quomodo inscii et inviti pro virili parte ad damnandum illum pannum conferant. Vertit Walchius et Bötticherus „*hoher ruhm beim siege, gewann er ihn ohne Römerblut.*“ Strombeck: *ein herrlicher schmuck des sieges dem ohne Römisches blut überwindenden.* Engel: *eine herrliche zierde des sieges, wenn ER ohne Römerblut erfochten ward.* Illi igitur omnes ita vertunt, quasi *vincenti* scriptum esset. Atque idem ego contendo, non dici posse *citra Romanum sanguinem bellare*, sed unum ferendum foret *citra Romanum sanguinem vincere*. Hoc mihi concedent qui particulae *citra* vim iis quoque in locis, ubi vulgo *sine* interpretantur, satis pernoverint. Sed satis multa de pessima illa macula Tacito inusta.

Cap. 36 *ut rem ad mucrones ac manus adducerent, quod et ipsis vetustate militiae exercitatum et hostibus inhabile [parva scuta et enormes gladios gerentibus]. Nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum et in arto pugnam non tolerabant* verba quae uncis inclusi eiicienda arbitror. Nam quomodo gladiorum proprietas caussa fuerit, ut illud pugnae genus inhabile esset Britannis, id Tacitus explicat additis verbis: *nam Britannorum gladii* cett. Parva autem scuta et enormes gladios illos habuisse, id modo exposuerat Tacitus: *Britanni ingentibus gladiis et brevibus caetris*. Quae igitur istae tautologiae?

*) Cic. de off. III, 2, 6 *si discendi labor est potius quam voluptas*. Latius etiam patet hic genitivi gerundii usus apud Tacitum, qui adeo post adiectiva neutralia illum adsciscit. Ann. XV, 5 *Vologesi vetus et penitus infixum erat arma Romana vitandi*. Ann. XIII, 26. XV, 21. Haase ad Reisigii schol. lat. p. 770. Roth. p. 264.

Cap. 37 *in fugam versi, non agminibus ut prius, nec alius alium respectantes* [*rari et vitabundi invicem*] *longinqua atque avia petiere*, verba uncinis a me inclusa admodum suspecta mihi videntur. Sunt qui *sed* animo suppleri posse putent, at quae comparantur exempla (cf. Drakenb. ad Liv. I, 25, 3. XXVIII, 39, 11. Corte ad Sall. Cat. 35, 2 excurs. p. 401. Kritz ad Sall. Cat. 58, 14. Ernesti ad Ann. III, 19. Walther ad Ann. IV, 35), ea mox intelliges prorsus non similia esse nostro. In illis enim locis magna inest vis oppositorum, quae addita illa particula prorsus elideretur, inprimis ubi opinioni, quam alius quis habet aut habuerit, contraria opponitur. Sall. Cat. 52, 29 *non votis neque suppliciis auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt.* Magnam itidem vim habet opposita sententia in iis locis, ubi *non modo* antegreditur. Sed piget prorsus dissimilia illa contendere. Nostro enim loco, qui nihil omnino habet rhetorici vigoris, componuntur synonyma, quibus idem denuo dicitur. An igitur cum editore Bipontino *sed* interponamus? Non suaserim. Praeterea mire dictum est *vitabundi invicem.* Nam alias, qui *vitabundi* fugere dicuntur, vitare student videlicet hostes. Sall. Iug. 101, 9 *solus inter tela hostium vitabundus erumpit.* 39, 1 *ipse quasi vitabundus per saltuosa loca et tramites exercitum ductare.* Sall. fragm. apud Non. 2, 899 *vitabundus classem hostium ad oppidum pervenit.* Liv. XXV, 13 *Hanno vitabundus castra hostium consulesque* cett. Glossator igitur arripuit vocem huic loco non convenientem.

Ex alio genere sunt additamenta quaedam, quae pertinent ad antiquitates aut ad historiam. Sic cap. 4 ad verba *utrumque avum procuratorem Caesarum habuit* ex codicibus vulgo additur *quae equestris nobilitas est.* Hoc explicaturus adnotat Ernesti: „quo honore equites ita splendidi nobilesque fiunt, ut senatorii ordinis homines magistratibus maioribus gerendis,“ additque Walchius, magis ad Caesarum tempora hoc adaptaturus, hanc *equestrem nobilitatem* videri propriam fuisse eorum equitum, qui alibi *equites illustres* dicantur, de quibus disserunt Lipsius et Ernesti ad Ann. XI, 4. Rykius et Waltherus ad Ann. II, 59. Becker Alterth. II, 285. Hosce equites illustres, qui senatoria fere erant dignitate ideoque etiam laticlavii dicebantur, eosdem prae ceteris *nobiles* dictos esse, id largiamur nunc quidem, quamquam non est verisimile, praesertim quum illi equites illustres πρὶν ἄρξαι τινὰ ἀρχήν, δι' ἧς ἐς τὴν γερουσίαν ἐσερχόμεθα (Dio Cass. LIX), magis in spem honorum, quam quia functi essent honoribus, illud insigne nanciscerentur. Verum enim vero ante omnia id demonstrandum fuerat Walchio, procuratoris munus tale fuisse, quo functi equites insigni illi cognomine

cohonestarentur. Id tantum abest ut verisimile sit, aut ullo loco comprobari possit, — nullum praeter hunc nostrum adferre potuit I. Marquardt de equitibus p. 83 — ut in contrariam partem id potius evinci possit, eos equites, qui ad altiorem gradum atque senatorium ordinem adspiraverint, procuratoris munus evitasse et respuisse. Nam Ann. XVI, 17 Tacitus tanquam singulare quid commemorat, quod *Mela, eques dignitate senatoria*, procurator Caesaris fuit, qui *a petitione honorum abstinuit,* quia *acquirendae pecuniae brevius iter credebat per procurationes administrandis principis negotiis.* Itemque *procurator* erat *Cornelius Fuscus*, quia *vigens aetate*, *claris natalibus*, *prima iuventa quietis cupidine senatorium ordinem exuerat.* Hist. II, 86. Praeterea satis constat, plerosque procuratores libertos fuisse *). Quomodo igitur illi eo munere, quod ne equestrem quidem dignitatem requirebat, ad altiorem gradum illustris equitis provehi poterant? Satis erat illis, si isto munere equestres fierent et ita collegis suis, qui equites essent, aequarentur.

Deinde quum nobilitas ad progeniem maxime pertineret, nam nobiles dicebantur reipublicae tempore ii, qui a maioribus orti essent magistratus curules adeptis, horumque maiorum imagines ostenderent, non omittendum est, addita illa verba *quae equestris nobilitas est* vix ad illos avos ipsos referenda videri, sed potius ad Agricolam, qui tales avos habuerit. Hoc si consideras, statim adulterina illa agnoscis. Nam pater Agricolae dicitur *senatorii ordinis* fuisse. Itaque et Agricola et eius pater altioris erant ordinis, quam equites illi illustres, qui senatorii ordinis tantum dignitatem et insignia haberent iisque adaequarentur. Quid igitur attinet, Agricolae illam nobilitatem equestrem vindicare?

At enim Walchius, dixerit quispiam, non recte nobilitatem equestrem refert ad equitis illustris dignitatem, immo equestris nobilitas (*ritteradel* i. e. ritter-rang) est ordo equestris, dignitas equestris. Itaque Waltherus ait Tacitum his verbis significare voluisse, „qua nobilitate avi fuerint, scilicet equestri, non senatoria, uti pater.“ Atque hoc fere modo sine dubio, quicunque haec verba addidit, ea intellecta voluit, simul significaturus, eos, qui illo munere

*) Dio Cass. LIII, 15 *καὶ τοὺς ἐπιτρόπους ἐς πάντα ὁμοίως τὰ ἔθνη τά τε ἑαυτοῦ δὴ καὶ τὰ τοῦ δήμου τοὺς μὲν ἐκ τῶν ἱππέων, τοὺς δὲ καὶ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων πέμπει.* Plin. ep. X, 36 *Maximus, libertus et procurator tuus.* Ann. XII, 60 *cum Claudius libertos, quos rei familiari praefecerat, sibique et legibus adaequaverit.* XIII, 1 *ministri* (caedis) *fuere P. Celer eques Romanus et Helius libertus, rei familiari principis in Asia impositi* (i. e. procuratores Caesaris. cf. Ann. XIV, 54 *iube eas* (opes) *per procuratores tuos administrari*). Cf. Burmann de vectigalibus Pop. Rom. c. 8. p. 146 sq.

functi essent, ad equestrem dignitatem evectos esse. Atque idem suspicor, vere hoc usu receptum fuisse, ut liberti, qui procuratores fuissent, equestres fierent. Possis adeo suspicari, Iulii Graecini patrem, Iulii Agricolae avum, inde Iulium appellatum esse, quia primitus libertus fuerit Augusti, et ab eo, utpote procuratore Caesaris, equestrem ordinem familiae incepisse. Confer *Iulium Densum equestrem* Ann. XIII, 10 et permultos alios *Iulios* in indicibus ad Tacitum et ad Gruteri Inscriptiones. Quid igitur? quum hoc modo omnia bene concinant, nonne eam interpretationem sequamur, qua omni suspicione ista verba liberantur? Non patitur hoc Latinorum dicendi consuetudo. Non enim vox *nobilitas* apud veteres, uti *ordo, dignitas, genus, locus* diversas species eiusdem generis complectitur, ut, quomodo dicerent *ordinem equestrem, ordinem senatorium* (et nos: amtsadel, geburtsadel, höherer adel, niederer adel), eodem modo nobilitatem equestrem, nobilitatem senatoriam, tanquam nobilis originis diversos gradus, distinguerent. In hunc errorem inciderunt plerique nostri interpretes adhibenda vernacula voce: *ritteradel,* quam vocem inscientes et inviti dupliciter intelligunt, modo nobilitatem inter equites, modo ordinem eius, qui eques sit, significantes. Non autem apud Latinos nobilis et plebeius, sed nobilis et homo novus opponuntur. Ex his omnibus apparet, novitiae originis esse hoc additamentum, intrusum ab homine satis docto, qui sciret, procuratores, qui non equites essent, equestrem dignitatem sibi et suae genti procurasse, at ille novitiae latinitatis consuetudinem secutus voce *nobilitas* ea significatione usus est, quam nondum habebat apud veteres.

Alio argumento hoc additamentum impugnat Weikertus; quidquid significant haec verba, ait, satis id notum erat legentibus. Quid igitur opus erat, ut Tacitus hoc suis hominibus adnotaret? Recte mihi quidem hoc monitum videtur, sed tamen non diffiteor, lubricum esse tale argumentum, quia ita multi veterum loci suspecti erunt.

Cap. 7 verba *ubi decessor seditiose agere narrabatur* admodum suspecta mihi videntur. Non hoc premam, vocabulum *decessor* nusquam legi dictum de legato praetorio, qui legionis imperium deposuit; si quando invenitur (Ulpian. dig. I, 16, 4. Cic. pro Scauro §. 33), dicitur ita consularis, qui ex provincia decedit. Sed narratur deinceps: *nec legatus praetorius ad cohibendum potens.* Ex his apparet, legati praetorii antea nondum mentionem iniectam esse. Additur porro *incertum suo an militum ingenio.* Quomodo hoc incertum esse poterat, si ille ipse *seditiose agebat?* Atque vere videtur Tacitus, quum haec scriberet, nondum eam harum rerum cogni-

tionem habuisse, quam deinceps in Historiis nobis impertivit. Suspicor igitur illud ex Hist. 1, 60, ubi Roscius Caelius, legatus illius legionis, discors Trebellio Maximo, militum odium contra illum accendisse narratur, haustum et nostro loco margini adnotatum esse. Cf. infra annales ad annum 822. Neque negabis, si illa verba omittantur, facile omnia procedere. Additur enim tum caussa, cur Agricola, strenue in alia re versatus, illi legioni praepositus sit, quippe quae strenuum ac severum requireret legatum. Sed tamen ultima quidem verba, si ad legionem retuleris: *seditiose* ea *agere narrabatur*, poterunt apte defendi. (Hist. V, 12 *nam pervicacissimus quisque illuc perfugerat, eoque seditiosius agebant.*) Tum *ubi decessor* . . . . glossa marginalis mutilata existimanda erit.

C. 16, ubi de eadem seditione agitur, idem interpres historicus vereor, ne de suis aliquid adsperserit. Quae Tacitus narrat: *Trebellius fuga ac latebris vitata exercitus ira indecoris atque humilis precario mox praefuit, ac veluti pacti, exercitus licentiam, dux salutem*, haec adeo plena et ad intelligendum prona, ut non modo in Tacito, sed ne in alio quidem scriptore quidquam additum exspectes, sed additur in libris *et seditio sine sanguine stetit.* Non diffiteor, istum locum inde maxime invidiam subiisse, quia Puteolani lubidine aliud vitium illatum erat. Nam quum ad *pacti*, quod iam Brotier adnotavit, *sunt* intelligendum sit, Puteolanus, qui *esset* suppleri voluit, hoc modo scripsit: *ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem, haec seditio sine sanguine stetit.* Idem error quum nunc quoque in simili loco viros doctos teneat, qui cap. 1 *ni incusaturus* scribentes, *essem* intelligi volunt, refutanda erit ista opinio. Nunquam enim *essem*, ubi vere est conditionale aut finale, omitti potest. Exempla, qualia Bötticheri (lex. p. LXXXIV) ut similia contendunt, plane diversi sunt generis. Ac primum quidem, ubi *essem* modus est obliquae orationis, nil mirum, illud eodem modo omitti atque *est*, *erat*. Ann. I, 9 *multus hinc ipso de Augusto sermo, plerisque vana mirantibus, quod idem dies imperii princeps et vitae extremus, quod Nolae — finivisset.* VI, 26 *ferebant gnari cogitationum eius, dum integer, dum intentatus, honestum finem voluisse.* Hist. III, 56 *quis ordo agminis, — alios rogitans.* Non magis huc pertinent exempla, in quibus *tanquam* et *velut* Graecorum more (ὡς, ὡςανεὶ) cum participio coniunctum est. Ann. VI, 36 *ni contractis legionibus Vitellius, tanquam Mesopotamiam invasurus, metum Romani belli fecisset.* I, 7 *cuncta per consules incipiebat tanquam vetere republica et ambiguus imperandi.* Ann. I, 41 *velut in urbe victa* sc. ὄντος. Sen. ad Helvid. 10 *et velut in ultima fame victurus, si*

in sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit. Sen. ep. 82 *Sic, inquit, commilitones prandete, tanquam apud inferos coenaturi.*

Saepissime autem *essem* tum omissum est, ubi quasi absorbetur altero verbo insequentis partis eiusdem enuntiati, quae per particulam *et* cum priori coniuncta est. (Cf. supra p. 53) Hist. IV, 34 *tentaverat interim Civilis obsessorum animos, tanquam perditae apud Romanos res, et suis victoria pervenisset.* III, 56 *ut aspera quae utilia, nec quidquam nisi iucundum et laesurum acciperet.* Ann. IV, 22 *turbata mente respondit, tanquam ipse somno gravis atque eo ignarus, et uxor sponte mortem sumpsisset.* Ann. I, 65 *cum barbari laeto cantu silvas complerent, apud Romanos invalidi ignes, interruptae voces, atque ipsi passim adiacerent vallo* cett. Hist. IV, 18 *ut suo militi recens gloria ante oculos, et hostes memoria cladis terrerentur.* Germ. 39 si legitur *eoque omnis superstitio respicit, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium deus, cetera subiecta atque parentia,* facile vides hoc non esse *quasi — essent,* sed *tanquam sint, ὡς ὄντα.* Affertur enim cogitatio Germanorum. Hist. IV, 29 *Romani conspicuam barbarorum aciem et si quis audacia aut insignis effulgens, ad ictum destinabant* illud *si* non vere conditionale est, sed est: *eos, qui effulgerent, si qui erant, etwanige hervorstechende* *).

Illud igitur *velut pacti (sunt)* dictum est ex ea Graecorum et Romanorum consuetudine, qua similitudinem aliquam particula *ὥςπερ, velut* ita inducunt, ut ipsam rem, cum qua simile illud comparatur, omittant. Plato Phaed. c. 11 p. 66. B. *κινδυνεύει τοι ὥςπερ ἀτραπός τις ἐκφέρειν ἡμᾶς μετὰ τοῦ λόγου ἐν τῇ σκέψει* i. e. *κινδυνεύει ὁδός τις μετὰ τοῦ λόγου ὥςπερ ἄτραπός τις ἐκφέρειν ἡμᾶς ἐν τῇ σκέψει,* quo in loco viri docti non tam prolixe disputassent, si meminissent *ὁδὸν μετὰ τοῦ λόγου* nil esse nisi *μέθοδον τοῦ λόγου, viam rationalem* (cf. p. 79. E.). Soph. Aiac. v. 8 *εὖ δέ σ' ἐκφέρει κυνὸς Λακαίνης ὥς τις εὔρινος βάσις.* Cf. Neue ad h. l. Heindorf. ad Plat. Cratyl. p. 384. c. Phaed. p. 88. d. Ex latinis eodem modo haec dicta sunt. Cic. de inv. II, 3, 8 *ex his duabus diversis sicuti familiis.* Liv. III, 34 *quibus adiectis absolvi posse velut corpus*

*) Ann. XVI, 26 *superesse, qui forsitan — ausuri* locus est depravatus. Ann. I, 7 *ne laeti excessu principis, neu tristior primordio,* admodum placet quidem, quod editores scripserunt, *tristiores* i. e. minus hilares, parum laeti (cf. Thucyd. III, 37 *ἀμαθέστεροι minus periti.* II, 4 *ἀτολμότερος minus animosus.* III, 9 *χείρους minus gratus.* Soph. Philoct. 524 *ἐνδεέστερον minus benigne.* Ai. 1011 *μηδὲν ἥδιον γελᾷ non minus tristis est.* Cic. ad fam. VI, 1 *in te adhuc iniustior, quam tua dignitas postulabat,* i. e. minus iustus) sed in loco semel affecto alia praeterea corruptela latere potest, ut eo non uti ausim exemplo, quo probetur, *essent* aut *viderentur* subinde deesse et animo suppleri posse.

omnis Romani iuris. XXXV, 18 *in duobus velut cornibus Graeciae.* II, 51 *et velut ab arce Ianiculi in Romanum agrum impetus dabant.* XXIV, 2 *unus velut morbus invaserat omnes Italiae gentes.* Ann. III, 15 *nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis.* Cic. off. I, 21, 71 *videntur offensionum et repulsarum quasi quandam ignominiam timere.* Sall. Cat. 53 *rursus respublica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat, ac, sicuti effeta, parentum. Multis* cett. i. e. ac prole carens, sicuti effeta, parentum vitia sustentabat. (Cf. Plin. ep. VI, 21 *neque enim quasi lassa et effeta natura, ut nihil iam laudabile pariat.*) Sic igitur nostro loco *ac veluti pacti sunt — licentiam* est: ac veluti pacto sibi stipulati sunt, exercitus licentiam, dux salutem. Cf. Hist. II, 15 *ac velut pactis induciis — Vitelliani retro Antipolin, Othoniani Albigaunum revertere.*

Illo igitur Puteolani mendo sublato nihil iam dixeris esse in his verbis vitii, nisi quod supervacanea videantur. Non leve quidem hoc est in Tacito, sed tamen ni alia accedant, vix cuiquam sufficiet talis suspicio, ut verba damnanda putet. Nolim equidem argutiarum criminationem subire, sed tamen ad hoc mihi advertas animum. Si *belli impetus*, si *seditio* *stare* dicitur, tum semper cogitandae sunt res et impedimenta, quae impetum retardarint et cursum prohibuerint, quin continuaretur. Sic Tacitus Hist. IV, 67 ait: *Sequanorum* *prospera acie* *belli impetus stetit.* Ann. III, 72 *simul laudibus Seianum extulit tanquam* *labore vigilantiaque* *eius tanta vis unum intra damnum stetisset.* Alibi additur, in quo res steterit nec ultra continuata sit. Hist. IV, 45 *nec finem iniuriae* *hic* *stetisse.* Liv. XXXV, 4 *cum bellum Ligustinum* *ad Pisas* *constitisset.* XXI, 49 *cum* *ad Trebiam* *terrestre constitisset bellum.* Ann. XII, 22 *unde vis Agrippinae citra ultima stetit.* Nostro igitur loco si dictum esset *et seditio paucorum supplicio stetit*, probarem, nunc quia additur *sine sanguine stetit*, simpliciter significat: *sedata est*, quod non videtur congruere cum ipsa vi vocis, quae est *in aliqua re subsistere.* Sed libera cuique sit de hac re existimatio, modo ne quis denuo in animum inducat conferre talia, ut Hist. III, 53 *maiore damno veteres civium discordias reipublicae stetisse.* Nam potest sane *multo sanguine ac vulneribus victoria* aliqua *stare* (Liv. XXIII, 30), aut *nullo sanguine stare,* verum ineptum est dicere *sine sanguine stare.* Neque tu dictiones conferas *neutro inclinata pugna stetit,* quod sexcenties apud Livium legitur.

Cap. 15 utique mihi scribendum videtur: *alterius manum, centuriones alterius vim et contumelias miscere.* Sic fere, nisi quod *manus* scribit, I. F. Gronovius; quanquam hic nesciebat, vocem

servos, quam nos tanquam glossema eiiciendum putamus, in codicibus additam esse. Omissa enim erat apud Puteolanum, nescio utrum consulto, an fortuito et typothetarum opera. Distinctio certe verborum, quam Gronovius demum emendavit (diatr. in Stat. Silv. IV, 3 p. 264), apud Puteolanum talis est, ut vix sententiam loci ille assecutus videatur. *Manum* *) tu intellige cohortem accensorum, quorum ministerio procurator utebatur. Supra quidem, ubi de hac cohorte disputavimus (p. 76), de legati consularis (sive praetoris) cohorte agebatur, sed intelligendum est, quum procurator praesidis imperio subditus esset, quemadmodum reipublicae tempore quaestor proconsuli et praetori, ministri illi procuratori addebantur a legato, atque ex eius cohorte erant. Hinc supra c. 19, ubi de tributis, de frumento, quae res maxime procuratoris, uti olim quaestoris curae demandatae erant, et de ministris ad has res administrandas adscitis agebatur, tamen neque procuratoris neque eius accensorum mentio iniecta erat (p. 78). Nimirum praeses provinciae omnia suo imperio complectebatur, et quibuscunque in rebus publicis administrandis aliquod officium committebatur, ii et ex legati (praetoris) cohorte dicebantur, et de eorum factis ratio reddenda erat praesidi. Haec maxime caussa est, cur Cicero noluit Verrem praetorem a Q. Caecilio quaestore suo accusari. Maxima enim crimina, quae Verri obiicienda forent, ille ut praevaricator praetermisisset, quia alteri crimini dare coactus esset, quod ipse admisisset. *Audebis ita accusare alterum*, ait, *ut quominus tute condemnere, recusare non possis?* (divin. 10, 31.) — *Ego etiam, quae tu sine Verre commisisti, Verri crimini daturus sum, quod te non prohibuerit, cum summam ipse haberet potestatem: tu contra ne quae ille quidem fecit obiicies, ne qua ex parte coniunctus cum eo reperiare* (§. 35). Quod igitur Tacitus cap. 19 ait *a se suisque orsus, primum domum suam coercuit*, illi *sui* ac *domus sua* complectitur simul procuratorem et eius accensorum *manum*. Ista autem cohors, quia ante Agricolae tempora maxime ex libertis et servis constabat (p. 76), propterea a vetere illo glossatore additum est in margine interpretamentum *servos*, quod deinceps in verborum contextum irrepsit. Ac *servi* quidem iidem dicuntur Ann. XIV, 31, ubi rex Icenorum conqueritur, *regnum suum per centuriones, domum per servos vastari*, ex quo ipso loco haud scio an vetus ille grammaticus suam hauserit scientiam. Ceterum isto quidem in loco qui *servis* illis opponuntur *centuriones*, eos non contulerim cum *centurionibus*, qui nostro loco commemorantur. Nam illi qui *regnum*

*) Liv. XLI, 51 *cum purpuratorum et satellitum manu.* Sueton. Tib. 1 *cum magna clientium manu.*

vastare dicuntur, videntur iusti intelligendi esse legionum centuriones, manipulorum duces: at nostro loco ubi *legatus in sanguinem*, *procurator in bona saevire* dicuntur, isti centuriones, qui procuratoris cohorti, quam contemtim *manum* dicit, opponuntur, sunt ministri et officiales praesidis, quibus ille in iudiciis habendis et in exercendo iure gladii utitur. Cf. Ann. XII, 34 *quorum virtute vacui a securibus et tributis intemerata coniugum et liberorum corpora retinerent*, ubi *securibus* ad legatum eiusque accensos, *tributis* ad procuratorem eiusque ministros referendum est. Ne mireris, cohorti procuratoris, quamquam eadem legati quoque cohors erat, opponi tamen legati *centuriones*, memineris, ut administratio rerum quarundam publicarum communis fuerit legati et procuratoris, ita capitalium caussarum cognitionem et gladii ius proprium et praecipuum fuisse legati, quod ad procuratorem tum demum pertineret, si esset *procurator vice praesidis agens*, *ἐπίτροπος μετ' ἐξουσίας σιδήρου*, quemadmodum reipublicae tempore subinde *quaestores cum iure praetorio (pro praetore)* in provincias mittebantur, quorum lictores tum in fascibus securim habebant. (Eckhel num. p. 248.) Iam vero nostro loco codicum scriptura *manum* retinenda erit neque adoptandum, quod superscripsit Pomponius Laetus, *manus*, licet hoc ex altero suo codice desumsisse videatur. Nam illa cohors una est. I. F. Gronovio, qui *manus* cum Puteol. retinuit, humani quid accidit, quod locum quendam ex Cic. Verrinis excitavit, quasi in eo vox *manus* eiusque pluralis numerus illam cohortem praetoris significet *). Neque melius reliqui interpretes eodem loco in re sua abusi sunt. Nam quod ibi legitur (Verrin. lib. II, 10, 27) *comites illi tui dilecti manus erant tuae, praefecti, scribae, medici, accensi, haruspices, praecones manus erant tuae: ut quisque te maxime cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat, ita maxime manus tua putabatur; cohors tota illa tua, quae plus mali Siciliae dedit, quam si centum cohortes fugitivorum fuissent, tua manus sine controversia fuit*, in his vox *manus* non cohortem aliquam significat, sed corporis manus. Agitur enim ibi de numeratis pecuniis, et quia Verres ea excusatione usus erat, se non suis manibus pecuniam accepisse, sed aliis eam numeratam esse, respondet Cicero, accensorum manus suas ipsius manus esse, perinde enim esse, utrum Verres suis ipse manibus an eius accensi pecuniam acceperint, *non enim erat quaerendum, cuius manu numerarentur, sed cuius iniuria cogerentur pecuniae.*

*) Ceterum pluralem numerum, ubi de pluribus agminibus agitur, satis usitatum esse, vix opus est ut adnotetur. c. 32 *in ipsa hostium acie inveniemus nostras manus*. Liv. XXXV, 3 *passim multae manus ad praedandum emittebantur.*

Si quis autem fuerit, qui *manum* potius quam *servos* tanquam glossema exterminandum censuerit [sic nuper Ritterus], ut legatur *alterius centuriones, alterius servos,* eum velim duo reputare, primum nemini in mentem venire poterat, voci *servos* interpretamentum adiicere *manum;* deinde ita turbatur chiasmus, quem non Cicero modo (cf. Beier ad Cic. off. I, 4, p. 25. Madvig ad Cic. de fin. I, 17 p. 110. Ellendt ad Cic. de orat. I, 18), sed etiam Tacitus valde amat *).

Sed integram librorum scripturam retineri voluerunt Peerlkamp et Odofr. Müller: *alterius manus, centuriones, alterius, servos, vim et cont. miscere* i. e. alterius manus, qui sunt centuriones, alterius sc. manus, qui sunt servi, vim cett. Haec quamquam plerique, in his Halmius comprobarunt, ego tamen neutiquam assentire possum. Quorsum tandem Tacitum hisce usum putemus ambagibus? Cur non simpliciter tum dixisset *alterius centuriones, alterius servos?* Neque ullo loco probari poterit, alicuius *manus* (Werkzeuge, Diener) dici homines. Horribile est, quod Nissen, quia Tacitus Ann. III, 23 narrat, vetitos esse magistratus in provinciam uxores secum ducere, *sexum enim ambitiosum esse, intercedere inter milites, habere ad manum centuriones,* inde, inde inquam, centuriones *manus legati* dici proclive fuisse suspicatur.

Quod I. A. Ernesti praefatione ad Taciti libros monuit, *sententias* aliis ex scriptoribus depromptas et in margine adnotatas in verborum contextum subinde irrepsisse, id suspiceris duobus Agricolae locis evenisse. Sic cap. 9 haud scio an recte Peerlkampius verba

haud sémper errat fáma, aliquando et élegit

senarium iambicum esse suspicetur aliunde adscitum. Nam quod in libris legitur *elegit*, id idem vir doctus monet non iccirco pro perfecto habendum esse, sed videri id antiquo modo pro *eligit* scriptum esse. (Cf. Schneider gr. I, p. 14.) Mihi quidem ista gnome tam trita et quotidiana videtur, ut vix putem eam ab ipso Tacito additam esse, praesertim quum nihil faciat ad illustranda ea, quae ibi narrantur plane vulgaria.

Eodem modo invisa mihi sunt et, ut supervacanea ac tralati-

*) Ann. XIV, 40 *insignia scelera, alterum senatoris, servili alterum audacia.* I, 10 *seu Pansam venenum, sui milites Hirtium — abstulerat.* IV, 62 *hic fratrem, propinquum ille, alius parentes lamentari.* XV, 71 *alius filio, fratre alius interfectis agere grates.* Hist. I, 44 *munimentum ad praesens, in posterum ultionem.* I, 30 *ad nos scelerum exitus, bellorum ad vos pertinebunt.* Plin. ep. V, 6, 43 *arma hic Aeneae, Achillis ille describit.* VIII, 24, 6 *timor absit, manet amor.* paneg. 55 *nam recusare omnes ambitionis, moderationis est eligere parcissimos.* 89 *licet alteri virtus triumphalia, caelum alteri dederit.*

tia, Tacito paene indigna videntur verba c. 37 *et aliquando etiam victis ira virtusque,* quae fere repraesentant Virgilianum illud (Aen. II, 367)

Quondam etiam victis redit in praecordia virtus.

Atque particula *et,* qua incipit sententia, satis in mentem revocat illam scholiastarum graecorum particulam *καί*, qua sua interpretamenta illi inchoare solent. Eadem comparet in illo, quod modo damnavimus, glossemate *et seditio sine sanguine stetit* (c. 16). Quid? glossator ille videtur alia praeterea eiusdem sententiae exempla quae afferret, in promptu habuisse. Hinc adnotare coepit: *item* .... quae vocula in sequentem contextus lineam videtur irrepsisse. Illo quidem loco Bosius scribi voluit: *Est aliquando* cett, sed nihil muto equidem, nam in rem summam nihil inde proficitur.

In hoc autem genere magnopere cavendum est, ne sententiam, quam ipse non intelligas, propterea subdititiam putes et eiiciendam. Accidit hoc quibusdam editoribus duobus Agricolae locis.

Cap. 6 *vixeruntque mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo: nisi quod in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae.*

Mittamus interpretum conamina, premamus ipsa Taciti verba, via et ratione singula perscrutando. *Nisi quod* dicunt Latini, quum limitant pronuntiatam aliquam sententiam, ita ut quod universe et absolute enuntiatum est, exceptionem aliquam habere et aliquatenus restringendum esse adiiciant *). Quae igitur h. l. ea est sen-

*) Exempla si quis desiderat, haec habeto: Cic. ad fam. XIII, 1 *cum Patrone mihi omnia sunt, nisi quod in philosophia vehementer ab eo dissentio.* T. Ann. III, 1 *idem omnium gemitus, — nisi quod — recentes in dolore anteibant.* III, 68 *eadem caeteri* (censuere), *nisi quod Lentulus* cett. Livius XXXV, 26 *externorum etiam omnium ignarus, nisi quod in Creta militaverat.* Ann. I, 8 *legata non ultra civilem modum, nisi quod populo et plebi* cett. III, 57 *nec tamen repertum* (quo foede adularentur), *nisi quod M. Silanus ex contumelia consulatus honorem principibus petivit.* Liv. IV, 12 *multis legationibus nequicquam missis, nisi quod ex Etruria* cett. Agric. c. 16 *eadem inertia erga hostes, similis petulantia in castris, nisi quod Bolanus* cett. Germ. 29 *cetera similes Batavis, nisi quod — acrius animantur.* Cic. Tusc. III, 24, 58 *et mihi quidem videtur idem accidere iis, — nisi quod ratio quaedam sanat illos, hos ipsa natura.* Germ. 17 *nec alius feminis quam viris habitus, nisi quod feminae* cett. Seneca de ira II, 8 *ferarum iste conventus est, nisi quod illae inter se placidae sunt, hi mutua laceratione satiantur.* Sen. ep. 103 *hominum effigies habent, animos ferarum, nisi quod illarum perniciosior est primus incursus.* Plin. paneg. 9 *nihil interesse — nisi quod maior sit obsequii gloria in eo* cett. 43 *nihilque inter privatum et principem interest, nisi quod nunc a pluribus amaris.* c. 8 *nam quantulum refert, deponas an partiaris imperium, nisi quod difficilius hoc est.* c. 7 *nihil interesse hoc arbitratus, genueris an elegeris, nisi quod* cett. c. 21 *nec publicae pietatis intererat, quid vocareris, nisi quod* cett. Plin. ep. VIII. 17 *nam parvulum differt, patiaris adversa an exspectes, nisi quod* cett. Germ. 25 *occidere solent servum ut inimicum, nisi quod impune est.* T. Hist. IV, 39 *vis penes Mucianum erat, nisi quod pleraque — propria libidine audebat.* Ann. II, 19 *silvas profunda palus ambibat, nisi quod*

tentia, quae limitatur, et quomodo ea limitatur? Non contineri illa potest verbis *vixerunt mira concordia.* Fuerunt sane, qui ista arriperent, at tam molles plerique adferunt de tenero coniugum amore nugas, ut Tacito consule talia prorsus indigna iudicanda sint. Contineatur illa necesse est verbis *et invicem se anteponendo.* In quibus verbis ipsis quamvis non inesse videatur sententia aliqua a Tacito enuntiata, quum nil aliud nisi referat, quantum illi sibi ipsi invicem tribuerint, et quomodo alter alterum se esse praestantiorem existimaverit, tamen equidem ex his verbis sententiam, quam quaerimus, eruendam puto hancce: *erant illi virtute fere pares.* Ne contra moneas, aliud esse, quam alii de se habeant opinionem, referre, aliud, qui et quales illi sint, iudicare; ad haec primum tu animum adverte. Nostro loco Tacitus gener de socero suo et de socru loquitur. Iam si filius, quae parentes sui de se ac de sua virtute iudicaverint, narrat, ea nimirum non aliter intelligi vult, quam eadem sibi quoque videri, praesertim quum ille hac orationis forma ea una de caussa uti existimandus sit, quia vere-

latus unum aggere extulerant. Liv. XXVIII, 2 *asperitas locorum haud iniqua erat Romanis, nisi quod angustiae ordines dirimebant.* Plin. ep. II, 1 *usus est firma valetudine, nisi quod solebant ei manus tremere.* ep. III, 7 *usque ad supremum diem beatus et felix, nisi quod minorem e liberis duobus amisit.* Liv. IX, 41 *gens integra a cladibus belli, nisi quod transitum exercitus ager senserat.* Cic. ad Att. II, 1, 11 *Tusculanum et Pompeianum valde me delectant, nisi quod me aere obruerunt.* Ann. I, 16 *legiones seditio incessit nullis novis caussis, nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum — ostendebat.* Ann. XVI, 7 *nullo crimine, nisi quod—praecellebant.* Sall. Iug. 95 *cupidus voluptatum, sed gloriae cupidior, nisi quod de uxore potuit honestius consuli.* Interposita verba *otio luxurioso tamen ab negotiis nunquam voluptas remorata* pro parenthesi habeto, ne cum Kritzio ad ellipsin confugias, quae in his particulis nullibi statuenda est. Ann. XIV, 14 *notos quoque equites Romanos operas arenae promittere subegit donis ingentibus, nisi quod merces ab eo, qui iubere potest, vim necessitatis adfert,* in quo sententia: eos *donis* allectos esse limitatur eo, quod illa potius *necessitas* existimanda fuerit. Ann. IV, 52 *prosperiore eloquentiae quam morum fama fuit, nisi quod aetas extrema multum etiam eloquentiae dempsit.* Sen. ep. 47 *infelix, qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter secet, nisi quod miserior est, qui hoc voluptatis caussa docet, quam qui necessitatis discit.* Quibus verbis adnotatur, non absolutam esse illam notionem *infelix*, sed relativam. Plin. ep. VI, 21 *ornavit virtutes; circa me tantum benignitate nimia modum excessit, nisi quod tamen poetis mentiri licet* i. e. veritatis modum excessit, sed nimirum ut poeta. Ann. I, 33 *Agrippina paullo commotior, nisi quod castitate et mariti amore quamvis indomitum animum in bonum vertebat* i. e. commotior fuit, sed ita, ut non ad facinora abripi se pateretur. Etenim si animi fervore impelleretur ad iram, intercedebat mariti amor, quo avocata est a malis. Qui autem avertitur a malis, is dici potest *verti in bonum.* Frequentia sunt exempla, ubi dicitur aliquid non compertum esse, nisi quod unum indicium deprehendatur, unde aliquod iudicium facias. Germ. c. 9 *parum comperi, nisi quod signum – docet.* Hist. III, 28 *haud facile discreverim, nisi quod* cett. Liv. VII, 8 *neque tam vires pares quae superaverit res, facile dictu est, nisi quod perpetua fortuna* cett. Ann. VI, 24 *vix fides, nisi quod Actii centurionis* cett.

Vides nullo in loco artificiosam ellipsin quaerendam esse. Quid singulis quibusdam locis proprium sit, id paullo post supra adnotabitur.

cundia obstaret, ne de illorum dignitate ipse iudicium faceret. Adde illud quoque, si Agricola, vir gravissimus, uxorem suam sibi ipse anteposuisse dicitur, aliter hoc quisque accipiet, atque si homo imbecillus aliquis et uxorius de sua muliercula optima quaeque sensisse perhibetur. Magnam igitur in Domitia fuisse virtutem et aequalem fere Agricolae praestantiae, satis illis verbis significatur. Quoniam autem hoc loco id maxime agitur, quae sententia adiectis verbis *nisi quod* limitetur, addam grammatica quoque argumenta, quibus demonstrari possit, illam limitationem non necesse esse ut referamus ad id, quod illi se invicem *anteposuerint*, i. e. quod alter alterum sibi praestare existimaverit, sed ad id, quod pares illi fuerint virtute, commode eam referri posse. Fit enim subinde, ut scriptores, quum narrarunt, quae alii existiment, adiectis particulis *nisi quod* non sententiam limitatam velint suam, alios hoc illudve existimasse, sed potius ea, quae illos existimare dicunt, restringant. Ann. XIV, 40 *Marcellus proavo clarus neque morum spernendus habebatur, nisi quod paupertatem praecipuum malum credebat.* Ubi si dixisset *neque ille morum spernendus habebatur, nisi quod rex eum contemnebat*, tum hoc limitatum esset: illum (ab omnibus) *habitum esse haud spernendum*, nunc limitatur potius, eum *non spernendum fuisse.* Suet. Vitell. c. 7 *A Galba* (Vitellius) *in inferiorem Germaniam contra opinionem missus est. Adiutum putant T. Vinii suffragio, tunc potentissimi, nisi quod Galba prae se tulit, nullos minus metuendos esse, quam qui de solo victu cogitarent, — ut cuivis evidens sit, contemtu magis quam gratia electum.* Hic non limitatur, Vinii suffragio eum adiutum putari, sed adiutum esse. Nam alia fuerunt, quae Galbam moverunt, ut Vitellium in Germaniam mitteret. Vell. Paterc. II, 92 *Quod ego factum cuilibet veterum consulum gloriae comparandum reor, nisi quod naturaliter audita visis laudamus libentius, et praesentia invidia praeterita veneratione prosequimur* *).

Videamus iam, quomodo limitetur illa sententia. Duae res si inter se comparantur ponderando aut metiendo, habeamus necesse est mensuram quandam, ad quam utriusque rei dignitatem exigamus. In multis autem rebus, non uno pondere efficitur, quantum

*) Cf. etiam Plin. paneg. 7 *non ergo temporarium et subitum est, quod uterque collegae consulatu tanquam iterum suo gaudet; nisi quod tamen, qui rursus consules fiunt, bis quidem, sed temporibus diversis obligantur: nos duos consulatus accipimus simul, simul gerimus, alterque in altero consules et iterum et pariter sumus.* In his non limitatur, quod pariter gaudent collegae consulatu, sive pariter gratum consulatum putant, sed quod collegae consulatus pariter gratus sit, tanquam alter suus. Nam, ait, est etiam gratior, quam alter suus. Ceterum correxi in his, quod vulgo legitur: *consules, sed iterum et pariter sumus,*

altera alteri dignitate praestet, sed ratio, quae inter eos intercedit, est, ut mathematici dicunt, *composita* aliqua i. e. conflata ex duplici norma, veluti si vasorum duorum, quorum alterum aureum, alterum argenteum est, pretium constituere velis, non unum pondus utriusque, sed simul auri pretium quindecies tanto pluris aestimandi ad calculos vocabis. Harum compositarum rationum, quarum multa sunt genera, quum altera per se una non id, quod quaeritur, repraesentet, sed addita demum et coniugata altera id quod verum est, efficiatur: poteris profecto dicere, illam accessione alterius limitari et, ut iusta fiat, corrigi. Iam, quum admodum difficile sit, hominum, quorum diversa est fortuna ac vitae genus, diversumque ingenium, comparare dignitatem et virtutem, tum multo difficilius est virum cum femina comparare et utriusque laudem ac dignitatem contendere. Viri enim virtus non potest nisi cum viro, feminae nequit nisi cum feminae laude conferri. Itaque quod Seneca ep. 52, ubi homines comparat diversi ingenii, quorum alterius ingenium *secundae* est *sortis*, alterius *ex prima nota*, recte dicit: *quamvis ad eundem finem uterque pervenerit, tamen maior est laus, idem effecisse in difficiliori materia* *), id magis etiam cadit in feminam. Exspectaveris igitur in hac re hanc additam a Tacito mensuram: *nisi quod in bona uxore maior laus, quum minus virium ac facultatis sit in femina* **). At nihil legimus de feminae imbecilla natura, addita potius haec sunt: *nisi quod in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae.* Demonstrandum igitur erit, haec eodem redire et ad illam, quam nos substituimus, mensuram revocanda esse, sed ante explicemus ipsa haec verba.

Maior in bona uxore laus est idem est quod: uxori, si bona est, in maiori laude hoc ponitur, sive magis ei laudi datur, bonam esse, es wird ihr mehr als verdienst angerechnet. Contrarium est *quo plus culpae est in mala uxore:* je mehr es zum vorwurf gereicht, eine schlechte zu sein. Est enim i. q. *quo magis ei vitio datur, malam esse. Laus* et *culpa* saepissime sibi invicem opponuntur ***).

*) Cf. etiam Seneca ep. 53 *est aliquid, quo sapiens antecedat deum, ille naturae beneficio, non suo sapiens est; ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem dei.*

**) Ergo, ut cum mathematicis loquar, si Agricolae virtus est = p, Domitiae = q, laus, quae debetur Agricolae = a, quae Domitiae = b; non idcirco dicere licebit a: b = p: q, sed potius adhibita ratione m : n, qua facultas viri et feminae comparetur, haec conflanda erit formula: $a : b = \frac{p}{m} : \frac{q}{n}$

***) Gell. XVII, 2 *quae in eo libro scripta essent in utrasque aestimationes, laudis aut culpae adnotamentis digna.* Horat. A. P. v. 267 *vitavi denique culpam, non laudem merui.* Cic. pro Rosc. Am. 16, 48 *iam profecto te intelliges inopia criminum summam laudem Sexto Roscio vitio et culpae dare.* de off. 1, 21, 71 *iis non modo laudi, sed etiam vitio dandum puto.* Tusc. V, 2, 5 *Sed et huius culpae et ceterorum vitiorum — a philosophia petenda correctio est.*

Iam ante omnia sedulo pensitanda erunt ea, quae veteres interpretes, cordati illi et cati, quum magnopere his in verbis offenderint, ad ea culpanda attulerunt, quae quidem Walchius non debebat praepropere cavillari. Hi enim plerique Pichenae, qui *tanto minor laus* potius legendum esse affirmabat, adstipulantes, mala uxor, aiunt, si reprehenditur, quod non talis est, qualis esse debet: bona profecto, si talis est, qualis esse debet, non ideo laudem meretur. Nam qui tantum, quod suum est, facit, is non meretur laudem. Excitant Philostratum Apollonii vita VI, 11 *μὴ γὰρ εἶναι δικαιοσύνην τὸ μὴ ἀδικεῖν, ὑγιῶς, ἔφη, ἀπέδοξεν τοῖς Ἰνδοῖς· οὔτε γὰρ φρόνησις τὸ μὴ ἀνοήτως τί διανοεῖσθαι, οὔτε ἀνδρεία τὸ μὴ λείπειν τὴν τάξιν, οὔτε σωφροσύνη τὸ μὴ ἐς τὰ τῶν μοιχῶν ἐμπίπτειν, οὔτε ἄξιον ἐπαίνου τὸ μὴ κακὸν φαίνεσθαι· πᾶν γὰρ ὃ τιμῆς τε καὶ τιμωρίας ἀφέστηκεν, οὔπω ἀρετή.* Habent haec sane magnam veritatis speciem; at antequam illi hac ratiocinatione se implicarent, id quaerere debuerant, quam hoc loco Tacitus diceret *uxorem bonam.* An quivis, qui non malus est, *bonus* dicitur? Veluti *vir bonus* nonne est apud Romanos vir consummatae atque omnibus numeris absolutae virtutis? Cic. Tusc. V, 10, 28 *quid dicam bonos, perspicuum est, omnibus enim virtutibus instructos et ornatos tum sapientes tum viros bonos dicimus* *). Et qui illi sunt, quos Livius IV, 2 dicit *pace belloque bonos?* Utique autem hoc concedes, *bonam uxorem* hic dici talem, qualis Domitia fuerit. Iam non premam verba *idque matrimonium* Agricolae *ad maiora nitenti decus ac robur fuit,* nam haec non dicta videntur in laudem ipsius Domitiae, sed potius ad natalium splendorem, ad nobilitatem et splendidam in Agricolae domum allatam dotem referenda, quo magna Agricolae subsidia in petendis honoribus et adiumenta in illis cum dignitate gerendis allata fuerint, nam, ut Plinius ait ep. VI, 32, *imponit officiorum civilium ratio nitoris quandam necessitatem:* sed illa cum magno viro *mira concordia vixit,* quae concordia profecto non angustis finibus coniugalis caritatis terminanda est, sed in omnium voluntatum, studiorum, sententiarum summa consensione cerni existimanda est. Alioquin qui fieri poterat, ut ille uxorem sibi ipse *anteponeret*, nisi in consiliis agitandis eius prudentiam cognosset, in perficiendis eius hortationibus confirmatus, in dubiis rebus eius consilio adiutus esset? *Sic*

*) Cic. de off. III, 19, 77 *ne statuisse videretur, virum bonum esse aliquem, cum ea res innumerabilibus officiis et laudibus contineretur.* Sen. ep. 34 *scis, quem dicam bonum: perfectum, absolutum, quem malum facere nulla vis, nulla necessitas possit.* ep. 52 *si sciret, quid esset vir bonus, nondum se esse crederet, fortasse etiam fieri posse desperaret.* Legas etiam Sen. ep. 76, ubi quid sit *vir bonus, navis bona, gladium bonum* explicat additque *eo quodque laudatur, cui comparatur, quod illi proprium est.*

war, sic ego olim descripsi, *eine frau, die mit einem grofsen manne vermählt, auf dessen geistigen standpunkt sich zu erheben vermochte, in seine ideen eingehen, sein streben und wirken fördern und beleben, in seiner hohen stellung glanz um ihn zu verbreiten wusste.* Talem igitur uxorem, quae, ut Plinius ait paneg. 83, *marito in decus ac gloriam cedit* et a Tacito h. l. *bona* appellatur, eam nos dicamus fuisse duntaxat non malam? Malam videtur Tacitus significare, quae viro obsequi et obedire recusat, quae cum *tueri domum et inservire liberis* (dial. c. 28), et *domesticum laborem, qui matronalis est* (Colum. -de re rust. XII. praef. §. 8), in se recipere debeat, suis libidinibus et luxuriae se dedit, quae impedimenta ac dedecus affert marito, ut *qui foris clari essent,* eos *domestica destrueret infamia, et ne maximi cives haberentur, hoc efficiebat, quod mariti minores erant* (Plin. paneg. 83), ac saepe *si qui repetundarum arguerentur, plura uxoribus obiectabantur.* Ann. III, 33.

Satis igitur apparet, Tacito in his triplex obversari uxorum genus, unum *bonarum,* quae laudantur, alterum *non malarum,* quae probantur *), tertium *malarum,* quae culpantur. Bonae a non malis tantidem distant quantum malae, modo in diversas partes. Atque in bona tanto maior laus, quanto in mala plus culpae sive dedecoris; media inter has, quae probabilis est, neque laudem habet, neque culpam. Qua autem mensura omnes metieris? Natura et indole feminae, quae imbecilla est. Media illa tantum praestat, quantum ab femina pro sua natura requiri potest, idque significat Pericles apud Thucydidem II, 45 εἰ δέ με δεῖ καὶ γυναικείας τι ἀρετῆς μνησθῆναι, βραχείᾳ παραινέσει ἅπαν σημανῶ· τῆς τε γὰρ ὑπαρχούσης φύσεως μὴ χείροσι γενέσθαι ὑμῖν μεγάλη ἡ δόξα. Imbecillam existimasse veteres feminae naturam, multis proditur locis. Plato de legg. p. 781. B. ἡ θήλεια φύσις ἐστὶ πρὸς ἀρετὴν χείρων τῆς τῶν ἀῤῥένων. Tac. Ann. III, 33 *non imbecillum tantum et imparem laboribus sexum, sed, si licentia adsit, saevum, ambitiosum, potestatis avidum.* c. 34 *sexus natura invalidus.* Hinc pauca ab ea desiderant; *uxori,* ait Plin. paneg. 83, *sufficiat obsequii gloria,* et viro *revertenti post laborem* praebeat *uxorium levamentum* (Ann. III, 34). Sententia igitur additae clausulae haec est: pares illi fuerunt virtute, nisi quod uxori, quod in tali comparatione tenendum est, in maiori laude ponitur, si naturae suae modum supergressa ad viri virtutem accedat, cui id eodem et pari modo laudi dandum erit, quomodo malae vitio vertitur, si citra modum eorum, quae prae-

*) Cic. ad fam. V, 20 med. *quam rationem omnes non modo probant, sed etiam laudant.* VII, 1 *rationem tuam et laudo vehementer* et *probo.* pro Mil. 28, 77 *nunc enim quis est, qui non probet, qui non laudet?*

stare potest et debet, subsistens officio suo deest. Significat igitur Tacitus, quanti existimanda sit talis femina, id ita demum recte ponderari posse, si comparetur cum uxore mala. Nam si quod uxori pro virium suarum, ut feminae, modulo praestandum est, *r* nominamus, bona illa uxor praestat $r + x$, mala autem $r - y$. Ille cumulus (ὑπερβολή) in bona quum tantidem faciendus sit, atque defectus ille (ἔλλειψις) in mala, tantum illa meretur laudis, quantum in altera culpae est. Satis vides, quomodo in omni hac comparatione cardo vertatur in imbecillitate naturae feminarum. Iure autem quaeres, cur his ambagibus utatur Tacitus, et tali modo, qui multis perplexus visus est, haec pronuntiet. Cur non simpliciter dicebat, nisi quod feminae imbecillitas in hac comparatione reputanda et ad calculos vocanda est, aut: uterque praestans erat in suo genere, ille ut vir, haec ut femina? Tu mecum haec considerato: Tacitus hoc loco gratificaturus socrui etiamtum viventi, aliquid in eius laudem honorifice et blande dicere in animo habebat. In tali autem mentione, qua matronam venerari vellet, alienum erat a liberali urbanitate, feminae imbecillitatem quasi exprobrare. Hoc quia rusticum ei videbatur, elegantiorem pronuntiandae illius sententiae modum elegit, quo bonae uxoris praestantiam opprobrio malae, quae mediocre feminae munus non expleret, metiendam proponit.

Cave igitur, ne cum plerisque interpretibus animo addendum putes, in mala plus culpae quam in malo viro. Nam eam ipsam ob caussam, quia iniquum esset feminam cum viro comparare, alteram addit mensuram, qua bona uxor cum mala contenditur. Hanc igitur mensuram num denuo contaminabit comparatione viri et feminae? Haec si legentibus sufficient omniaque, ut spero, satis explicata et enucleata videbuntur, dabunt mihi eam veniam, ut supersedeam refutandis aliorum interpretandi conatibus. Fr. Neuius Observationum in Tacitum spec. I. Dorpat 1836 p. IV. explicat: parem laudem merebatur a concordia coniugali uterque; sed ut vir potest vitium in hoc genere admissum aliis virtutibus compensare, laudem hinc quaesitam aliis vitiis obscurare, mulier autem a solo in maritum amore et fide censetur, sic in Domitia magis quam in Agricola laus coniugalis celebrata est.“ Mentionem huius loci iniicit etiam Guilielmus de Humboldt Opp. V p. 84 „meines erachtens will Tacitus sagen: wenn ein mann eine schlechte frau hat, so ist er zu tadeln, denn er ist gleichsam an ihren fehlern schuld, aber wenn er eine gute hat, ist er um so mehr zu loben. Denn er ist vorzüglich die ursache ihres gutseins. Auf gut römisch werden also die potiores partes dem manne eingeräumt. Nun wundert mich am meisten nur die verbindung beider sätze durch *nisi quod*. Diese

weifs ich mir nur auf Eine art einigermaafsen zu erklären cett. Sic fere nuper Doederlinus: „cum bona est uxor, maior laus est viri quam mulieris; cum mala est, viri maior culpa est quam mulieris.“ Cf. Ann. III, 34 *nam viri in eo culpam, si femina modum excedat.* Plin. paneg. 83 *mariti hoc opus, qui ita imbuit, ita instituit.* Similia habet Freinshemius. In interpretum numero recensent adeo NAPOLEONEM, quem nostrum locum aiunt respexisse, cum dicat (O'meare III, p. 20 vers. germ.): Weiber, wenn sie schlecht sind, sind schlimmer als männer, und begehen leichter verbrechen. Wenn das sanfte geschlecht fällt, fällt es tiefer als das andere. Weiber sind immer viel besser oder viel schlechter als männer. — *Anteponere* nuper Doederlinus explicavit: non aestimatione se anteposuerunt, sed factis, dum uterque sua ipse commoda suaque vota commodis votisque alterius gratificatur, ut Pamphilus Terent. Andr. I, 1, 35 *sodalium obsequitur studiis, nunquam se praeponens aliis.* Höfer p. 8: „*Anteponere* bezeichnet die gleichheit ihres strebens, sich gegenseitig den vorzug zu geben, den gatten höher zu halten als sich selbst.

Alius locus temere a quibusdam in suspicionem adductus est cap. 30 *nunc terminus Britanniae patet, atque omne ignotum pro magnifico est.* Multi haesitarunt in his verbis, nemo sensit, quid maxime illud sit, in quo iure offendatur. Tacitus si scripsisset *atque ignotum pro magnifico est*, nemo haesitasset, nam ita simul pronuntiatum esset: *quod notum est, non pro magnifico est*, quod unum congruit cum antegressis *nunc terminus Britanniae patet, quod autem patet, non amplius pro magnifico est.* Turbamur igitur una illa voce *omne.* Nam si quis dicat Mercurium esse mortalem, ei recte opponimus, *homo est mortalis* (sc. non *deus*), at non licet eadem vi opponere *omnes homines sunt mortales.* Itaque ego olim coniiciebam, ut removeretur illud *omne*, scribendum esse *atque homini ignotum pro magnifico est.* Saepe enim *omnes* et *homines* commutantur (Drakenb. ad Liv. III, 54, 6. Görenz ad Cic. de fin. III, 19, 64. Walther ad dial. de orat. c. 8). Nunc, ut nulla mutatione opus esse censeam, haec me movit cogitatio. Quod additur *ignotum pro magnifico est* videtur esse proverbialis locutio. Proverbium autem illud plene vulgo pronuntiatum suspicor: *omne ignotum pro magnifico est*, uti sexcenta Graecorum proverbia a voce *πᾶς* et *πᾶν* incipiunt. Tacitus igitur si proverbium integrum et plenum citaret, non verebatur, ne quis verba singula premeret, quum una sententia, quae in eo inest, ex eo repetendam esse quisque intelligeret. Nos quoque quum proverbia et effata veterum sermoni nostro admiscemus, ita hoc facimus, ut tralaticiam eius formam retinea-

mus, quamvis non singula quaeque verba, sed tantum universa sententia cum reliquo nostro sermone congruat et conveniat. Ceterum Rhenanus et Walchius scripserunt non *atque*, sed *atqui*, quae particula locum habet in conclusione, sed ita, ut adiungatur propositio minor, quod non cadit in sententiam illam generalem: *omne ignotum pro magnifico est.* Immo haec eodem modo coniuncta est cum priori *terminus Britanniae patet,* quomodo copulata sunt *recessus ipse ac sinus famae nos ad hunc diem defendit.* Sententia igitur est: *nunc terminus Britanniae patet, und im sprüchwort heifst es:* nur das unbekannte gilt als grofs.

Vidimus supra plus semel, quam difficile sit demonstrare, quomodo aut corruptela aliqua subnata aut glossema invectum sit. Agite igitur, quum nonnulla reliqua sint glossemata, quorum obscura videtur origo, commonstremus iam viam, qua ista difficultas expediatur. Additamenta enim quaedam inveniuntur non inter ea verba inferta, ad quae ipsa pertinent, sed alio loco intrusa. Antiquissimum igitur codicem, ex quo nostri libri *ΔΓ* manarunt, suspicor equidem, ut plerosque codices, in quavis pagina duas habuisse, ut ita dicam, columnas, marginem unum, quem in adversis paginis ad latus dextrum, in aversis ad sinistrum patuisse consentaneum est. Itaque quae interpretamenta pertinerent ad interioris columnae verba, ea nonnunquam in exteriorem columnam margini propiorem recepta sunt. Utut statues de hac mea suspicione, mirabile sane illud est, omnes eiusmodi locos eodem prorsus spatio (viginti quatuor fere lineis in edit. Orellii minori) distare. Adscribam hic locos sex, de quibus deinceps disputabo, addam unum, ubi codex antiquus perforatus fuit, ut duae syllabae legi non possent, atque aversa pagina vox, aequali illo spatio ab illa lacuna remota, item mutilata est duarum syllabarum defectu, ex quo efficitur, quot verba et lineae in quavis columna scriptae fuerint.

pagina aliqua aversa:

(c. 5.) *nec Agricola licenter more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam retulit, sed noscere provinciam, nosci*

(c. 6) *mox inter quaesturam ac tribunatum plebis atque ipsum etiam tribunatus annum quiete et otio transiit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Idem praeturae*

sequentis folii pagina aversa

(c. 10) *et est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum*

(c. 11) *proximi Gallis et similes sunt, seu durante originis vi,*

fama est transgressis. Sed immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam littore terrarum velut in cuneum tenuatur.

seu pro currentibus in diversa terris positio coeli corporibus habitum dedit. In universum tamen aestimanti Gallos vicinam insulam

pagina aliqua adversa:

(c. 20) et nihil interim apud hostes quietum pati, quominus subitis excursibus popularetur, atque ubi satis terruerat, parcendo rursus invitamenta pacis ostentare.

(c. 22) aut vi hostium expugnatum aut pactione ac fuga desertum. Crebrae eruptiones: nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur. Ita intrepida

eiusdem folii pagina aversa columnae hae sunt:

(c. 24) et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differt in melius. Aditus

— — — — — — —

— — — — — — —

specie prudentium admonebant

. . . .

Cum interim cognoscit, hostes pluribus agminibus irrupturos, ac ne superante numero et peritia

— — — — — — —

— — — — — — —

virtute sed occasione et arte ducis

. . . .

pagina aliqua aversa:

(c. 41) comparantibus cunctis vigorem et constantiam et expertum bellis animum cum inertia et formidine eorum. Quibus sermonibus constat, Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus

(c. 42) posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si modestia ac vigor adsint eo laudis excedere, quo plerique per abrupta sed in nullum reipublicae

sequentis folii

adversa pagina col. II

(c. 45) mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus: nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit

aversa pag. col. I

(c. 46) admiratione te potius quam temporalibus laudibus, et si natura suppeditet, multum decoremus. Is verus honos, ea coniunctissimi cuiusque pietas. Id

pagina aliqua adversa:

(*c.* 33) *fortissimi cuiusque vocem audiebam: quando dabitur hostis, quando animus? veniunt, e latebris suis extrusi, et vota virtusque in aperto omniaque prona*

(*c.* 34) *sed deprehensi sunt: novissimae res et extremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis.*

Videamus primum cap. 10. *et est ea facies citra Caledoniam, unde et universum fama est transgressis* habet cod. *Γ*, *unde et in universum fama est transgressus* cod. *Δ*. Haec quia sensu cassa sunt, ex coni. Rhenani vulgo scribitur *unde et in universum fama est transgressa,* quod interpretantur: fama transtulit illam faciem in universum, sive, quod valet de terra citra Caledoniam, id fama translatum est in universam terram. At neutiquam hoc latine dici potest: *fama est in universum transgressa,* quae dictio quid significet, optime cognoscitur ex Ann. XII, 36 *unde fama eius evecta insulas et proximas provincias pervagata per Italiam quoque celebratur.* De fama autem in alias terras propagata hic non agi, quisque intelligit. Tu igitur dele illud *transgressis* et a Tacito scriptum puta: *unde et in universum fama est,* i. e. unde fama est, universam Britanniam eam faciem habere. Cum his maxime colludit marginalis lectio: *unde et universis fama. Unde et* Walchius apte comparat cum graecis διόπερ καὶ (Thucyd. I, 71. Plat. Gorg. 525 D.). Est igitur: quae ipsa caussa est, ut universa Britannia hanc formam habere perhibeatur. Unde autem illa vox *transgressis* originem habet? Est glossema, quod pertinet ad verba e regione posita: *Proximi Gallis et similes sunt, seu durante originis vi* [*transgressis*], *seu procurrentibus in diversa terris positio coeli corporibus habitum dedit.* Dativo glossator eodem modo usus est ut Velleius II, 85 *illis etiam detracto capite in longum fortissime pugnandi duravit constantia.*

Cap. 22 *nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum aut pactione ac fuga desertum* [*Crebrae eruptiones*], *nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur.* In his sententiarum nexus misere conturbatur ac prorsus subvertitur interpositis verbis *crebrae eruptiones*, quibus omissis omnia egregie et rite procedunt. Unde igitur illata sunt ista verba? Ex margine, in quo adscripta erant verbis e regione positis: *nihil interim apud hostes quietum pati, quominus subitis excursibus popularetur,* quorum verborum sententia illa glossa marginali summatim adnotata erat. Atque *eruptiones* quidem glossator eodem modo dixit uti Caesar b. g. VII, 7 *et magna coacta manu in provinciam Narbonem versus eruptionem* (i. e. *excursum*) *facere contendit.*

In aversa pagina eiusdem folii legebatur caput vicesimum quartum atque in eo haec: *solum coelumque et ingenia cultusque haud multum a Britannia differt* [*in melius*]. *Aditus portusque per commercia et negotiatores cogniti.* Adsuta illa vocabula *in melius* neque cum *differt*, neque cum *cogniti* ullo modo coniungi possunt. Nam verba *cultus haud multum differt a Britannia* tam plena et solida sunt, ut, quomodo alia adverbialis notatio praeterea adiici possit, dispicere nequeas. Waltherus igitur coniungi voluit cum *cogniti*, atque *portus in melius cogniti* interpretatur: cognitum fuisse Romanis, Hiberniae portus meliores esse quam Britanniae. In quo vir cautus mirum quantum fallitur. Nam *portus in melius cogniti sunt* apud Latinos nil significat nisi: nuntiatum est, portus meliores esse, quam *re vera sunt*, quod satis vides nostro loco non aptum esse. *In melius cognoscere* Latini eodem modo dicunt uti *in melius referre*. Nimirum Graeci et Latini, quae dicendi verbis addunt adverbia, eadem addere amant verbis audiendi. Hinc quod Sophocles Ant. 692 dicit *ἐμοὶ δ' ἀκούειν ἔσθ' ὑπὸ σκότου τάδε*, bene adnotavit Godofredus Hermannus „quoniam quae clam dicuntur, etiam audiuntur clam, ad audiendum transtulit poeta, quod de dicentibus dici debebat.“ Tac. Hist. I, 83 *num omnes nuntios palam audiri, — ratio rerum patitur?* Sic Graeci dicunt *πρὸς ἡδονὴν ἀκούειν* Demosth. de Chers. §. 34. Philipp. III, §. 4. quia dicunt *πρὸς ἡδονὴν λέγειν* (Thucyd. II, 65. VI, 17. Demosth. Olynth. III, 3. Philipp. I, 38. de Chers. 1. Soph. Elect. 921). *διὰ βραχέων ἀκοῦσαι* Dem. Phil. II, §. 6. *breviter cognoscite* Cic. Verr. III, 27, 61. *breviter attendite* Verr. III, 70, 163. *καθ' ἕκαστον ἀκούειν* Thucyd. I, 141, quia dicunt *καθ' ἕκαστον λέγειν* (Demosth. de Chers. §. 38). *ὧδ' ἄκουε* Soph. Elect. 643. *quin sic attendite* pro Mil. c. 29. in Verr. III, 12, 29. Iam uti *in maius nuntiare**) Hist. III, 38 est rem maiorem proponere, quam vere est, ita *in maius auditur* est *in maius relata auditur***).

Walchius deleta cum Rhenano vocula *in* explicat: Romanis melius cognitos fuisse Hiberniae quam Britanniae portus. At quum centum iam per annos Romani Britanniam tum frequentassent, Hiberniam nondum attigissent, quo tandem modo huius portus mělius tum poterant quam illos cognitos habere? At enim conferre iubet Walchius Caes. b. g. IV, 20. Quid inde lucra-

*) Cf. *in maius vulgare* Ann. III, 12. *in maius componere* Sall. fragm. hist. 66 (Cort. p. 1005). *in maius celebrare* Liv. IV, 34 fin. Sall. Iug. 73. T. Ann. XIII, 8. *in maius vero ferri* Liv. XXI, 32. *in maius extollere* Liv. XXVIII, 31. *in maius tollere* Ann. XV, 30. Plin. ep. III, 11. *in maius laudare* Sen. ad Helv. 6. *in deterius referre* Ann. XIII, 13. Hist. III, 13. *in deterius afferre* Ann. II, 82. *in peius effingere* Plin. ep. V, 10. *in mollius referri* Ann. XIV, 39.

**) Cf. *in maius credi* Ann. III, 44. Hist. I, 18. *in maius audiri* Ann. IV, 23. *in deterius credi* Ann. III, 10. *in deterius audiri* Hist. IV, 68. *in melius accipi* Hist. I, 52. Hist. III, 7. Liv. IV, 1. *in maius metu augente accipiebant* Liv. XXIX, 3.

mur? nisi forte quis Tacitum hoc putat dicere voluisse: Agricolae Hiberniae portus melius cogniti fuere, quam centum ante annis Britanniae portus Caesari. Praeterea confert Agr. c. 25, unde hoc elicias: melius cogniti Hiberniae portus quam Caledoniae. Et talia somnia ellipticae insaniae dicit ille „argumenta historica.“ Egregia sane est Danesii et Rhenani coniectura: *Eius aditus*, pro quo coniectare etiam possis: *Insulae aditus*, at non sunt ista veri similia. Possis etiam suspicari additum esse illud ab aliquo, qui Hiberniae solum et cultum meliorem esse adnotare voluerit, ideoque novitia latinitate adposuerit *in melius differt*. At melius ista quaestio expeditur illo nostro artificio. Nam in codice antiquo haec e regione legebantur: *Cum interim cognoscit, hostes pluribus agminibus irrupturos, ac ne superante numero* cett. Quum a particula *Cum* in codd. nova enuntiatio inchoaretur, in his videbatur aliquid deesse (cf. infra Annales nostros ad annum 837). Itaque facile aliquis olim aliquid inserendum putaverit, quo Agricolam melius consilium iniisse indicaretur. Huius supplementi aut reliquias aut omissae, ut videbatur, sententiae brevem significationem continet illud *in melius* (velut *in melius discessit* sive *in melius versus Agricola*). Atque hoc in margine notatum irrepsit alieno loco*).

Eandem forsan originem habuerint voculae duae, cap. 5 Taciti verbis interpositae, quibus additis rotunda et perspicua oratio conturbatur, sententia autem verborum neque augetur neque variatur. Neque in hoc loco interpretando adeo se torsissent Viri docti, nisi additamento illo locus contaminatus esset. Verba dico *neque segniter*, quae inde originem traxisse mihi videntur, quia ad verba e regione posita (c. 6) *tribunatus annum quiete et otio transiit* illud ad marginem appictum fuerat aut ab eodem morum magistro, qui c. 9 (cf. p. 106) verba *et saepius misericors* adsuenda censuit, aut ab alio, qui, quia eodem loco de *inertia* sermo est, discrimen, quod esset inter *inertiam* et *segnitiem*, inculcare voluerit. Sed explicemus totum locum. In iis, quae antecedunt: *prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino, diligenti ac moderato duci, approbavit, electus quem contubernio aestimaret*, bene I. A. Ernesti interpretatur ultima verba: „quem in contubernium adsumtum exploraret.“ Ablativo enim *contubernio* significatur, qua ratione et Suetonio locus datus sit explorandi adolescentis et

*) Pfitznerus, qui illam nostram rationem transponendorum glossematum amplexus, huic loco, cuius equidem nullam tum mentionem adsperseram, et ipse adhibendam censet, illud *melius* referre vult ad verba cap. 26 *mutato repente* [*in melius*] *consilio*. At nescio equidem, quomodo glossatori hostium consilium in melius mutatum videri potuerit.

Agricolae virtutis suae duci approbandae *). *Aestimare* autem recte explicat Ecksteinius: „*aestimare aliquem* est cognoscere alicuius virtutem, qualis vel quanta sit**). Talem enim occasionem optime praebet contubernium, cf. Plin. ep. X, 95 *Suetonium Tranquillum — in contubernium adsumsi, tantoque magis diligere coepi, quanto hunc propius inspexi.* Neque hoc incertum est, *electus* interpretandum esse: *postquam electus est.* Ita enim occasio data est Agricolae approbandae suae virtutis, et ita rudimenta sua approbavit Suetonio (i. e. stipendia prima ita fecit, ut probarentur Suetonio). Agricola igitur primo statim introitu bonam indolem prodiderat Suetonio***), ut is eum dignum iudicaret, quem accuratius exploraret, utrum ad maiora aptus esset. Sed alii maluerunt illud explicare „quia approbavit rudimenta, propterea electus est in contubernium." Id quamquam patitur quodammodo Latinorum dicendi usus †), tamen illud facile vides magis consentaneum esse et rei naturae conveniens. Nam tum demum unus tiro sua rudimenta summo duci approbare potuit, si propius ille eum cognovisset. *Contubernium* quid sit, non explicarem, nisi errore quodam levandi essent, qui ea de re disputarunt. Etenim bene quidem adnotatum est ab Ernestio clav. Cic. Beiero ad Cic. off. T. I. p. 341, Manutio ad Cic. ep. ad fam. V, 20. nobiles adolescentes tirocinium posituros imperatoribus commendatos esse, ut horum in contubernio circa duces et horum sub oculis forent, cum his versari, ab eis in arte militari erudiri eorumque consiliis interesse, quantum liceret, possent. At propagatus error est, quod hos adolescentes, *qui in contubernio sunt* vel *habentur* ††)

*) Male Walchius explicat *ex contubernio.* In hunc modum si velles ablativum explicare (cf. ad cap. 45), tum sententia foret similis atque in proverbio illo: *noscitur ex socio qui non cognoscitur ex se.* Cf. Plin. paneg. 15 *miles te commilitone censetur.*

**) Seneca ep. 45 *dummodo te complecti possem et praesens aestimare, quantum animo crevisses.* Liv. VI, 41 *est aliquis, qui se inspici, aestimari fastidiat.* Hist. II, 76 *omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, aestimare debent, an, quod inchoatur, reipublicae utile sit.* Curt. III, 7, 14 *epistola, priusquam ei redderetur, in manus Alexandri venerat, lectamque Sisini dari iusserat ad aestimandam* [i. e. explorandam] *fidem barbari.*

***) Ingeniose Walchius animadvertit Valerium Paulinum Foroiulio oriundum esse (Hist. III, 42). Quod si inde suspicari liceat, ex eadem urbe Suetonium Paulinum ortum esse, tum satis in promptu esse, cur Agricolam hic tanto favore amplexus sit.

†) Nonnunquam enim participium subsequens non caussam rei, sed rationem et argumentum pronunciatae sententiae continet. Horat. Od. I, 31, 13 *dis carus ipsis, quippe ter et quater anno revisens aequor atlanticum impune.* In his non caussa additur, cur Diis fuerit carus, sed cur Diis carus existimandus sit. Sueton. Calig. 4 *Quarum fructum uberrimum tulit, sic probatus et dilectus a suis, ut Augustus* cett.

††) Sall. Iug. 64, 4 *is eo tempore contubernio patris militabat, annos natus circiter viginti.* Sueton. Caes. 2 *stipendia prima in Asia fecit M. Thermi praetoris contubernio.* Frontin. IV, 1, 12 *P. Rutilius consul quum secundum leges in contubernio suo filium posset habere, in legione militem fecit.* Ve-

cum ducis *contubernalibus*, qui proprie sic dicuntur, confundunt. *Contubernales proconsulis* (sive *proconsuli)* sunt viri eruditissimi (Plin. ep. X, 95) et rerum militarium peritissimi, quorum opera utitur dux in consiliis capiendis et exsequendis *(les aides de camp,* Adjutanten). Qui quia adiutores sunt ducis, propterea etiam civilium magistratuum adiutores saepe contubernales eorum dicuntur *). Nec omittendum illud, quod saepe contubernalis *alicui* non *alicuius* dicitur **). Ab illis adiutoribus probe internoscendi sunt tirones illi, qui *in contubernio sunt,* qui hac disciplina edocti deinde aut ordines ducunt, aut contubernales alicuius fiunt. Hinc fit, ut qui antea in proconsulis contubernio essent, aliquot annis post contubernales sint quaestoris ***). Tribuni quoque militum contubernales habebant †). Pergit Tacitus: *Nec Agricola licenter more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt,* [*neque segniter*] *ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit, sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos* cett. In his vides caussam explicari, cur approbata sint Suetonio tirocinia Agricolae, quasi dicatur: *Nec hoc mirum, nam Agricola* cett. Primum quaeritur, quis sit *titulus tribunatus.* Ex Suetonio, quem Buchnerus laudavit, Aug. 38. discimus, senatorum filios primis statim stipendiis tribunos militiam ingressos esse: *Liberis senatorum, quo celerius reipublicae adsuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere et curiae interesse permisit, militiamque auspicantibus non tribunatum modo legionum sed et praefecturas alarum dedit.* Tib. c. 9 *stipendia prima expeditione Cantabriae tribunus militum fecit.* Plin. paneg. 15 *tribunus disiunctissimas terras teneris adhuc annis viri firmitate lustrasti. Neque enim prospexisse castra brevemque militiam quasi transisse contentus, ita*

getius de re milit. II, 12 *tanta autem servabatur exercendi milites cura, ut non solum tribuni vel praepositi contubernales sibi creditos sub oculis suis iuberent quotidie meditari, sed etiam ipsi armorum arte perfecti caeteros* cett., ubi adolescentes illi *contubernales* dicuntur latiori sensu. Idem disciplinae Romanae institutum significare videtur Plin. ep. VIII, 14, 4.

*) Cic. pro Sulla 12, 34 *L. Torquatus quum esset meus contubernalis in consulatu, atque etiam in praetura fuisset, auctor, adiutor, particeps exstitit.* 15, 34 *tibi meo familiari et contubernali.* Itaque si Cic. Brut. 27, 105 *L. Gellius se Carboni contubernalem in consulatu fuisse narrabat,* non debebant quidam interpretes, ut Meyerus, anxie quaerere, in qua tandem expeditione Carbo dux fuerit, et ita negotia sibi facessere. — Apud Cic. ad Att. XIII, 28 Caesar ludibrii caussa *contubernalis Quirini* nominatur.

**) Cic. pro Caelio 30, 73 in Africam profectus est Q. Pompeio contubernalis.

***) Cic. pro Planc. 11 *Plancius adolescentulus cum A. Torquato* (propraetore) *profectus in Asiam, sic ab illo dilectus est, ut et contubernii necessitudo et adolescentis modestissimi pudor postulabat. Fuit in Creta postea contubernalis Saturnini* (quaestoris), *miles Metelli.*

†) Cic. ad fam. V, 20 *de centurionibus tamen et de tribunorum militarium contubernalibus res est in integro.*

egisti tribunum, ut esse statim dux posses. Eiusmodi tribunos *Augustales* dictos esse, suspiceris ex Veget. de re mil. II, 7 *ordinarii* (tribuni) *dicuntur, qui in praelio primos ordines ducunt: Augustales appellantur, qui ab Augusto ordinariis iuncti sunt.* Hi autem adolescentes, quum non eum haberent rerum militarium usum, qui a tribunis, qui primos ordines vere ducerent, requirebatur, propterea eorum tribunatum, quippe qui non in belli usu, sed in titulo tantum huius ordinis cerneretur, *titulum tribunatus* dicit*). Nos diceremus Titular-Tribunen. Quoniam autem apud Latinos ipsa vox *titulus*, quod est honoris nomen, non simpliciter eam vim habet uti apud nos, ut qui titulum honoris habeat, non ipsum honorem habere significetur, propterea Tacitus indicaturus, illos *speciem* tantum prae se tulisse tribunatus, legentium gratia aliud attributum addit: *et inscitiam***). Bene igitur haec explicat Riglerus: „nomen tribunatus cum inscitia iunctum.“ Duabus igitur hisce notis iam satis perspicue denotatur illorum adolescentium conditio, qui tribunorum haberent nomen, non peritiam. *Referre* autem quid sit, satis notum est, nam *omnia ad utilitatem suam referre* is dicitur, qui in aestimandis rebus earumque dignitate ponderanda unam utilitatem suam spectat et tanquam normam adhibet, qua illas metiatur. (Cic. de fin. II, 15, 48 *ad honestatem omnia referre* et *honestate summum bonum metiri* iuxta ponuntur.) Sed qui ad utilitatem omnia referunt, ii utilitatem non modo animo sequuntur, sed eandem student consequi. Cic. ad fam. III, 10 *Quod si id est maxime astuti, omnia ad suam utilitatem referre — — quae tamen ego omnia in expetenda amicitia non sum secutus.* de legg. I, 20, 52 *ad finem bonorum, quo referuntur, et cuius apiscendi caussa sunt facienda omnia.* Illi igitur adolescentes in aestimando suo tribunatu id unum intuebantur et sequebantur commodum, quod facile sibi, ut tribunis, darentur commeatus, eoque otio uti liceret ad voluptates sectandas provinciamque animi caussa perlustrandam. Longe alia mens et consuetudo erat Agricolae, qui, quia tribunus diceretur, earum rerum scientiam et usum sibi parare studebat, qui a tribuno exspectatur.

*) Cf. Sueton. Caes. 76 *tertium et quartum consulatum titulo tenus gessit, contentus dictaturae potestate.* Domit. c. 1 *honorem praeturae urbanae suscepit titulo tenus, unam iurisdictionem ad collegam proximum transtulit.* (Cf. Hist. IV, 39 *Domitianus praeturam cepit; eius nomen epistolis edictisque praeponebatur, vis apud Mucianum erat*). Suet. Claud. 25 *imaginariae militiae genus, quod vocaretur supra numerum, quo absentes et titulo tenus fungerentur.*

**) *inscitia* saepissime dicitur ipsa illa ineuntis aetatis imprudentia, cui usus deest et experientia, duci maxime necessaria. Ann. XV, 25. 26. Liv. XXII, 9. Cf. Gernhardi excursum ad Cic. Cato mai.

Videamus iam de verbis *neque segniter*. Istud *neque* facile vides non referri posse ad antegressum *nec*, quo totum enunciatum cum antecedente copulatur. Scribi igitur certe debebat *aut segniter* *). Cf. c. 18 *Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus expeditionem aut victoriam vocabat victos continuisse.* c. 8 *Nec Agricola unquam in suam famam gestis exsultavit.* Deinde nescio, quid opus fuerit, eos, qui voluptates sectarentur, in duo quasi genera digerere, quorum alteri licenter et lascive id facerent, alteri segniter. Sunt autem verba ita collocata, ut in hac distinctione magnum pondus positum videatur. Atque dixerim adeo, *segnitiem* ne cadere quidem in illos adolescentes, qui voluptates sectarentur. Inertes sane illi erant et dissoluti, segnes autem desidiam potius sequuntur quam voluptates lascivientium et exsultantium adolescentium. Itaque omnino tale quid scribendum fuerat: *Nec Agricola licenter more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit, neque segniter* desidiae se dedit, *sed noscere* cett.

Atque talis duorum membrorum bipartita ratio obversatur plerisque interpretibus, quam expiscaturi huc illuc distorquent verba. Doederlinus nuper verba hoc modo construxit: *Nec Agricola licenter more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt,* scil. egit, *neque segniter ad voluptates et commeatus et inscitiam titulum tribunatus rettulit.* Ellipsin illam, cuius exempla vide ad c. 19, non improbarem, si simpliciter narraretur: *Agricola non licenter* cett., sed illud *Nec Agricola* cett. eum habet cum antecedentibus nexum eamque vim, ut verbum, quo Agricolae agendi ratio expresse, non elliptice, indicetur, non mihi videatur deesse posse, praesertim quum illud *licenter egit* insequentibus verbis *neque rettulit* explicari videatur. Nunquam autem verbum aliquod, cui explicatio additur, per ellipsin omitti potest. Sin Doederlinus illa non per epexegesin, sed seorsim addita putat, tum offensio maior etiam erit. Ita enim iuvenes illi, qui militiam in lasciviam vertunt, *licenter* quidem *egisse* dicuntur, *segniter* autem et quae sequuntur, non item pertinebunt ad eosdem et ad eorum exemplum. Ex quo duo enascuntur incommoda. Primum quid opus est, ut quem collaudaturus sis tanquam hominem egregium,

*) Alia est ratio horum exemplorum: Cic. de nat. Deor. III, 35 *At enim minora dii negligunt, nec agellos singulorum neque viticulas persequuntur*, quod est: singulorumque neque agellos neque viticulas persequuntur. Cic. de orat. III, 30, 121 *Non enim solum acuenda nobis neque procudenda lingua est, sed onerandum complendumque pectus maximarum rerum copia et varietate.* Liv. XXXII, 21, 16 *an tibi potius credamus, Romanos non maioribus copiis nec viribus nunc bellum gerere quam antea gesserint?*

qui sua virtute et strenuitate maximam gratiam apud alios et inierit et ea cum maxime dignum se praebuerit, eum dicas non segnem fuisse? Nam quod Agricolam Tacitus dicebat non licenter egisse, id consentaneum erat propterea, quia aliorum iuvenum exemplum contendebat, quae comparatio in altero attributo seclusa erit. Deinde animadverte, in quo illud cerni dicatur, quod non segnis fuerit. Nempe voluptates et commeatus non sectatus est. At hoc nonne cum maxime proprium erat illorum iuvenum, qui militiam in lasciviam vertebant? Cur igitur haec interpositis importunis illis vocabulis tanquam diversa et quasi non propria illorum iuvenum plane seiunguntur a prioribus?

Disputavit de hoc loco etiam C. F. Hermannus in Museo Rhenano ed. Ritschel. T. II, p. 588, qui verba illa hoc modo interpretatur: *Nec Agricola licenter more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt,* scil. militiam in lasciviam vertit, *neque segniter ad voluptates et commeatus* scil. militia conversa *titulum tribunatus et inscitiam* sc. domum *rettulit.* Priorem ellipsin ut defendat, affert usum quendam graecarum particularum *οὐχ ὥςπερ* eamque consuetudinem Graecorum, qua illi „in comparationibus negativis id verbum, quod utrique verbo commune sit, non ut nos comparato, sed ipsi comparationi addunt, ad illud autem per ellipsin supplendum relinquunt.“ At omnia haec Graecorum exempla, quae multa afferunt Heindorf ad Plat. Gorg. p. 522 A. Stallbaum et Rückert ad Plat. Symp. p. 179 E. Fritzsche ad Lucian. p. 154. Hermann ad Lucian. Hist. conscrib. p. 313, veluti Plat. Symp. l. l. *τοιγάρτοι διὰ ταῦτα δίκην αὐτῷ ἐπέθεσαν, καὶ ἐποίησαν τὸν θάνατον αὐτοῦ ὑπὸ γυναικῶν γενέσθαι, οὐχ ὥςπερ Ἀχιλλέα τὸν τῆς Θέτιδος υἱὸν ἐτίμησαν καὶ εἰς μακάρων νήσους ἀπέπεμψαν,* haec igitur omnia mirum quantum distant a loco nostro Tacitino. Nam in graecis illis ea, quae ad comparationem adduntur, quae negativa sunt et contraria, ubique antegreditur positiva sententia, quae plene pronuntiata esse solet, atque alterum tantum praedicatum, quod in comparatione continetur, supplere opus est. Neque differt quidquam, si subinde interposita comparatione primariae sententiae verbum sequitur, uti apud Demosth. Midian. c. 59 p. 584 *οὐ γὰρ ἐκ πολιτικῆς αἰτίας, οὐδ᾽ ὥςπερ Ἀριστοφῶν ἀποδοὺς τοὺς στεφάνους ἔλυσε τὴν προβολὴν, ἀλλ᾽ ἐξ ὕβρεως καὶ ἐκ τοῦ μηδὲν ἂν ὧν πεποίηκεν ἀναλῦσαι δύνασθαι κρίνεται.* Noster igitur locus graecis illis ita demum similis foret, si scriptum legeretur: *Agricola enim intentus agebat, non quemadmodum iuvenes militiam in lasciviam vertunt.* Sed Latini omnino non solent illum Graecorum modum imitari, neque Hermannus et Fritzschius ullum locum

inveniri monuerunt nisi unum apud Appuleium Metamorph. III, 18 p. 207 *cum ecce — mucrone destricto in insani modum Aiacis armatus, non ut ille vivis pecoribus infestus tota laniavit armenta, sed longe fortius, qui tres inflatos caprinos utres exanimasti.* Hoc graecis sane exemplis, neque vero nostro loco simile est: *ecce utres exanimasti, non ut Aiax armenta laniavit.* Quod Appuleius dicit *multo fortius qui exanimasti,* id huic potissimum loco proprium est, quia constructio ad interposita verba accommodata est.

Multo minus autem alterum Hermanni artificium ferendum mihi quidem videtur, quod, quae ipse supplevit verba *militiam vertit*, ea denuo animo addi vult, eaque in aliam transmutata formam: *conversa militia.* Hoc ut fieri posse credam, non equidem a me impetrare possum. Haec, quae contra disputavi, velim aequi bonique faciat Vir summus. Non oblocutus essem, nisi eius et apud me et apud omnes plurimum valeret auctoritas. Equidem olim verba sic transposita volebam: *Nec Agricola licenter more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt*, (eam) *ad voluptates et commeatus, neque segniter titulum tribunatus ad inscitiam rettulit.* Sed omnibus his machinis facile supersedemus, si illas voculas deleverimus.

Uno in loco accidit, ut non glossema, sed proba emendatio corruptae scripturae in margine notata in vicinum locum alterius columnae intruderetur. Nam c. 41 *comparantibus cunctis vigorem, constantiam et expertum bellis animum cum inertia et formidine eorum,* addita vox *eorum* multa negotia facessivit interpretibus. Alius aliud ex coniectura substituit, sed est prorsus delenda. Nam Tacitus quum simpliciter dicit, *vigorem* eos *cum inertia comparasse*, admiranda est Taciti insignis ars scribendi. Nam quum homines satis caute in colloquiis illis suis singulos duces nominatim denotare caverent, imitatus est Tacitus in referendis eorum sermonibus hanc eorum cautelam, et quasi imaginem propositurus illorum sermonum, nec ipse aut Agricolae aut aliorum denotationem admiscet. Atque cum his bene etiam concinit verbi *comparare* usus, quod saepissime absolute ponitur (parallelen ziehen). Cic. de orat. I, 3, 11 *atque in hoc ipso numero, si diligenter et ex nostrorum et ex Graecorum copia comparare voles, multo tamen pauciores oratores, quam poetae boni reperientur.* Ann. III, 5. Cic. de off. II, 5, 16. Liv. II, 32 fin. Accedit, quod in codice M., ex quo scriptura affertur *inertiae et formidini*, facile suspiceris *eorum* defuisse. Dativus iste num praeferendus sit vulgatae scripturae, vix evincas, quum inter utramque scripturam nullum discrimen esse intelligatur ex Cic. Brut. §. 293. 294. Unde igitur illud *eorum* invectum est? E regione haec legebantur c. 42: *sciant, quibus*

moris est illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum reipublicae usum, ambitiosa morte inclaruerunt.

Haec ut nunc leguntur, non sunt ferenda, sive verba, sive sententiam spectas. *Eo laudis excedere* per se ipsum non mire dictum est, dummodo ne idem esse putes quod *eo laudis escendere. Excedere* enim si quem dicunt Latini, semper eum significant modum quendam sive finem egressum esse. Velleius II, 122 *laborum periculorumque semper excessit modum.* Liv. XXIV, 19 *multa alia eiusdem generis admirationis humanae in eo iuvene excesserant modum.* VIII, 33 *quo ultra iram violentiamque eius excessurum fuisse, quam ut verberaret necaretque.* Seneca de constant. sap. c. 7 *neque enim magna et excedentia solitum ac vulgarem modum crebro gignuntur.*

Iam si, quam laudem plerique assequi solent, eam quasi modum et vulgarem mensuram definimus, possumus alios cogitare, qui plus aut minus istum terminum excedant. *Eo laudis excedere* erit igitur *escendere ad id fastigium inusitatae laudis, quo* cett. uti Socrates apud Val. Max. III, 4, 1 extr. *ad clarissimum lumen gloriae excessit,* er erreichte einen glänzenden höhepunct des ruhmes. V, 6, 4 *respublica ad summum imperii fastigium excessit.* Iam in verbis sequentibus *quo — inclaruerunt,* hoc laudis fastigium exspectabis indicatum et descriptum.

Latinos constat dicere *ita inclaruit, adeo inclaruit,* dubium autem est, num dicant *eo inclaruit* et *quo inclaruit.* At enim poetice dictum est. Audio. Erit igitur *quo claritudinis pervenerunt,* vel potius *quo famae et gloriae pervenerunt.* Vide, quantum largiar, quanquam poetam vix puto unquam dicturum esse *quo inclaruit,* etsi is commode dicere poterit *inclaruit ad immortalitatem.* Quid igitur interest? Ad immortalitatem aut simile quid si addit poeta, generalem notionem explicatius definit *specie.* Genus non potes nisi animo intueri, species oculis solet subiecta esse, itaque quae abstracta sunt, fiunt concreta. Hoc non cadit in incertam illam et indefinitam notationem: *quo* inclaruit *). Sed largiamur

*) Multum Walchius proficere sibi videtur comparando Soph. Elect. versu 140

ἀλλ' ἀπὸ τῶν μετρίων ἐπ' ἀμήχανον
ἄλγος ἀεὶ στενάχουσα διόλλυσαι,
ἐν οἷς ἀνάλυσίς ἐστιν οὐδεμία κακῶν.

In quo ille si suppleri vult *πεσοῦσα* vel *ἐλθοῦσα,* satis declarat, se, quae sit et qualis poetarum dictio, plane non assecutum esse. *Διόλλυσθαι* quoniam est *pessum ire, in perniciem ruere,* pro generali notione *in perniciem* Sophocles poetico more eam perniciem substituit, in quam chorus vaticinatur Electram implicatum iri, si perpetuo maerori totam se dedat. Quae ea est? Est insania. Hoc est illud *ἐπ' ἀμήχανον ἄλγος, ἐν οἷς ἀνάλυσίς ἐστιν οὐδεμία κακῶν.*

nunc quidem, illud latine dici potuisse pro: modestiam eo laudis excedere, quo alii ambitiosa morte inclarescentes evecti sunt. Quid autem? num hoc dicere voluit Tacitus? Ergo modesti illi viri eandem laudem assequuntur quam contumaces, et vicissim contumaces eandem quam illi modesti? Ego vereor, ne contrarium potius dicere voluerit Tacitus. Nonne moderatos illos nunc ipsum summa laude condecorare, contumaces autem perstringere, cavillari, reprehendere vult? Quos si dicit *ambitiosa morte* inclaruisse, non maiorem eis tribuit laudem, quam Demetrio Cynico, quem Hist. IV, 40 dicit *ambitiosius quam honestius* reum defendisse.

Neque hoc uno loco, sed alibi quoque eandem, quam hoc loco prodit, et de moderatis illis viris et de ambitiosis libertatis iactatoribus sententiam aperte profitetur. Nam quia sibi persuaserat, qui tunc erat rerum status, qui populi mores, quae hominum ingenia, suae aetati non amplius aptam esse liberam reipublicae formam, et *omnem potestatem ad unum conferri pacis interesse* (Hist. I, 1), satius putavit et consultum, *inter abruptam contumaciam et deforme absequium pergere iter ambitione et periculis vacuum* (Ann. IV, 20). Itaque et M. Lepidum laudat (l. l.) *temporibus illis gravem et sapientem virum. Nam pleraque ab saevis adulationibus aliorum in melius flexit, neque tamen temperamenti egebat, quum aequabili auctoritate et gratia apud Tiberium viguerit,* et L. Pisonem, qui *nullius servilis sententiae sponte auctor et, quotiens necessitas ingrueret, sapienter moderans* fuerit. Sentiebat igitur idem, quod Seneca ep. 14 *itaque sapiens nunquam potentium iras provocabit: immo declinabit non aliter quam in navigando procellam.* Atque propterea *Agricola non contumacia neque inani iactatione libertatis famam fatumque provocabat* (c. 42). Non igitur existimandus est Tacitus contumaces illos, qui ambitiose libertatem iactarent, ita contendisse cum iis, quorum moderationem laudat et sapientiam, ut quo laudis hi excedant, eodem illos pervenire dicat. Quid? ex Taciti sententia hi *laudem* omnino nullam consequuntur, sed famam, sed popularem gloriam, sed plausum et approbationem vulgi. Multum enim interest inter laudem et celebrationem famae. *Aliud est laus, aliud laudatio* ait Seneca ep. 102. *Laus* est *vera et iusta gloria,* quam Cicero solet *laudem atque gloriam* dicere*), quia una gloria potest inanis esse,

*) Cic. pro Fonteio 11, 25 *qui maxime gloria ac laude ducuntur.* in Catil. I, 9, 23 *sin autem servire meae laudi et gloriae mavis.* in Pis. 17, 41 *natus abdomini, non laudi atque gloriae.* Phil. V, 18, 35 *neque enim ullam mercedem tanta virtus praeter hanc laudis gloriaeque desiderat.* Cf. Garaton. et Wunder. ad Cic. pro Planc. 36.

laudem*) vero id tantum meretur, *quod non ob eam caussam honestum dicitur, quia laudatur a multis, sed quia tale est, ut vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent, sua tamen pulchritudine esset specieque laudabile.* Cic. de fin. II, 14, 49. de off. I, 4, 14. Ab his si exordiaris, possis sane illa verba hoc modo defendere, ut *quo — inclaruerunt* explicans: *quo famae pervenerunt*, totam sententiam hanc esse putes: moderati eo excedunt laudis, quo ambitiosi pervenerunt famae. At vix puto quemquam hoc adiumentum arrepturum esse, nam opponi sibi ea tantum putant, quae vere leguntur, neque in ipsa voce *inclarescere famae* potissimum notio latet, quum vera etiam gloria et summa laude aliquis inclarescere dicatur.

Est igitur huic loco medela afferenda, eamque iam afferre voluit is, qui antiquissimum codicem in manibus habuit, quum ad marginem notaret *eorum*, sed infelici casu in nostris codicibus, ex illo derivatis alieno loco, quem supra monstravimus, vocula illa infersa est. Tu igitur a Tacito antiquitus sic scriptum puta: *obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eorum laudes excedere, qui plerique per abrupta, sed in nullum reipublicae usum ambitiosa morte inclaruerunt.* In his *excedere* est *superare*, ut saepe. Cf. Liv. XXXVIII, 43 *equidem haud dissimulo, me tuas, Q. Fabi, laudes non assequi solum velle, sed bona venia tua dixerim, si possim, etiam exsuperare.* Cic. Philipp. II, 12 *aemulus laudum mearum. Qui plerique* autem admodum saepe a Latinis dici, vix opus est exemplis probare. Liv. XXXV, 30. XXII, 59.

Eodem plane modo suspiceris antiquam aliquam et veram correctionem ad corrumpendum alium locum valuisse, de quo supra disputavimus. Nam c. 33, ubi libri habent *quando dabitur hostis, quando animus*, dudum Rhenanus vidit scribendum esse *quando acies.* Ecce autem capite insequenti verbis *corpora defixere* misere adsutam legimus hanc ipsam vocem *aciem*, quam cum Rhenano omnino ibi delendam esse supra p. 107 exposuimus. Estne igitur utriusque loci eadem ratio?

Addam unam rem, qua commendetur illud artificium; neque impedio, quo minus ludere me dicas, sed tam multa congruunt in illa suspicione, ut veri quid subesse opineris. Cap. enim 45

*) Cic. de off. I, 18, 62 *quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam consecutus est insidiis et malitia, laudem est adeptus.* pro Planc. 26, 64 *ut non ita mihi multum gloriae sit ex quaesturae laude repetendum*, ad quem locum vide Garaton. et Wund. Tac. dial. de orat. 18 *si qua ex horum oratorum fama gloriaque laus temporibus acquiritur.*

scriptum est *nos Maurici Rusticique* v i s u s, ubi *divisimus* scribendum est, et cap. 46 *multum* legitur, quod *aemulatu* scribendum est. Utriusque igitur vocis deest prima et tertia syllaba. Unde hoc ifactum? Perforatus erat illo loco codex, ut duae voces mutilarentur, quarum altera in columna secunda paginae adversae, altera in aversae paginae columna priori scripta esset. Hoc si verum est, nde colligitur, quantum quaevis columna complecteretur linearum et scripturae. Eam autem ipsam mensuram adhibuimus in reliquis illis locis, in quibus illum lusum adhibendum diximus. Accedit, quod in folio, quod hoc proxime antecedit (vide supra p. 130), idem illud artificium adhibendum vidimus, ut ista linearum ratio plane constare videatur. Quod autem voces illas, quas codicis, situ adfecti, foramine mutilatas diximus, integras conservavit vetus codex Ursini, inde consequitur antiquiorem esse codicem Ursini.

III.

DE COMPOSITIONE LIBRI.

Tres sunt libri partes, prooemium, vita, epilogus. Ipsa vita itidem tribus composita est partibus, quarum

prima prior vita Agricolae usque ad legationem in Britannia,

altera res gestae in Britannia,

tertia fata post reditum ex Britannia continentur.

Prima harum partium in tria dividitur capita:

a. pueritia.

b. prima stipendia.

c. magistratus et honores.

Alteri parti praemissae sunt:

I. descriptio Britanniae.

  a. de situ terrae.

  b. de incolarum origine.

  c. de coeli natura.

II. brevis narratio expeditionum, quae ante hoc tempus a Romanis in Britanniam susceptae sunt.

  a. primus ingressus est Iulius Caesar.

  b. iterati operis auctor Claudius.

  c. prospera fortuna sub Vespasiano.

In descriptione Britanniae est profecto aliquid, quod mireris. Nam postquam de coeli natura exposuit, quum c. 13 pergit: *IPSI Britanni* sq., exspectes sane eum de moribus populi uberius expositurum esse. At pauca tantum sequuntur verba, et quae hoc loco admisceri poterant de populorum illorum robore et factionibus, ea supra alieno, ut videtur, loco interposita sunt c. 12. Facile igitur

in eam suspicionem adducaris, ut illam capitis 12 sectionem huc transponendam et ante verba *Igitur primus* sq. c. 13 inserendam putes. Neque diffiteor, melius tum singula procedere et semet excipere. Nunc statuendum est, Tacitum non eam secutum esse consilii rationem, ut sigillatim mores illorum populorum exponeret; verendum enim erat, ne tum bis dicerentur, quae de moribus aut ex insertis orationibus a legentibus sponte cognoscuntur aut hic illic praetereundo adsperguntur. Sic ubi Gallorum et Britannorum fortitudinem comparat c. 12, obiter nonnulla admonet de horum in pedite robore et de factionibus, c. 13 autem non de moribus ei propositum erat dicere, sed quoniam ad Romanorum expeditiones transiturus est, in universum aliquid admonet, quomodo Britanni Romanorum imperium tulerint.

Prooemium autem ne mireris longius esse pro ambitu ipsius libri et copiosius, quam quae Annalibus et Historiis praemissae sunt praefationes, intelligendum scilicet est, hoc libro edendo Tacitum primum suscepisse et quasi profiteri historiae scribendae munus, ut non huic solum libro praefari, sed simul Historias et Annales posthac edendos indicare velle videatur. Mortuo enim Domitiano quum Nerva et Traiano regnantibus nova lux libertatis oborta esset, ad historiam scribendam animum appulit, atque hunc quidem librum auspicandi caussa scripsit ediditque eo tempore, quo Nerva Traianum regni socium habuit. Est autem hoc tempus illud trium mensium spatium (Aur. Vict. epit. XII, 9), quod intercessit inter mensem Octobrem exeuntem anni urbis 850, quo Traianus a Nerva adoptatus *) et *simul filius, simul Caesar, mox Imperator et consors tribuniciae potestatis et omnia pariter et statim factus est* (Plin. paneg. 8), et diem XXVII Ianuarii anni 851, quo Nerva mortuus est. Cap. enim 3 ait: *Nunc demum redit animus, et quamquam primo statim beatissimi seculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem temporum Nerva Traianus* cett. Nervam autem, quum ederetur liber, etiamtum in vivis fuisse, id Broterius cum Ryckio (ad Ann. III, 24) eleganter efficit eo, quod Nerva, qui statim post mortem consecratus est (Plin. paneg. XI, 5), hoc loco nondum *Divus* nominatur, quod cognomen in tali maxime contextu Tacitum non omis-

*) Walchius, quum adoptionis ipsum diem definire audet, nugatur; certus enim dies, quod recte monuit Reimarus ad Dion. Cass. LXVIII, 3, exquiri non potest. Diem XIV Kal. Octobr. si forte Walchius arripuit cum Grutero et Belleio (de nummo graeco) ex Plin. panegyr. 92, 4, misere fallitur; ex illo enim loco facile cuique id unum certissime apparet, illum anni diem, qui natalis est dies Traiani, adoptionis diem non esse. Alioquin diem illum non *triplici*, sed *quadruplici gaudio laetum* dixisset.

surum fuisse recte Walchius adnotavit. Non igitur quicquam officiet, si in epistolis aut in historiis aut, ubi iterato Nervae (veluti in ipso paneg.) mentio iniicitur, hoc cognomen omissum sit. Quae contra haec disputat Orellius *), vix alicuius sunt momenti. „Sed ubi reputes, ait, Traianum consortem tribuniciae potestatis cum Nerva fuisse tantummodo tres menses, de tam brevi tempore nequaquam uti poterat Traiani laude sequente, qua Nervae etiam antefertur, id quod hoc vivo facere decoris sensus pro certo vetuisset. Quid, quod ante Nervae mortem Traianus bello Germanico distentus Romam non venit? Referamus igitur *Agricolam* ad Traiani potius solius primordia a. u. 852.“ Quod Tacitus per additamentum adiicit: *augeatque quotidie felicitatem temporum Nerva Traianus* (nam reliqua quae sequuntur in utriusque honorem dicta recte accipies), profecto non dici potest Traianum prae Nerva nimis extulisse, neque poterat Nerva ille fessus aegre ferre eius laudem, qui *non solum successor imperii, sed particeps etiam sociusque* ipsi *placuisset* (Plin. pan. c. 9). At enim non Romam advenit etiamtum vivo Nerva. Verum nonne absens quoque reipublicae curam gerere poterat, quam iam ante suscepisset, antequam solus ad gubernacula accederet? Plin. ep. X, 1 *dii immortales festinaverunt* (morte Nervae) *virtutes tuas ad gubernacula reipublicae, quam susceperas, admovere.* Neque ab uno Nerva electus est, sed senatus populique consensu (Plin. c. 10). Ad hunc igitur senatum statim cum multa alia sua manu scripsit, tum illud inprimis, se nullum unquam virum bonum interfecturum aut notaturum ignominia (Dio Cass. LXVIII, 5), *καὶ ταῦτα καὶ ὅρκοις οὐ τότε μόνον, ἀλλὰ καὶ ὕστερον ἐπιστώσατο.* Talia si scriberet et iureiurando asseveraret, qualia quidem tribus non modo mensibus, sed diebus multa rescribi possunt, nonne *augere* potuit *felicitatem* eam, de qua hic agitur? Tac. hist. I, 1 *rara temporum felicitate, ubi sentire, quae velis, et quae sentis dicere licet.* Plin. ep. X, 7 *Ad quam spem hortatur ante omnia felicitas temporum, quae bonam conscientiam tuorum civium ad usum indulgentiae tuae provocat et attollit.* Facta autem si quaeris, praetorianos, qui contra Nervam rebellaverant, arcessitos de medio sustulit (Dio l. l.) omninoque, cum Nerva auctoritas in summum discrimen adducta esset, eam ipse maxime confirmavit.

*) Omitto Nissenium, qui p. 14 contra monet, ex cap. 44 consequi, Traianum iam imperatorem fuisse. Quis tandem negavit, illum, cum hic liber ederetur, imperatorem fuisse? Regni socius nonne erat imperator? „At debebat ibi quoque Nervae mentio iniici.“ Non video, cur hoc opus fuerit, non enim Nervae quoque principatum ominatus erat Agricola. Quid? quum Tacitus ibi dicat: *durare in hac beatissimi seculi luce ac principem Traianum videre*, facile cuipiam videatur eodem modo, uti c. 3, Nervae simul seculum indigitasse.

Consulto nihil dico de hostibus gravissimis, qui animos sustulerant et iugum excusserant, illo potissimum tempore prostratis, quae quamquam Romano scriptori maxima *felicitas temporum* *) videbitur, tamen ista felicitas non cum sententiarum serie satis congruit **), quamquam, quae statim adiungitur, *Securitas publica*, quae ad universum reipublicae statum neque ad singulorum libertatem referenda est, satis indicat, haec in eiusmodi dictionibus sollemnibus non subtilius secernenda et urgenda esse. Libros autem reliquos historicos his adnuntiat verbis: *Non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse.* In his satis patet *componere memoriam* esse historiam conscribere, συνθεῖναι (Hist. I, 4. Ann. IV, 34. vide Böttich. lex.), *servitutis* autem *memoria* ad Domitiani ***) tempora referenda est, forsitan priorum etiam imperatorum, quae Historiis et Annalibus continetur, historiam complectatur; *praesentium* vero *bonorum testimonium* ad eum librum referendum videtur, quem de Traiani imperio se conscripturum esse Hist. I, 1 pollicetur: *quodsi vita suppeditet, principatum divi Nervae et imperium Traiani, uberiorem securioremque materiam, senectuti seposui.* Iam difficultas videbatur esse in eo, quod *composuisse* Tacitus dicit, non *componere.* Nihil attinet redarguere eos, qui inde efficiunt, libros illos historicos illo tempore iam conscriptos fuisse, nostroque loco non de scribendis, sed de edendis et ad umbilicum adducendis agi. Hi neque, quid illud *tamen* †) et quod sequitur *interim* ††) significet, satis perpenderunt, et Tacitum faciunt sibimet ipsum inepte repugnantem, ut dicat: quanquam per quindecim annos cum aliis iners et deses fui, tamen non pigebit non desidem fuisse et historias scripsisse. Ex Plinii ep. VII, 33, quae post mortem Nervae scripta est, satis

*) *Felicitas temporum* sollemnis aliqua dictio est, in nummis multum frequentata. Cf. Rasche lex. R. N. I, p. 950. Suppl. II, p. 100. Oisel thes. numism. tab. 57, 1. 9. 10. 12. Idem est *felicitas seculi* Oisel. tab. 56, 6. 11. 57, 6. 7. 8. Spanhem. de usu et praest. numm. diss. VIII, p. 726. Bentlei. ad Hor. Carm. sec. v. 66.

**) Hoc argumentum iis pensitandum do, qui ea de caussa *felicitatem imperii* legendum putarent, quia de rebus maxime bello gestis hic agi putarent. Non autem harum maxime mentio nostro loco satis apta est.

***) Ann. XI, 11 *utriusque principis rationes omitto satis narratas libris, quibus res imperatoris Domitiani exposui.*

†) sc. quamquam hebetatum est ingenium inertia, et diuturno silentio ad scribendi artem non exercitati sumus. Plin. ep. VIII, 14, 2 *Priorum temporum* (sub Domit.) *servitus ut aliarum optimarum artium, sic etiam iuris senatorii oblivionem quandam et ignorationem induxit. — Ingenia nostra in posterum quoque hebetata, fracta, contusa sunt.*

††) sc. donec ampliores Annalium et Historiarum libros componere et edere potero, prodeat *interim* hic liber, et eius quidem editio *professione pietatis — excusata erit.* Plin. ep. IV, 9 *habebis hanc interim epistolam* πρόδρομον, *exspectabis orationem plenam onustamque, et exspectabis diu.* Ann. I, 25 *misisse interim filium, ut sine cunctatione concederet, quae statim tribui possent: cetera senatui servanda.*

et abunde apparet, illo tempore neque editas neque compositas fuisse Historias. Nec de Quintiliani loco X, 1, 104, incerto illo et ambiguo, dignum est hariolari. Ceterum id licebit sane statuere, ante illud tempus materiem Tacitum collegisse, uti Thucydides bellum peloponnesiacum ξυνέγραψε, ἀρξάμενος εὐθὺς καθισταμένου (cf. Krüger vita Thucyd. p. 71). Aliquanto melius alii *non pigebit composuisse* propterea scriptum dicunt, quia Tacitus animo praesumat futurum tempus, ubi memoria composita erit, quo modo Livius dicit praefat. *utcunque erit, iuvabit tamen rerum gestarum memoriae principis terrarum populi pro virili parte et ipsum consuluisse* (*es wird für mich ein erhebendes bewufstsein sein* cett.). Quint. I, 1, 34 *illud non poenitebit curasse, ne puer in vocabulis vulgaribus operam perdat.* Virg. Aen. VII, 233 *Nec Troiam Ausonios gremio excepisse pigebit.* At nostro loco *non pigebit* vix probare poteris idem esse quod *non poenitebit* aut *iuvabit.* Si fecisse aliquid me poenitet, hoc sane non potest non pigere, at non iccirco, si quid *me pigere* dico, semper de re facta agitur. Atque omnino nostro loco, si nolis artificia captare ipsamque seriem sententiarum consideraveris, illud *non tamen pigebit* utique interpretaberis: *non gravabor, non defugiam, aggrediar, sustinebo.* Cf. Hist. I, 73 *haud pigebit referre inFa lanio et Rubrio, modicis equitibus Romanis, praetentata crimina.* I, 55 *insita mortalibus natura, propere sequi, quae piget inchoare* *).

Hoc autem modo si explicandum censes, non potest amplius *composuisse* ullo modo pro praeterito haberi, sed infinitivum aoristi agnosces, qui hoc loco Graecorum more (συνθεῖναι, συγγράψαι) eam vim habeat, ut abiecta omni temporis notatione unam *componendi* actionem significet. Iam poetas quidem Augusteae aetatis satis constat aoristi infinitivo plane ex Graecorum consuetudine usos esse, eoque cupidius hunc modum arripuisse, quia difficultates quasdam metri elegiaci, in nonnullis verbis alioquin insuperabiles, ita commode evitarent (cf. Reisig. schol. lat. p. 500 ibique Haase), sed num prosaici quoque scriptores idem sibi permiserint, quaeritur. Io. Nicolaus Madvigius, qui Opusc. II p. 119 sq. de hac re uberius disputavit, illud negandum esse arbitratur, sed vereor ne vir doctus cupidius de hac re decreverit. Aoristi enim nomine quia multi male abusi sunt, et, si quod tempus, cuius rationem non satis perspicerent, explicandum esset, statim hunc deum ex

*) Nolim argutari, sed tamen si Tacitus *non pigebit* idem vellet esse quod *haud poenitebit*, tum haud scio an scripsisset: *non tamen pigebit, memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum vel incondita ac rudi voce composuisse.* Ut nunc verba collocata sunt, alterum hac quoque de caussa amplectendum censeo.

machina excitarunt — inprimis Walchius, quotiescunque vel graeci vel latini aoristi mentionem iniicit, mirifice ineptit — propterea Madvigius omne aoristi latini nomen prorsus fastidit, ideoque illum quoque infinitivi usum ex latinorum scriptorum libris exterminandum putat. De aoristo quoniam diversae circumferuntur opiniones, ut non liceat ad certam, quae ab omnibus comprobata sit, doctrinam meas, quae in hoc libello hic illic adspergentur, de aoristo ac de perfecto adnotationes referre, pauca disputanda putavi de istis temporibus. Quae si quis dixerit prope abesse ab Harrisii doctrina, nihil impedio. Latini quum et γέγραφα et ἔγραψα eadem forma *scripsi* reddant, nihil profecto impedit, quominus alterum *scripsi* (γέγραφα) *perfectum*, alterum (ἔγραψα) *aoristum* nominemus. Ita et duae significationes eiusdem formae prorsus inter se diversae cum magno perspicuitatis commodo seiunguntur, et tempora, quae plane congruunt vi et usu, tum γέγραφα, *scripsi* (*coenatus sum*, *pransus sum*), tum ἔγραψα, *scripsi* (*coenavi*, *prandi*), eodem nomine optime appellantur *).

Ac *Perfectum* quidem actionem significat, in qua aliquis ante versaretur, praesenti tempore perfectam. Est igitur, quidquid contra monuit vel monebit Madvigius, tempus praesens. Sed ex hac eius propria vi duo sponte consequuntur, et duplex simul promanat huius Temporis significatio. Etenim quia actio perfecta est, primum exstat iam id, quod illa actione effectum est, sive res aliqua labore progenita sive status aliquis aut hominis, qui aliquid peregit, aut rei, in qua tractanda versatus erat. Sic, si quis librum scripsit, exstat iam liber scriptus, et ipse homo iam *scriptor* dicitur; qui hostes vicit, ipse victor est, hostes sunt superati, subiecti **). Iam saepissime illud usu venit, ut Latini perfecto alicuius verbi utantur, ut eum statum significent, in quo

*) Palmaris est Haasii adnotatio (ad Reisig. schol. n. 269), qui animadvertisse sibi videtur, plenam terminationem — *erunt* apud Tacitum et Sallustium perfecti esse, alteram breviorem — *ere* aoristi.

**) Alterum est, quod, si quae actio perfecta est, ipsa iam desinit. Hinc qui supplicio afficitur, dicit *vixi*, qui finem verborum facit, *dixi*. Hoc qui asserunt, eos nescio quo iure Madvigius p. 62 dicat „*apertissime rerum naturae repugnantes et actionem cum actionis negatione et sublatione confundentes.*“ Neutiquam haec naturae repugnant, atque „actionis negationem“ ita continent, ut alia substituatur contraria. Multae enim actiones natura ita sunt comparatae, ut qui eas absolverit, nequeat in aliam contrariam non incidere. Nam is, qui illud *vixi* dicit, desinit iam vivere ac moritur, qui *dixi*, iam tacet, qui *sanus fui* aut *quievi*, dicit simul se iam aegrotum aut iam alacrem esse. Terent. Heaut. I, 1, 42 *ah, quid dixi, habere me? immo habui.* Cic. Tusc. I, 36, 87 *triste enim est nomen ipsum carendi, quia subiicitur haec vis: habuit, non habet.* Virg. Aen. II, 325 *Fuimus Troes, fuit Ilium.* VII, 413 *et nunc magnum manet Ardea nomen, sed fortuna fuit.* Plin. ep. VI, 2, 5 *nam et qui dicunt, egisse malunt, quam agere, et qui audiunt, finire quam iudicare.* Seneca ep. 12 *quisquis dixit vixi, quotidie ad lucrum surgit.*

quis est, cum illam actionem perfecit, quem statum nos nostra lingua saepe alio prorsus verbo insignire solemus. Quod quum in perfecto passivi nostris hominibus plane non mirum aut novum videatur, idem tenendum est cadere in Activi perfectum, maxime apud Livium, Tacitum, Senecam, Plinium aliosque eius aetatis scriptores. Nam quod in verbis *memini* et *novi* vel pueris nostris tritum est, quae quum vere sint perfecta (alterum enim efficitur *reminiscendo*, alterum *noscendo*), anteactae tamen rei significationem plane non continere et unius praesentis adscivisse videntur, id latius patet apud Latinos. Uti enim illa vertimus, *ich erinnere mich*, *ich weiſs*, sic, quod nos dicimus *fertig sein*, *anlangen*, *dort sein*, *hinüber sein*, *gewohnt sein*, *todt sein*, *weg sein*, *anderes sinnes sein*, *sieger sein*, id Latini dicunt, *perfecisse*, *advenisse*, *pervenisse*, *transiisse*, *consuevisse*, *periisse*, *effugisse*, *sententiam mutasse*, *vicisse* *). Plura exempla praebent Graeci. Itaque nemini sane nisi Walchio accidere poterat, ut Agric. c. I *ne nostris quidem temporibus quamvis incuriosa suorum aetas omisit* de aoristo somniaretur, quod profecto non admisisset, si Tacitus scripsisset, *ne nostris quidem temporibus ab hominibus omissum est*. Illud igitur quia non omiserunt homines, sive quia non omissum est ab hominibus, idcirco, ut res non omissa, adhuc usitatum est (ein noch bestehender gebrauch). Miror igitur Waltherum quoque, quamquam redarguit Walchium recteque locum interpretatur, tamen et ipsum de aoristo quamvis „vulgari historico“ loqui. Plusquamperfectum autem quum nihil sit nisi imperfectum perfecti, in hoc quoque tempore saepissime illa Perfecti significatio apparet **). Quod quum multi non meminissent, in locis plane perspicuis mirum quantum haeserunt et hallucinati sunt.

Diffamatus est locus Agric. c. 6 *diligentissima conquisitione fecit, ne cuius alterius sacrilegium respublica quam Neronis sensisset*. Quo in loco si Waltherus *optativum aoristi* apponit, conclamabis: Di meliora! Neque rectius alii conditionalem modum aut nescio quam enallagen subesse statuunt. *Fecit ne* quia pro *effecit ut non* dictum est more non solum Livio, Tacito, Plinio, Senecae admodum consueto, sed ne Ciceroni quidem (de fin. IV, 4, 10) alieno, propterea de effectu quodam agitur, quod male negat Waltherus. Itaque, si effectum et caussam seiungimus, effectum

*) Liv. XXI, 43 *si – habueritis*, *vicimus*, *milites*. 44 *iterum dicam*, *vicistis*. Cic. ad fam. 12, 6 *Brutus si conservatus erit*, *vicimus*. Plin. paneg. c. 12 *non damnis immensisque muneribus paciscimur*, *ut vicerimus*: wir erkaufen nicht mit verlusten die ehre, sieger zu sein. Reliquorum verborum exempla infra afferemus.

**) Cf. pleraque plusquamperfecti exempla, quae supra p. 40 in enuntiatis conditionalibus attulimus.

hoc erat: *iam non cuiusquam alterius sacrilegium respublica quam Neronis senserat.* Iam qui sacrilegium *sensit* sive expertus est *), is est spoliatus (*ist ein beraubter*), qui *senserat*, erat spoliatus (*war ein beraubter*), qui *non senserat*, *war kein beraubter* (war ein solcher, der nicht beraubt war). Itaque si Agricola diligentissima conquisitione effecit, ut *non* (amplius) *spoliata esset respublica*, quid aliud hoc est, quam diligentissima conquisitione effecit, ut quae rapta essent, restituerentur, ita enim respublica iam non amplius spoliata erat. Quoniam autem ea, quae Nero rapuerat, restitui non poterant, propterea iam respublica a nullo amplius nisi a Nerone spoliata erat, sive *non cuiusquam alterius nisi Neronis sacrilegium senserat. Die sorgsamen nachspürungen des Agricola hatten für den staat die folge, daſs es so gut war als hätte er keinen tempelraub erfahren mit ausnahme des Neronischen raubes.* Quod sic etiam poteris vernacule reddere: *er bewirkte, daſs dem staate kein anderer tempelraub als der des Nero fühlbar blieb.* Agricolae igitur cura omnia repetitis rebus in integrum restituta sunt, nisi quod Neronis rapina restitui non potuit. Plane similis nostro locus est Plin. paneg. c. 40 *idem effecisti, ne malos principes habuissemus*, i. e. ut similes essemus iis, qui non habuissent malos principes, *daſs es so gut war als hätten wir keine schlechten fürsten gehabt.* Nimirum Traianus tributa a prioribus principibus inique imposita necdum soluta *exigi vetuit*, itaque perinde erat ac si non sensissent illam iniquitatem et principes iniquos non habuissent. Factum igitur Traianus infectum reddidit, quod argutius Plinius ibid. sic pronunciavit: *in praeteritum subvenire ne dii quidem possunt; tu tamen subvenisti, cavistique ut desineret quisque debere, quod non esset postea debiturus.* Confer praeterea paneg. c. 23 *nullam congiario culpam, nullam alimentis crudelitatem redemisti, nec tibi bene faciendi fuit caussa, ut quae male feceras impune fecisses*, i. e. ut quae male feceras impune facta essent, i. e. ut impunitatem consequereris. ibid. c. 25 *aequatique sunt ceteris illi etiam, quibus non erat promissum: negotiis aliquis, valetudine alius, hic mari, ille fluminibus distinebatur: exspectatum est provisumque, ne quis aeger, ne quis occupatus, ne quis denique longe fuisset*, i. e. ne quis talis haberetur, qui longe fuisset, sive ut quisque eo in numero haberetur, tan-

*) Liv. IX, 41 *gentis integrae a cladibus, nisi quod transitum exercitus ager senserat.* IX, 37 *vastationem sub montis radicibus iacens ora senserat.* XLV, 28 *ita peragrata Graecia, ut nihil eorum, quae quisque Persei bello privatim aut publice sensisset, inquireret.* XXIX, 9 *nisi qui atrocitatem eius patiendo sensisset.* Cic. de orat. III, §. 13 *quae pertulimus ac sensimus.* Senec. ad Marc. 12 *senserunt ista magni duces, senserunt principes, ne dii quidem immunes fuerunt.* Horat. od. II, 7, 10.

quam si non absens fuisset. Cic. Top. 10, 44 *agens de eo, qui testamento sic heredes instituisset, ut, si filius natus esset in decem mensibus, isque mortuus* (esset) *prius, quam in suam tutelam venisset, secundus heres hereditatem obtinuisset*, quod recte Weberus (Uebungsschule p. 131) explicat: *dafs der zweite erbe dann erbe wäre, nicht erst erbe würde. Obtinuisse* est *unmittelbar im besitz sein.* Non opus erat ut, mortuo illo filio, alter heres hereditatem vindicaret, sed ex ipso testamento iam erat heres. Aliena exempla cum Agricolae loco contulit Doederlinus.

Aoristus autem (*ἔγραψα, scripsi*) eam vim habet, ut simpliciter praeterito tempore aliquid evenisse narretur. Reliqua enim tempora praeterita (*scribebam, scripseram, scripturus eram*) quum ad unum quendam praeteriti temporis articulum animum advertant et talia denotent, quae, quo tempore aliud quid fiebat, eodem aut fiebant, aut perfecta erant aut instabant: aoristus omne praeteriti temporis spatium complectitur, eamque ob caussam a Graecis *ἀόριστος, infinitus* dicitur, quum reliquarum formarum finitum sit tempus alius praeteritae actionis tempore. Quae eadem caussa est, ut, quia totum praeteriti temporis spatium designat, ideoque singulos quoque eius articulos in se continet, aoristus subinde pro imperfecto et plusquamperfecto positus dicatur. Tum finitae temporis denotationi substituitur infinita *).

Verum ab hac indicativi, qui augmentum habet, significatione, multum discrepant reliqui aoristi modi. Isti enim, ut augmento destituti, plerumque neque praeteriti neque praesentis neque futuri temporis significationem habent, sed in una actionis, quae verbo significatur, denotatione acquiescunt. Hunc igitur eorum usum dixerim equidem *usum gerundivum* **).

*) Quae de graeco latinoque aoristo, qui praeteriti temporis aoristus est, valent, eadem, si velis universe de temporibus disputare, commode transferri poterunt ad aoristos futuri ac praesentis temporis. Sed horum ne Graeci quidem peculiares formas habent, quia *γράφω* et *γράψω* non modo aoristi sunt, sed simul relativorum temporum *γράφων εἰμί* et *γράφων ἔσομαι* plerumque vices gerunt. Quamquam Graeci quidem locutione *γράφων τυγχάνω* in hoc genere diversorum seiunctionem consequuntur. Nam *γράφω* et *γράφων τυγχάνω* eodem modo differunt ut *ἔγραψα* et *ἔγραφον*.

**) Tirones monendi erunt, ne cum hoc modorum aoristi usu confundant quendam indicativi usum, quo res olim facta ita narratur, ut legentes inde concludant, idem nunc quoque et posthac fieri. Ita quamquam fit sententia generalis, tamen nihil mutatur ipsius aoristi vis, ad unum praeteritum tempus spectans. Non igitur in eo grammatica quaedam proprietas illius Temporis cernitur, sed derivatum hoc est ex poetarum maximeque Homeri consuetudine, qui, quas proponit imagines, ex ipsa rerum natura hausit et arripuit, itaque, quae ipse olim vidit, narrat. Num hoc modo explicari debeat Agric. c. 9 *haud semper errat fama, aliquando et elegit*, omitto quaerere, quia ista verba (cf. p. 120) subdititia puto. Walchii de hoc aoristi usu ineptias copiosius quam opus erat Madvigius l. l. p. 113 refutavit.

Hunc igitur gerundivum usum modorum aoristi quaeritur num Latini quoque scriptores praeter poetas admiserint. Mitto nunc quidem coniunctivum, agamus de uno infinitivo. Ac primum quidem in hac quaestione plane segregandae sunt eae locutiones, in quibus satis manifestum est de re perfecta agi, velut *satis habeo hoc dixisse; hostem depulisse contenti*, alia *) (cf. Zumpt §. 590). Neque vero magis mira aut nova videri possunt ea exempla, ubi Perfecto tempore non ipsam actionem, sed statum, qui re peracta effectus est, significari supra monuimus. Liv. XXXVII, 19 *quod possumus ante hiemem dis volentibus perfecisse.* Corn. Nep. Eum. 9 *quod diebus quinque hostis transisse posset.* Liv. XL, 10 *perisse* (me) *expetunt, quia tuis iniuriis doleo (sie wünschen mir den tod).* Ennius apud Cic. de off. II, 7, 23 *quem quisque periisse expetit.* Lucret. III, 69 *dum se effugisse volunt longeque remosse.* Tac. dial. 24 *tuum tamen Messalam promissum immutasse* **) *non debes* i. e. immutata mente promissis stare.

Hoc nomine maxime tenendum est, quod supra dixi de perfecto activi eodem plane modo usurpato atque perfecto passivi. Nemo negabit praesens esse *persuasum est mihi*, sed eodem modo affirmo a Latinis dici *persuasi illi* i. e. per me illi persuasum est. Non miror igitur Gellium dixisse III, 3 *vel unus hercle hic versus, Plauti esse hanc fabulam, satis potest fidem fecisse, kann die überzeugung geben.* Cadit hoc maxime in eas locutiones plerasque, in quibus *volo* cum perfecto activo coniunctum est. Nam ut Latini dicunt, *qui rempublicam defensam volunt; populo Romano me excusatum volo; vos oratos volo; qui te conventum cupit; illum exstinctum cupit; nunc illos commonitos velim; quem ego honoris potius quam contumeliae caussa nominatum volo; Pompeius se Caesari purgatum vult*: ita nihil omnino mirum est Livium dicere XXIV, 16. *neminem nota strenui aut ignavi militis notasse volui.* Paullo ante dixerat *omnes malle laudatos a se, quam quemquam eo die castigatum esse.* XXX, 14 *hanc te quoque ad ceteras tuas eximias virtutes adiecisse velim.* Iustin. V, 4, 15 *cui paullo ante omnem humanam opem interdixerant, eum, si queant, in coelum posuisse cupiunt.* Liv. XXII, 59, 10 *nec premendo alium me extulisse velim.* Liv. XXXII, 21, 32 *quia pepercisse volunt, committere vos,*

*) Hist. IV, 78 *quae profligato bello utilius sit vobis audisse, quam nobis dixisse.* Liv. XXXI, 1 *me quoque iuvat, ad finem belli punici pervenisse.* III, 36 *ut poeniteret non prioris decreto stetisse.*

**) Liv. III, 64 *ubi cum consules producti ad populum interrogatique, quidnam facturi essent, nihil sententiae suae mutassent, collaudatis consulibus, quod perseverarent ad ultimum dissimiles decemvirorum esse* cett. In his *cum nihil sententiae mutassent* idem est quod *cum eadem mente essent* et idem declararent quod antea.

cur pereatis, non patiuntur i. e. quia vos conservatos volunt, sive quia clementer in vos consultum volunt, non infestius, ut in hostes *). Paullum enim hoc in genere differunt *conservare aliquem* (Caes. b. g. II, 12. b. c. II, 22. III, 98) et *parcere*, nisi quod illud est vitam condonare, hoc innocentiam (Cic. pro Mil. 34, 92).

Tertium genus est eorum exemplorum, in quibus Perfectum ad iudicium spectat, quod, ubi res confecta erit, aut ipse qui rem agit, aut alii, qui de ea iudicabunt, facient. Exemplis supra allatis (Liv. *consuluisse iuvabit.* Quintil. *non poenitebit curasse)* adde Agric. c. 33 *nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse.* Huc referendum videtur Liv. XLII, 11 *plurium annales, et quibus credidisse malis, ipsum Eumenem venisse tradunt,* quod fere est: *quibus credidisse non poenitebit.* Liv. II, 24 *nec plebi honestum esse, nisi mercede prius accepto arma pro patria non cepisse, neque patribus satis decorum, per metum potius afflictis civium suorum fortunis consuluisse quam voluntate.* Sall. Iug. 31, 27 *neque ego vos hortor, ut malitis cives vestros perperam quam recte fecisse, sed ne ignoscendo malis bonos perditum eatis,* quod recte explicat Madvigius „ut recte fecisse comperiantur;“ agitur enim de eo, quod vindicari debeat, ut recte adnotat Kritzius.

At sunt alia exempla, in quibus ille infinitivus non potest ad perfectum tempus referri, sed gerundivus usus infinitivi aoristi statuendus erit. De hac re contra Madvigium disputaturus, ante omnia hoc eius artificium notandum puto, quod ille, quum de modorum aoristi graeci usu gerundivo recte iudicet, et illos tum abiecta quavis temporis significatione unam actionis notionem adferre et ipse censeat, tamen eos, qui idem de aoristi latini modis asserunt, praesentis temporis significationem his modis tribui velle et „transitum in praesens fingere“ coarguit. At nos quidem hunc gerundivum usum latini infinitivi plane eundem esse affirmamus atque graeci, nisi quod patria lingua, quia alia forma deest, ut illam vim exprimamus, praesentis infinitivo uti cogimur. Quod autem illos refellit eo argumento usus, apud Graecos multum a se discrepare indicativum et reliquos modos, apud Latinos autem nullam esse eiusmodi verbi partem, quae eam vim habeat, quam graeci aoristi modi habeant, nil dicit nisi: hoc probari non potest, quia probari non potest. Debebat Madvigius demonstrare, grammaticos

*) Miror Madvigium hunc locum corruptum censere. „Nam, ait, si parcere Romani volebant, non perituri Achaei erant.“ Quid tandem? num illis Romani tum quoque parcere volebant, si nunc in suas partes concedere recusassent? Nunc, quamquam Philippi socii fuerunt, clementer in eos consultum volunt, modo ne pergant ab illius partibus stare, certe perituri, si fastidientes, quae nunc offerantur, praeda victoris facti sint.

graecos iniuria illos modos indicativo aoristi adiunxisse; at neque potest hoc demonstrari, nam subinde et ipsi praeteriti temporis significationem habent *), et quamquam ad eam quaestionem descendere nolo, utrum illi Graecorum modi a gerundivo usu ad praeteriti temporis significationem transierint, an temporis praeteriti significatio primitiva fuerit, magis tamen hoc verisimile videtur. Etenim verborum formae inventae sunt antiquitus ad tempus denotandum, gerundivae significationis formae seriori tempore a disserendi subtilitate desideratae videntur. Quodsi igitur Graeci aoristi praeteriti modis ad hanc rem abusi sunt, quidni idem licuerit Latinis? Poetas porro Augusteae aetatis id admisisse non diffitetur Madvigius. Sed ut hoc ex imitatione Graecorum, quae hac aetate increbruit, factum esse largiamur (cf. Servium ad Virg. Aen. VI, 246), quidni idem licuerit Tacito, Plinio, Senecae, quos constat a Tullianae dictionis rigore romano ad maiorem Graecorum libertatem se vindicasse? Sed in his non acquiesco; poetae veteres non ii sunt, qui ea, quae ab ingenio suae linguae abhorreant, adsumant **), magis poetarum omnium hoc proprium est, ut antiqua et prisca repetant. Iam Ciceronis aetate scimus ad eum fastum Romanos elatos esse, ut scriptores eorum inprimisque oratores non modo quae graeca essent, sed adeo quae graeca videri possent, dedita opera evitarent ***). Quid? si in his gerundivum quoque modorum aoristi usum, quia graecam speciem prae se ferret, reformidarint Catones, Iulii, Tullii? Antiquum autem morem retinent leges. Itaque quod (cf. Haasium p. 500. Madvig. p. 124) senatusconsulto de Bacchanalibus plus decies legitur: *ne quis eorum baccanal habuisse, ne quis coisse velit,* indeque Liv. XXXIX, 14, 8 *ne quis, qui Bacchis initiatus esset, coisse aut convenisse caussa sacrorum velit.* ibid. 17 *ne quis quid fugae caussa vendidisse neve emisse vellet.* Gell. X, 3 *Caleni edixerunt, ne quis in balneis lavisse vellet, cum magistratus Romanis ibi esset.* Gell. XIII, 15 *ne quis magistratus minor de caelo servasse velit.* Hauboldt monum. leg. p. 178 *neve cretulentum exegisse velit.* Liv. XXXVIII, 11 in pacis conditioni-

*) Participium, quod ipse adnotat Madvigius, fere semper praeteritum tempus significat, infinitivus haud raro, neque desunt exempla coniunctivi et optativi. ἀποθάνοι Plato Phaed. p. 72. c. θάνωσι Soph. Phil. 418. Bernhardy gr. gr. p. 383.

**) Madvigius, quia Plaut. Aulul. V, 1, 19 *non potes probasse has nugas* graeco more dictum videtur, hoc „semel incuria vertentis e Graeco mansisse" ait. Talem quidem incuriam non ausim exprobrare Plauto, immo inde suspicari licet, non incognitum fuisse illum usum Plauto.

***) Multi enucleare studuerunt, quomodo differant *cupio esse clemens* et *cupio me esse clementem.* Cf. Haase ad Reisig. p. 790. Equidem nihil omnino differre puto, sed alterum *cupio esse clemens,* quia graecam consuetudinem redolere videbatur, idcirco illud ut magis latinum substituere quosdam maluisse suspicor.

bus: *ne quem eorum Aetoli recepisse velint.* Varro fragm. lib. XX Rerum hum. *ne quis lictorem, spurcum hominem, liberum prehendere iussisse velit.* Plaut. Poen. IV, 2, 50 *nolito edepol devellisse.* Terent. Hec. IV, 1, 48 *interdico, ne extra aedis puerum extulisse velis.* Cato de re rust. c. 5 *ne quid emisse velit insciente domino, neu quid dominum celavisse velit:* ea nollem Haasius et Madvigius, inducti locis similibus, quales supra proposuimus, pro perfecto venditassent. At enim leges perfectam tantum rem curare ait Haasius. Verum in hoc legis latorem ille confundere videtur cum iudice. Ille vel mali ominis causa rem, quam vetat, non iam patratam finget, atque is tantum qui iubet aliquid et vult, eam rem amat perfectam proponere. Sed sive hellenismum illum nominare voles, sive usum antiquitus Latinorum proprium, aoristum agnosco et apud Plautum Aulul. l. l. et apud Plin. N. H. X, 30 extr. *quum illam (*ciconiam*) nemo velit attigisse* (cf. Horat. Sat. I, 2, 28). Neque Liv. II, 24 *nec posse, quum hostes prope ad portas essent, bello praevertisse quicquam*, aut Quintil. VIII, 6, 30 *Romanae eloquentiae principem pro Cicerone posuisse haud dubitent* cum Madvigio corrupta dixerim *). Palladius igitur X, 7 si dicit *iugero quatuor vel sex sextarios sevisse conveniet,* non idcirco ille „a vetere loquendi castitate descivit.“ Idem aoristus deprehenditur Liv. XLIV, 22 *in omnibus circulis sunt, qui, ubi castra locanda sint, sciant, quando cum hoste manus conferendae, quando quiesse sit melius.* ibid. 36 *non operae sit stanti nunc in acie docere, quibus caussis hodie quiesse melius sit.* In his quoniam non de futuro iudicio agi patet, ne de his quidem id suspicaberis: Liv. III, 48 *proinde quiesse erit melius.* III, 41 *non erit melius, nisi de quo consulimus, vocem misisse.* Ter. Adelph. II, 1, 26 *ante aedes non fecisse erit melius hic convicium.* Nam *melius est* apud Latinos videtur significare: *decorum, honestum, conveniens est.* Plaut. Stich. V, 4, 10 *servo homini modeste melius facere sumptum quam ampliter. suum quemque decet.* T. Ann. I, 34 *discedere in manipulos iubet: sic melius audituros responsum.* Hoc est: *melius fore, sic audire responsum.* Id unum dignum erat monere Germanici persona. *Audire* igitur h. l. non est *vernehmen,* sed *anhören.* Alii aliter. Haec de infinitivo. De coniunctivo si huius loci esset disputare, evidentius etiam posset demonstrari, multis in exemplis,

*) Nec Liv. XXIV, 18 Madvigius p. 126 corruptum dicere debebat: *qui post Cannensem pugnam rempublicam deseruisse Italiaque excessisse velle dicebantur,* non quo cum Walchio Emend. Liv. 50 in animum inducam, illud latine dici potuisse pro *deserere voluisse*, sed est illud: dicebantur illi etiamnunc tam prava mente esse, ut vellent se post Cannensem pugnam rempublicam deseruisse, eamque voluntatem verbis prae se ferrent.

ubi coniunctivum perfecti aut futurum exactum alii interpretari connituntur, aperte aoristi modum gerundivum apparere, suis tamen finibus circumscribendum. Est enim tantum potentialis et prohibitivus modus. Atque huius modi adeo peculiares formas habent Latini veteres, uti *faxit*, *rapsit*, *capsit*, *ausit* cett. Sed nihil haec ad Agricolam, modo ne quis c. 43 *nobis nihil comperti*, *ut affirmare* (illud) *ausim* (ὥστε τολμῆσαι) neget, *ausim* esse aoristi modum. Quo in loco (cf. p. 63) si quis aut *audeam* aut *ausus sim* substitui posse putet, eum neque graece neque latine scire affirmaverim. cf. etiam p. 54 not. 3.

Quod autem Tacitus dicit *vel incondita ac rudi voce memoriam — composuisse*, id quidem ut quemvis alium decebit fateri, qui primum ad scribendum accedet, ita mirum videatur in Tacito, qui iam tum fama ingenii et eximia eloquentiae laude inter aequales excelleret *). Equidem neque pudorem nescio quem ambitiosum et affectatum Tacito consule satis dignum arbitror, neque „ironiam oratoriam" cum Buchnero aptam huic loco existimo **), sed adstipulandum in eo puto Walchio, quod veteribus monet historiae scribendae munus maius et elatius visum esse, quam cui par esset, quicunque in caussis et in foro eluceret. Multum enim censebant illi differre lenem et aequabilem illum, qui ab historico requiratur, orationis tractum a dicendi artificio eius, qui caussas dictitet in usu forensi ***). Talem igitur historiae speciem quum et ipse Tacitus animo informatam haberet, quid mirum, si ille nunc primum ad historiam scribendam aggressurus, ad eximiam illam, quae eius animo insideret, speciem ac formam, maximeque ad verum historiae sonum ac genuinum quasi colorem sese accessurum esse desperaret? Desinant igitur interpretes his Taciti verbis male abuti, quorum qui adeo *veniam*, quam Tacitus petit, ad istam inconditam vocem referendam putant, toto coelo aberrant. *Inconditam* igitur *ac rudem vocem* dicit eam, quae a vera artis historicae

*) Plin. ep. VII, 20 *equidem adolescentulus, quum iam tu fama gloriaque floreres, te sequi, tibi longo, sed proximus, intervallo et esse et haberi concupiscebam. Et erant multa clarissima ingenia, sed tu mihi maxime imitabilis,maxime imitandus videbaris.* II, 1 *Laudatus est a Cornelio Tacito, nam hic supremus felicitati eius cumulus accessit: laudator eloquentissimus.* Confer etiam ep. II, 11, 17.

**) Woltmannus VI. p. 45 in Agricola certe scriptorem deprehendit nondum satis ad historiam scribendam exercitatum et paratum. Non mira igitur ei videtur illorum verborum verecundia. Haud improbarit haec forsitan ipse Tacitus, quamvis leniter subridens et hominis admiratus sapientiam. Walchii contra laudationes profecto respueret. Quae iste mihi fingit commenta? quam excitat tragoediam umbraticus homo? Walchius enim, quasi dramatis alicuius Sophoclei artificium explicandum esset, omnem tragici carminis apparatum et magnificentiam, prologum, chorum, omnium denique partium in una summa conspirantium mirificum concentum in hoc libro agnovit.

***) Cf. Cic. de orat. II, 12, 51 sq. Orator 20, 66. Plin. ep. V, 8.

forma ac perfectione abest (*in kunst- und formloser sprache*). Sic *incomposita* carmina ea sunt, quae non ad artis formam composita sunt. Liv. IV, 20. V, 49. VII, 2, quibus opponuntur *modulata carmina* Suet. Octav. 57.

Adiungamus hic interpretationem gravissimorum prooemii locorum, atque ante omnia videamus,

QUAE SIT VENIA, QUA TACITO OPUS FUIT.

Hoc ut rite explicetur, enarranda est summa sententiarum, quae in primordio exponuntur. Ait Tacitus: Quod antiquitus usitatum fuit, ut magnorum virorum vitae memoriae traderentur, id ne nostra quidem aetate omissum, nonnunquam fit, si qui viri supra modum eminentes invidiam supergressi sunt: sed scriptorum alia nunc est conditio, mutata illa eodem modo atque eorum, qui res gerunt, rationes. Apud priores enim et agere et scribere liberum ac solutum erat, neque ullo modo restrictum; nunc utrumque multimodis praepeditum est et sufflaminatum. Olim scriptores non opus erat ut in scribendo aut gratiae quid darent aut per ambitionem rationem haberent legentium, sed illi unam laudatae virtutis conscientiam neque aliud pretium sectantes toti erant in prodenda virtutis memoria. Persuasum enim habebant, praeconio virtutis delectari homines suae aetatis (*simplex illa admirandis virtutibus antiquitas* Sen. ad Helvid. c. 17), quippe quibus adeo ii probarentur, qui suam ipsi vitam narrarent et (eadem sui fiducia, qua heroes apud Homerum) suas ipsi virtutes praedicarent. Non igitur illi Rutilio et Scauro sua facta narrantibus aut fidem abrogarunt aut obtrectarunt. Adeo suspiciebatur et aestimabatur virtus eo tempore, quo facillime gignebatur.

At nunc prorsus mutata est temporum ratio. Hodie enim, ubi rara est virtus, ne laudatam quidem eam cupiunt, et si quis vitam defuncti hominis more maiorum narrare conatur, aegre hoc et moleste ferunt, atque scriptori succensent, tanquam suscepturo aliquid, quod alienum sit ab hoc seculo, ideoque omnibus ineptum, odiosum et invisum videtur *). Itaque mihi vitam hominis defuncti narraturo, tanquam facturo aliquid, quo alii offendantur, *venia opus* **). Insigni acrimonia addit Tacitus:

*) Plin. ep. III, 21 *Fuit moris antiqui, eos, qui vel singulorum laudes vel urbium scripserant, aut honoribus aut pecunia ornare: nostris vero temporibus, ut alia speciosa et egregia, ita hoc inprimis exolevit. Nam postquam desiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus.*

**) Gellius XI, 8 *petere veniam solemus, aut cum imprudentes erravimus, aut cum compulsi peccavimus. Quis te perpulit, ut id committeres, quod prius quam faceres, peteres ut ignosceretur? Nimium nugator es, quum maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare.* Plin. ep. IX, 26, 13 *intelligo enim me, dum veniam prioribus peto, in illa ipsa, quae adnotaveras, inci-*

quam non petissem, incusaturus i. e. si incusaturus essem aliquem (non laudaturus), tum non opus foret hac venia, quia *pronis auribus accipiuntur obtrectatio ac livor* (Hist. I. 1), laudationes contra defuncti moleste feruntur. Adeo saeva et infesta virtutibus sunt tempora. Quae invidia virtutis qualis sit, infra videamus.

Utique igitur corrigenda est vulgata verborum distinctio, quae quum in libris sic scriberentur: *quam non petissem, incusaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora*, tum ad varias editores delapsi sunt coniecturas, tum in his interpretandis mirifice se torserunt, neque quidquam extricarunt, quod aut per se probum aut cum reliquis satis congruens esset.

Ad grammaticam rationem nihil est, quod in hac nostra verborum interpretatione offendat. Participium enim *incusaturus* ne tirones mirentur pro *si incusaturus essem* scriptum, his infra*) aliquot exempla adscribam. Contra qui scribunt *ni incusaturus* sc. *essem*, non meminerunt, hoc modo illud *essem* plane deesse non posse, quod supra p. 115 demonstravimus**). Non igitur opus

disse. IV, 9, 8 *veniam ergo peterem? iugularem reum, quem ita deliquisse concederem, ut servari nisi venia non posset.* III, 9, 15 *neque enim ita defendebantur, ut negarent, sed ut necessitati veniam precarentur.* Plin. ep. IV, 29 *egit ille in senatu caussam suam, sed ita egit, ut deprecaretur; remissa est multa, sed timuit, sed rogavit, sed opus venia fuit.* Plin. ep. VIII, 22 *qui dare veniam nisi sibi nesciunt.* IX, 17 *demus igitur alienis oblectationibus veniam, ut nostris impetremus.*

*) Liv. XXIII, 44 *dedituris se Hannibali non fuisse arcessendum Romanum praesidium.* ibid. 28 *inopem tantum iter ingressum vix penetraturum ad Alpes fuisse.* Cic. de orat. II, 42, 180 *non mehercule mihi, nisi admonito, venisset in mentem.* in Verr. I, 4 *nam quis hoc non intelligit, istum absolutum tamen ex manibus pop. Rom. eripi nullo modo posse.* Caes. b. g. V, 39 *hostes hanc adepti victoriam in perpetuum se fore victores confidebant.* VIII, 33 *quo, defendente nullo, tamen armatis adscendere esset difficile.* Cic. de legg. I, 4 *quaenam sollicitudo vexaret impios sublato suppliciorum metu?*

**) Unus Passovius olim in litteris ad Dronkium datis (Dronk. progr. p. 5) librorum scripturam *non petissem incusaturus tam saeva* cett. defendit, sed hac sententia: „für mein schriftstellerisches auftreten würde ich nicht um entschuldigung gebeten haben, wenn ich mit meinem Buche Domitian's Zeitalter hätte anklagen wollen: die greuel derselben sind so himmelschreiend, dass es auch dem ungeübtesten nicht hätte misslingen können, ein Schaudergemälde von ihnen zu entwerfen: ich aber habe etwas grösseres und schwereres vor, das leben eines abgeschiedenen edlen zu schildern, und bei meinen noch unversuchten kräften muss ich dafür auf nachsicht anspruch machen, die man der *professio pietatis* nicht versagen wird." In his neque *venia* recte intellecta est, neque video, quid sibi velit facilioris materiae commemoratio, praesertim cum Agricolae virtuti non recte comparentur Domitiani tempora. Item nuperrime Halmius, meam, ut videtur, rationem emendaturus, locum sic interpretatus est: „ich hätte nachsicht nicht angesprochen, wollte ich als ankläger der vorangegangenen schreckenszeiten auftreten, allein da ich mir zum vorwurfe gemacht habe, *virtutis memoriam prodere*, so bedurfte ich einer nachsicht erheischenden entschuldigung cett." At ita omnis orationi deest nervus. Quid enim mirum, Tacitum non veniam petendam existimasse incusaturum saeva et virtuti infesta tempora? Non recte enim Halmius, quae ego in re mea excitaveram verba ex Hist. I, 1 *obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur*, eadem in rem suam convertit. Quae enim est *obtrectatio*, quis *livor*, si quis incusat tempora saeva et infesta virtuti? Num quis illa adamavit, ut incusata nolit?

est, aliis argumentis refutare eorum conatus et coniecturas *). *Incusare* autem quamquam commode poteris coniungere cum *defunctum*, tamen nihil impedit, quominus absolute dictum putes (als ankläger auftreten). Cf. Cic. divin. in Caec. I *qui nunc ad accusandum descenderim.* pro Mil. 21, 57 *metuebat scilicet ne indicarent.* Quod hoc loco Tacitus *incusare defunctum* dicit (i. q. *criminari, insectari*), idem haud scio an Plinius ep. VII, 31 significet: *Musonii Bassi memoriam tam grata praedicatione prorogat et extendit, ut librum de vita eius ediderit. Pulchrum istud et raritate ipsa probandum, quum plerique hactenus defunctorum meminerint, ut querantur.* Deinde *Tam saeva et infesta virt. (sunt) tempora* noli dubitare num dici possit pro: *adeo saeva sunt tempora* **). *Infesta* autem *virtuti tempora* eodem modo dicit, ut Cic. Orat. 10, 35 *Itaque hoc sum aggressus statim Catone absoluto: quem ipsum nunquam attigissem, tempora timens inimica virtuti, nisi* cett.

At quod ad seriem sententiarum attinet, erunt qui contra moneant: Tacitus, quum statim addat, *Aruleno et Herennio capitale fuisse, quum Thraseam et Helvidium laudassent,* nonne Domitiano potius quam aetati succenset, et *tempora* quum dicit *saeva et infesta virtutibus*, nonne quisque *saevum Domitianum et infestum virtutibus principem* (c. 41) recordatur? His quidem haec respondeam: *saevi* non solum tyranni dicuntur, sed omnes qui duri sunt, inhumani, iniqui. Ann. XI, 5 *saevus accusandis reis.* II, 34 *saevitiam oratorum accusationes minitantium increpans.* XV, 58 *saevae percunctationes.* XI, 13 *saevitiam creditorum coercuit.* I, 6 *multa sine dubio saevaque de moribus adolescentis questus.* Domitianum autem quod criminatur, in eo maxime eum incusat, quod ille oppressa libertate et punienda bonorum laudatione, omni denique bona arte

*) Plerique *ni cursaturus* scribunt, ut *cursare tempora* sit enarrare, describere tempora. At quod poetae dicunt *decurrere pugnas, currere stadium,* id scilicet de absolvendo aliquo penso dictum est. Non autem Tacitus h. l. id munus sibi imposuit, ut decurrat Domitiani tempora. Ceterum hoc si cui etiamnunc placet, ei locum monstrabo, ubi *cursare* sic dictum est. Martianus Capella III, 262 ait: *perstricta est cursim rationis regula prima — nunc iam compactis cursanda est syllaba formis.* Melius illi *cursare* explicassent, animo percurrere Cic. de orat. I, 50. Horat. Od. I, 28, 5. Sic ego olim: müsste ich nicht bei schilderung jenes lebens eine der tugend unholde zeit im geiste durchlaufen, d. h. träte mir nicht das bild einer grauenvollen zeit dabei vor die seele. Sed frustra isthaec omnia.

**) Ann. XI, 3 *tantum illi securitatis novissime fuit.* II, 72 *tanta illi comitas in socios.* Hist. IV, 37 *tanta illi exercitui diversitas inerat.* Liv. XXIII, 29 *tanta velocitas ipsis tamque docile equorum genus erat.* VI, 40 *tanta dulcedo est in alienis fortunis praedandi.* Cic. de off. III, 31, 112 *tantum temporibus illis iusiurandum valebat.* Tusc. IV, 37, 79 *tanta vis fuit poenitendi.* Tusc. I, 49, 116 *quos enumerare longum est, ita sunt multi.* Graeci eodem modo *τοιοῦτος* et *τοῖος*. Soph. Ai. 218. 327. 563. Oed. Col. 947. Ant. 124. pariterque *οὕτως*, Philoct. 970 *οὕτω τοῖς παροῦσιν ἄχθομαι.*

in exsilium acta foedam illam temporum corruptelam invexit, ut dedidicissent homines virtutem admirari et honestum suspicere et bonos viros diligere. At enim nunc mortuus est Domitianus. Verum mores hominum si semel depravati et ad humilitatem abiecti sunt, non statim emergunt denuo et ad admirationem virtutis honestique amorem assurgunt. Ceterum quod Tacitus subito in Domitiani quoddam edictum invehitur, haud scio an quodammodo lenire ac mitigare voluerit acerbam illam temporum incusationem. Auctorem enim depravationis si castigat, qui ista labe infecerit animos hominum, nonne maxima culpae pars in illum transfertur ipsique homines magis exonerantur quam implicantur? Videtur enim nunc malum dicere contagione contractum, quod eo fidentius nunc incessere licet, quia iam nova lux oborta est libertatis, qua istam labem poterunt abluere.

Reliqua est una difficultas, quod Tacitus dicit *venia opus fuit*, non *est*. Walchius de aoristo somniatur, quem in his agnoscere iam olim Eichstadtius p. 4 absonum dixit. Non melius alii dicendi consuetudinem in epistolis usitatam afferunt. Nam quod in epistolis Latini imperfecto tempore ea referunt, quae eo tempore, quo is, ad quem datae sunt litterae, praeterita erunt, id non cadit in ea, quae per litteras ab illo petimus. Alii (Iahn Jahrb. 1844 no XLII p. 275) *opus fuit* hypothetice dictum putant, at equidem nescio, quae fingi possit satis apta protasis conditionalis huius enuntiati. Aliam rationem excogitavit summus Niebuhrius (kleine histor. und philolog. Schriften p. 331), quae multis nominibus improbanda est. Vult enim scribi *at mihi nuper narraturo — venia opus fuit — — — Legimus, quum — capitale fuisset* hac sententia: nuper quum (vivo etiamtum Domitiano) hanc vitam legerem, opus fuit venia et conniventia eorum, qui audirent; legebam enim eo tempore, quo Arulenus et Herennius propter similem librum capitis damnati essent, ut tunc non possem animo non perturbato esse. Nunc quum librum denuo edo, libero sum animo.

Ni meliora his inveniri possint, equidem illud *fuit* ut glossema delendum censuerim (Tac. Ann. XIV, 6 *sibi ad praesens quiete opus*); nam quod sequitur *petissem*, idcirco non omnino opus est, ut *fuit* antecesserit. Poteris enim illud plusquamperfectum hoc modo explicare: postquam a se impetravit, ut invisam sibi et odiosam vocem *mihi venia opus* pronuntiaret, hanc aegre elisam vocem tanquam rem transactam et confectam considerat, quasi dicat: *dixi igitur, est dis gratia, petivi veniam, quam non petissem* cett. Sed tamen alia se mihi offert explicandi illius perfecti ratio, quae mera aliqua suspicione nititur, quam quia alii doctiores forsitan

non improbandam censuerint, propterea nunc quidem librorum scripturam retinendam arbitror.

Suspicor enim veteres subinde titulo libri, qui in fronte legebatur, quod saepe faciunt nostri scriptores, sententiam aliquam adiecisse, vel ut summam totius indicarent, vel ut lecturos sive eum, ad quem liber scriptus est, aliquid admonerent. Ita enata videntur quaedam poetarum epigrammata, veluti quod in quibusdam editionibus initio metamorphoseon Ovidii legitur:

Orba parente suo quicunque volumina tangis,
his saltem vestra detur in urbe locus.
Quoque magis faveas, non sunt haec edita ab illo,
sed quasi de domini funere rapta sui.
Quidquid in his igitur vitii rude carmen habebit,
emendaturus, si licuisset, erat.

vel initio Amorum:

Qui modo Nasonis fueramus quinque libelli,
Tres sumus: hoc illi praetulit auctor opus.
Ut iam nulla tibi nos sit legisse voluptas;
At levior demtis poena duobus erit.

et artis amatoriae:

Si quis in hoc artem populo non novit amandi,
Me legat et lecto carmine doctus amet.

Confer etiam Luciani *Λουκιανὸς τάδ' ἔγραψα* cett. Iacobs Anthol. III p. 22. n. V. Subinde titulo libri in codd. annexum est: *lege feliciter*. Quid igitur? si Tacitus isto loco adscripserit tale quid quod Ovid. Trist. IV, 1, 104 ait:

cum venia facito, quisque es, ista legas.

(Liv. XXIX, 17 *cum bona venia, quaeso, audiatis quod dicam* cett.) Sed ulterius progrediar. Ex ipso Tacito eruamus verba, quae adscripsisse videtur. Nempe titulos librorum, mitto nunc schedulas cum tituli notatione codicibus annexas, constat et in fronte libri et in fine positos fuisse, uti nos fere praescriptionem, ad quem litterae datae sunt, sub finem denuo addere solemus, ne, quia illa plerumque *extra ordinem paginarum* (Martial. IX, 1) scripta est, quae ea notata sunt, depereant aut ignorentur. Quid? si hoc idem valeat de illis programmatis? Hoc si verum fuerit, non dubito, quin apud Thucydidem ultima praefationis verba *κτῆμα ἐς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν ξύγκειται* pro tali inscriptione habenda sint. Iam quae in fine prooemii Agricolae leguntur:

HIC LIBER HONORI AGRICOLAE SOCERI MEI DESTINATUS
PROFESSIONE PIETATIS AUT LAUDATUS ERIT AUT EXCUSATUS.

ea si statuamus simul in fronte posita fuisse, tum facile intellige-

mus, cur Tacitus dicat *venia opus fuit.* Nam quum se *excusatum* vult, veniam petivit. Agite igitur, explicemus ipsa haec verba. Ac primum quidem quomodo a professione pietatis laus et commendatio auctori libri peti possit, id satis apparet. At quomodo eadem professione liber *excusatus* dicatur, id scilicet quaerendum est. Diximus supra, *venia opus* fuisse Tacito, quia homines suae aetatis aegre tulerint laudationem virtutis defuncti hominis ut invisam tunc et odiosam. Haec autem invidia virtutis ex quo fonte promanat? Respondeat Seneca de beata vit. c. 18 *ad nomen magnorum ob aliquam eximiam laudem virorum, sicut ad occursum ignotorum hominum minuti canes, latratis. Expedit enim vobis neminem videri bonum, quasi aliena virtus exprobratio delictorum vestrorum sit; inviti splendida cum vestris sordibus confertis — quibus ipsum nomen virtutis odio est.* atque Tacitus Ann. IV, 33 *Etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens.* Horat. Ep. II, 1, 13 *urit enim fulgore suo, qui praegravat artes infra se positas.* Ergo laudationem virtutis aegre et moleste ferunt, quia contraria sua vitia sibi obiectari putant. Itaque si quis *defuncti* *) hominis laudem narraturus profitetur, se non tanquam magistrum morum eo consilio librum scribere, ut aliis vitia obiectet et exprobret, sed nulla alia caussa ad id commotum esse, nisi ut pietati satisfaciat et patris honori ipse gener inserviat, excusatus erit apud illos virtutis osores, filio enim id dabunt, ut patris amore et studio captus totus sit in eius laude et admiratione, ac pleniore ore quas sibi scilicet fingat patris laudes praedicet. Nempe talem laudatorem innoxium aiunt. Ne opus sit aliorum huius loci interpretationes redarguere, id unum moneo, quae hic coniunctae sint voces *laudatus* et *excusatus* debere ad eandem rem referri, ita ut quod alter *laudare* dicatur, idem alter *excusare* perhibeatur. Id enim requirit dicendi consuetudo in his verbis, quae saepe iuxta posita inveniuntur **). Quod contra ac-

*) i. e. recens mortui, ergo hominis aequalis. Recte sic explicat Roth. Cf. Ann. II, 71 *prosequi defunctum.* Quod subinde apud oratores etiam ii, qui olim mortui sunt, *defuncti* dicuntur, quod negari non potest, eo illa interpretatio non redarguitur.

**) Plin. ep. III, 7, 13 *ut mihi non venia solum dignae, verum etiam laude videantur illae regiae lacrymae.* VIII, 16 *est enim quaedam etiam dolendi voluptas: praesertim si in amici sinu defleas, apud quem lacrymis tuis vel laus sit parata vel venia.* IV, 17, 11 *quamquam non solum veniam me, verum etiam laudem apud istum ipsum arbitror consecuturum, si haec eadem in actione latius scilicet et uberius, quam epistolarum angustiae sinunt, contigerit mihi vel in excusationem vel etiam in commendationem meam dicere.* IX, 29 *si ea facilitate haec proxima acceperis, qua priora, laus potius speranda, quam venia obsecranda est.* IX, 19 *omnes ego, qui magnum aliquod memorandumque fecerunt, non modo venia, verum etiam laude dignissimos iudico, si immortalitatem, quam meruere, sectantur.* IV, 14, 8 *Sed quid ego plura? nam longiore praefatione vel excusare vel commen-*

cidit in plerisque interpretationibus. Ex nostra ratione editum librum propter pietatem alii laudant, alii eundem propter eandem caussam excusant. *Aut — aut* enim **duplex** indicat legentium genus.

Quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invidiam.

In his *quotiens* est *si quando,* nam raro id fieri, videtur significare. *Magna aliqua virtus* est virtus in singulo aliquo homine conspicua (eine einzelne concrete erscheinung der tugend), virtus alicuius hominis. Dicere etiam poterat: homo aliquis virtute insignis. Cf. Cic. pro Mil. 37, 101 *et erit dignior locus ullus in terris, qui hanc virtutem* (i. e. Milonem) *excipiat?* ibid. *haec tanta virtus ex hac urbe expelletur?*

ignorantiam recti] *Rectum* est consummata virtus. Nam quod alibi dicitur *honestum,* id apud Tacitum et Senecam saepe dicitur *rectum,* quoniam hoc nomen, quod invenit Cicero, ut quod in Graecorum philosophia κατόρθωμα dicitur, vocabulo redderet latino, ex philosophorum arte iam in communem consuetudinem venit. Cic. de off. I, 3, 8 *nam et medium quoddam officium dicitur et perfectum: perfectum* (*rectum, opinor, vocemus*) *), *quod Graeci κατόρθωμα vocant, hoc autem commune officium καθῆκον vocant.* de fin. III, 6, 24 *quae autem nos recta dicamus, si placet, illi autem appellant κατορθώματα.* Ceterum quum philosophi speciem aliquam sibi fingerent virtutis perfectam et omnibus numeris absolutam, quae in neminem caderet, nisi in sapientem (Cic. de off. III, 3, 13. 14), apud Tacitum consummatae virtutis, quae vere in vita deprehenditur, notio hac voce significatur. Ann. II, 51 *exempla recti.* Hist. IV, 5 *pervicax recti.* Seneca ep. 108 *facile est auditorem concitare ad cupiditatem recti. Omnibus enim natura fundamenta dedit semenque virtutum. — Facillime tenera conciliantur ingenia ad honesti rectique amorem.* Auct. ad Herenn. 3, 2 *rectum est, quod cum virtute et officio fit. Id dividitur in prudentiam, iustitiam, fortitudinem, modestiam.*

Ignorari autem quum dicit virtutem, significat eam non *intelligi* **) neque recte aestimari. Nam uti qui hebeti sunt ingenio

dare ineptias, ineptissimum est. VIII, 14, 11 *Hoc et ego excusatior, si forte sum lapsus, et tu dignior laude, si potes id quoque docere, quod in obscuro est an didiceris.*

*) Sic distinguendum puto hunc locum. Cf. II, 16, 55 *Omnino duo sunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales: prodigi, qui epulis — relicturi; liberales autem, qui* cett.

**) Sen. de const. sap. c. 1 *indigne ferebas, sicut es iniquitatis impatiens, quod Catonem aetas sua parum intellexisset, quod supra Pompeios et Caesares surgentem infra Vatinios posuisset.* ep. 79 *Quamdiu Catonem*

ea, quae magna produnt ingenia, non intelligunt *), ita qui depravatis ipsi sunt moribus humilique et abiecto animo ad excelsam virtutem intelligendam escendere nequeunt. Quae clari homines agunt elato et excelso animo, ea metiri solent sua humilitate, itaque aut non credunt **) grandia illa ab iis perpatrata esse (*citra fidem* ea sunt), aut eos vel propter suam utilitatem, vel per ambitionem, ut conspiciantur, vel aliis inhonestis caussis commotos illa fecisse calumniantur (*obtrectationi* est). Recte igitur Tacitus hanc *ignorantiam recti vitium* dicit. — *et invidiam*] male plerique intelligunt *invidiam recti*. Mitto quod *invidia alicuius* vix latine dicitur (Ann. II, 71 *invidia erga virtutem*), quia *invidere alicui*, non *aliquem* dicunt; gravius hoc est, quod ii, qui magnae ac nobili alicui virtuti invident, ei non *rectum* invident, sed potius gloriam, splendorem et quod illa *nobilis* est, i. e. conspicua, eminens, excellens est. *Rectum* enim i. e. virtutis consummationem invidet aemulatio, non invidentia, quae eam plane non concupivit. Corn. Nep. Chabr. 3 *est enim hoc commune vitium in magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriae comes sit, et libenter de his detrahant, quos eminere videant altius.* Plin. ep. I, 8 *nam cum ipsi honestati, tum aliquanto magis gloriae eius praedicationique invidemus.* Neque rusticus ille (apud Plut. Alcib. p. 322. Corn. Nep. Arist. c. 1) Aristidi invidebat, *quod iustus erat, sed quia ab omnibus iustus habebatur.* Cic. Tusc. V, 36, 105 *Ephesii, quum civitate expellerent Hermodorum, ita locuti sunt, nemo de nobis unus excellat* ***).

Quod autem *ignorantia recti* et *invidia* unum *vitium* appellantur, id inde explicandum, quia ex una eademque depravatione gemina

civitas ignoravit! respuit, nec intellexit, nisi cum perdidit. Plin. ep. III, 11 *idque primum nonnullius indolis dedi specimen, quod virum aut sapientem aut proximum simillimumque sapienti intelligere sum visus.* Vell. Paterc. II, 114, 5 *quem in quantum quis aut cognoscere aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit.* II,116, 4 *quem virum ne qui intellexit quidem abunde miratus est.* Cf. Ruhnk. ad Rut. Lup. I, 4. p. 16.

*) Plin. ep. I, 10 *ut enim de pictore, sculptore, fictore nisi artifex iudicare, ita nisi sapiens non potest perspicere sapientem.*

**) Thucyd. II, 35 *τῷ δὲ ὑπερβάλλοντι αὐτῶν φθονοῦντες ἤδη καὶ ἀπιστοῦσι.* Sall. Cat. 3 *ubi de magna virtute et gloria bonorum memores, quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit, supra ea (ὄντα) veluti ficta pro falsis ducit.* Cic. Tusc. II, 1, 3 *reperiebantur nonnulli, qui nihil laudarent, nisi quod se imitari posse confiderent.* Seneca ep. 71 *Non putant enim fieri quidquid facere non possunt: ex infirmitate sua de virtute ferunt sententiam.* „In entnervten zeitaltern," ait Ioannes de Müller (de Frid. magno) „zeigt sich ein unglaube an grössere naturen, und bei der unfähigkeit sich gleich hoch zu erheben, die niedrige bemühung, sie herunterzusetzen."

***) Mira est adnotatio Waltheri: „si voluisset *invidiam* separari ab *ignorantia recti*, scripsisset *aut invidiam*." *Aut* si scripsisset Tacitus, sane quidem non in unum vitium copularentur illa, nam alii dicerentur ignorantiam recti, alii invidiam experti esse. At non inde consequitur, quod vult Waltherus,

illa et consociata vitia progigni solent, atque *ignorantiae* illi *recti* perpetua comes esse solet *invidia* splendoris, quo eminet virtus clarorum hominum magna ac nobilis.

vicit ac supergressa est] vincimus repugnantem, supergredimur victum. (Cic. Tusc. I, 1 *in quo facile erat vincere non repugnantes.*) Magna virtus quantumvis ignoretur aut secus aestimetur, quantumvis dignis praemiis honoris et gloriae privetur, hominesque, pro quibus laborat, malignos potius quam gratos experiatur, tamen non idcirco studio elanguescit et retardatur, sed strenue cursum suum persequitur. Ita denique obmutescit invidia et obtrectatio, victisque his adversariis victrix iam quasi super eorum cervices egreditur ad tantum altitudinis fastigium, quo livor et invidia eam amplius attrectare nequeat *). Tum *invidia infra eius magnitudinem iacet* (Ann. XIV, 54). Talem supra invidiam elatam virtutem significat Demosthenes, quum Olynth. III. §. 24. p. 35 dicit *μόνοι δὲ ἀνθρώπων κρείττω τὴν ἐπὶ τοῖς ἔργοις δόξαν τῶν φθονούντων κατέλιπον*, ubi adnotat Ulpianus: *διὰ τὸ ὑπερβάλλον τῶν πράξεων οὐ φθονοῦσι τοῖς ὑπερβάλλουσιν.* Et Horatius Od. II, 20, 4 sibi videtur posthac *invidia maior* futurus, quocum conferas *et iam dente minus mordeor invido.* Od. IV, 3, 16. Luculentus in hoc genere est locus Plutarchi, quem excitat Lambinus ad Horat. Od. II, 20, 4. Facile autem vides errare Walchium, qui haec omnia in Agricolam ita dicta putat, ut illi hoc non contigisse significare Tacitus voluerit. Nihil omnino haec ad Agricolam pertinent. Diversa sententia est eorum locorum, quibus invidiam morte demum superari significatur, qui quidem plerumque ad Taciti verba *incuriosa suorum aetas* afferri solent **).

coniungendum esse *invidiam recti.* Confudit igitur duas, quae plane diversae sunt, quaestiones.

*) Seneca ep. 32. fin. *Ille demum necessitates supergressus est et exauctoratus ac liber, qui vivit vita peracta.* Sen. de brevit. vit. c. 10 *atqui haec est pars temporis nostri sacra ac dedicata, omnes humanos casus supergressa, extra regnum fortunae subducta, quam non inopia, non metus, non morborum incursus exagitat.* Eandem vim habent: *qui adeo extra omnem teli iactum surrexit, ut supra fortunam emineat* Sen. de const. c. 1. *an potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adiutus, exsurgere* ep. XLI. *multum supra fortunam elatus* ep. LXIII.

**) Veluti Vellei. Paterc. II, 92 *praesentia invidia, praeterita veneratione prosequimur.* dial. de orat. c. 18 *vitio malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio.* Horat. Od. III, 24, 31 *virtutem incolumem odimus, sublatam ex oculis quaerimus, invidi.* Hor. epist. II, 1, 12 *Comperit invidiam supremo fine domari — exstinctus amabitur idem.* Cf. ibi Lambin. Cic. pro Balb. 3, 16 *mors enim quum exstinxisset invidiam, res eius gestae sempiterni nominis gloria niterentur.* Sen. de tranquill. c. 14 *Canus Iulius vir inprimis magnus, cuius admirationi ne hoc quidem obstat, quod nostro seculo natus est.* Plin. ep. I, 16 *neque enim debet operibus eius obesse, quod nostro seculo vivit.* Martial. V, 10. Thucyd. II, 45 *τὸν οὐκ ὄντα ἅπας εἴωθεν ἐπαινεῖν, φθόνος γὰρ τοῖς ζῶσι πρὸς τὸ ἀντίπαλον, τὸ δὲ μὴ ἐμποδὼν ἀνανταγωνίστῳ εὐνοίᾳ τετίμηται.* Dem. de cor. §. 315. p. 330

Apud priores ut agere digna memoratu pronum magisque in aperto erat.] *Pronum* est quod facile et expedite procedit, ut *prono amni* facile navigatur, *prona via* facile progredimur; contrarium est *arduum*, quia sursum non sine labore et contentione enitimur. Hinc c. 33 *omnia prona victoribus.* Sall. Iug. 114 *alia omnia virtuti suae prona esse.* Plin. paneg. 16 *omnia haec tam prona tamque cedentia virtutibus sentiet,* ut cett. Apud veteres igitur iis, qui magnas res gererent, non a malignitate et livore calumniis, clandestinis consiliis malisque artibus impedimenta obiiciebantur, sed pro virili parte quisque adiuvabat eos, qui magnas res agerent. *Magisque in aperto erat*] noli cónferre cum Walchio Sall. Iug. c. 5 *quo ad cognoscendum omnia illustria magis magisque in aperto sint,* quod ex imitatione Graecorum (*ἐν φανερῷ, ἐν ἀδήλῳ* cett.) dictum est. Hic agitur de *campo aperto.* Cuius quum duo sint propria, alterum, quod latebras non praebet ad insidiandum, alterum quod nullis limitibus est coarctatus, illud quidem, cuius exempla supra p. 57 attulimus, huc non pertinet, alterum egregie hoc loco dicitur de rerum gerendarum spatio (freier spielraum zu thaten). Ann. XIII, 8 *videbatur locus patefactus virtutibus.* Agric. 33 *hostes veniunt e latebris extrusi, et vota virtusque in aperto.* c. 8 *habuerunt virtutes spatium exemplorum.* Hist. III, 56 *quum — fessos hostes aggredi in aperto foret,* i. e. cum copia data esset hostis, sive cum liceret hostem aggredi. Iam si quaeris, quomodo illo tempore res magnas agere non in aperto fuerit, sed magni viri multifariam circumscripti et terminis inclusi fuerint, satis id proditur c. 5 *militaris gloriae cupido ingrata temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus magnum periculum ex magna fama, quam ex mala.* c. 41 *in ipsam gloriam praeceps agebatur.* Plin. ep. X, 14, 7 *Nos iuvenes fuimus quidem in castris, sed quum suspecta virtus, inertia in pretio.* Inprimis autem tu confer Corbulonis exemplum Ann. XI. 19, 20. Qui cum felicissime in Germania res gereret, *formidolosus paci vir insignis et ignavo principi praegravis. Igitur Claudius adeo novam in Germanias vim prohibuit, ut referri praesidia cis Rhenum iuberet. Iam castra in hostili solo molienti Corbuloni eae litterae redduntur. Ille re subita, nihil aliud prolocutus quam BEATOS QUONDAM DUCES ROMANOS, signum receptui dedit.* Dio Cass. LX, 30 huic voci *ὦ μακάριοι οἱ πάλαι*

τίς γὰρ οὐκ οἶδε τῶν πάντων, ὅτι τοῖς μὲν ζῶσι πᾶσιν ὕπεστί τις ἢ μείζων ἢ ἐλάττων φθόνος, τοὺς δὲ τεθνεῶτας οὐδὲ τῶν ἐχθρῶν οὐδεὶς ἔτι μισεῖ. §. 317 *δῆλον γὰρ ὅτι καὶ κατ' ἐκείνους ἦσαν τινες χρόνους, οἳ διέσυρον μὲν τοὺς ὄντας τότε, τοὺς δὲ πρότερον γεγενημένους ἐπῄνουν.* Mimnermus apud Stob. 125, 12 *δεινοὶ γὰρ ἀνδρὶ πάντες ἐσμὲν εὐκλεεῖ ζῶντι φθονῆσαι, κατθανόντα δ' αἰνέσαι.*

στρατηγήσαντες addit: *ἐς δήλωσιν, ὅτι τοῖς μὲν ἀκινδύνως ἀνδραγαθίζεσθαι ἐξῆν, αὐτὸς δ' ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος διὰ τὸν φθόνον ἐνεποδίσθη.* Similia expertus est Agricola, quantumvis Imperatoris invidiam caute evitare studuisset. Cf. Ann. II, 73 *praepeditus* Germanicus.

Iam uti magnas res gerere pronum tum erat magisque in aperto, ita scribere de aliorum virtute *maxime solutum et sine obtrectatore fuit* (Ann. IV, 35). ‚Der held (auf seiner laufbahn) und der biograph (in der schilderung der tugend) konnten unbefangen und frei sich bewegen. Wie jener durch keine hindernisse gehemmt, durch keine rücksichten gebunden und beschränkt, getrost seinem drange nach thaten und ruhm sich hingab, eben so unbefangen und frei von allen nebenrücksichten konnte der schriftsteller seinem im inneren gefühlten berufe, die tugend zu verherrlichen, folgen.

Sine gratia aut ambitione bonae tantum conscientiae pretio ducebantur. Id unum sectabantur, ut conscientiae satisfacerent. Existimabant autem suum esse, virtutem laudare et illustrare, suoque officio deesse sibi videbantur, nisi condecorandae illi pro virili parte operam navassent. Hoc est *pretium* *) illud, quo ducti scriberent. Plin. ep. V, 8' *historiam scribere volo, quia mihi pulchrum inprimis videtur, non pati occidere, quibus aeternitas debeatur.* Seneca ep. 102 *merentem laudare iustitia est.* Tac. Ann. III, 65 *praecipuum munus annalium reor, ne virtutes sileantur* **).

Huic igitur officio satisfecerunt *sine gratia aut ambitione.* Recte Buchnerus *gratiam* (vorliebe, partheilichkeit) ad eos ipsos, de quibus scribitur, *ambitionem* (menschengefälligkeit) ad legentes refert. Cic. de orat. II, 15, 62 *ne qua suspicio sit gratiae in scribendo.* ad fam. V, 12 *gratiamque illam, a qua te flecti non magis potuisse demonstras, quam Herculem a voluptate, ne aspernare, amorique nostro plusculum etiam, quam concedet veritas, largiare.* Alibi idem *amor* dicitur, oppositumque est *odium.* Hist. I, 1 *nec amore quisquam et sine odio dicendus est.* Ann. VI, 26 *ut odium et gratia desiere, ius valuit.* IV, 35 *quos mors odio aut gratiae exemisset.* Cic. pro Marc. §. 29 *posteri et sine amore et sine cupiditate et rursus sine odio et invidia iudicabunt.*

*) Qui apud nos *preis* et *lohn* idem esse putant, ii sane *pretium* pro *praemio* dictum accipiant. Ceterum haec ut differunt aliquantum, ita promiscue usurpantur. Plin. paneg. 44 in simili re adeo *mercedem* substituit: *eadem quippe sub principe virtutibus praemia, quae in libertate: nec benefacto tantum ex conscientia merces.*

**) Non minus sincerum quamvis diversum pretium et *laboris praemium* in historiis scribendis petit Livius, *quem iuvat rerum gestarum memoriae pop. Rom. pro virili parte consuluisse,* et praeterea: *dum prisca tota mente repetit, a conspectu malorum praesentium se avertere vult.*

Alii, qui *sine gratia* explicant: *non gratiae ineundae caussa*, videantur in suam rem afferre posse Sen. ep. 79, 5 *venient qui sine offensa, sine gratia iudicent.* At hoc loco et similibus, veluti Plin. ep. V, 8, 12 *quae potissimum tempora aggrediamur? intacta et nova? graves offensae, levis gratia.* V, 20, 3 *liber offensis, liber gratia, liber et secundis casibus et adversis caret.* Senec. apocol. 1 *nihil offensae vel gratiae dabitur:* in his ex apposita *offensa* satis intelligitur, quae sit *gratia,* nostro autem loco additur *aut ambitione.* Iam vero *ambitio* illa ipsa indoles est scriptoris, qui multum dat gratiae, multum offensae. Non potest igitur nostro loco haec *gratia ambitioni* opponi. Qui sine ambitione scribit, unam veritatem in scribendo intuetur (*offensae gratiaeque pariter securus* Plin. paneg. c. 18, *omnis expers curae, quae scribentis animum etsi non flectere a vero, sollicitum tamen efficere possit* Liv. praef.), neque quidquam curat, quomodo alii afficiantur in legendo, utrum quae narrat et explicat, probentur et conveniant seculo, an displiceant, utrum laudatum aliquem eius amici et admiratores, an reprehensum malint eius inimici; utrum ipse gratiam ferat, an offensam atque invidiam subeat diversarum partium. Quam *scriptoris ambitionem* si Tacitus Hist. I, 1 *libidinem assentandi* et *adulationem, foedum crimen servitutis* dicit, id ipsum significat, plerosque id potissimum operam dare, ut aliis, maxime principibus, placeant, quod non contingebat iis, qui, veluti Cremutius Cordus (Ann. IV, 34), Brutos et Cassios laudandos sibi sumserunt.

Ceterum quae hoc loco in laudem dicere videtur scriptorum prioris aevi, in iis scilicet vituperium maxime continetur suae aetatis. Illos enim quum dicit *uno conscientiae pretio ductos sine gratia et ambitione* scripsisse, id maxime significat, non opus fuisse illis, ut gratificarentur cuiquam auribusque aliorum servirent. Virtus, quam illi narrabant, ipsa adamabatur a legentibus eiusque praeconium ipsum omnibus gratum erat.

Adiungam hic interpretationem loci, quae non paucis verbis transigi potest.

C. 6 *Ludos et inania honoris medio rationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior.*

Ludorum omnis cura reipublicae tempore imposita erat aedilibus curulibus, nisi quod ludi Apollinares et votivi a praetore urbano edebantur. (Spanhem. de praest. et usu num. II p. 121 sq. p. 140 sq.) Sed ex quo aedilitas desiit viam ad summos in republica honores munire, qui iam vel senatus arbitrio vel principis suffragio deferrentur, homines nobiles ab aedilitate et ludorum

edendorum cura prorsus abhorrebant. Itaque quum iam ante Augusti principatum aedilitatis munera ob inopiam petentium ad alios deferri coepissent (Dio Cass. XLIX, 16 p. 401 E. LV, 24 p. 565 C.), Augustus anno 732 omnium ludorum curam iniunxit praetoribus (Dio Cass. LIV, 2 p. 522 A), ita ut, quum iam ab antiquissima memoria certi ac definiti essent ludi statique dies festi, fastis adscripti *), ex his ludis suos quisque praetor curaret, ita coniunctos illos cum praetura sua, ut una cum munere etiam ludos suos sortiretur. Itaque Plinius ait ep. VII, 11, 4 *ludis meis praetore me praesedit,* Dio Cass. LIV, 34 p. 545 A *ἡ πανήγυρις ἡ τῇ στρατηγίᾳ αὐτοῦ προσήκουσα πολυτελεστάτη ἐποιήθη.*

Dicebantur illi ludi *honorarii* (Suet. Octav. 32), quia *honoris* i. e. praeturae ratio eos secum ferebat, itemque *ordinarii,* quia praeter illos ordinarios ludos alii praeterea extraordinarii a praetoribus subinde edebantur, veluti in celebrandis principum diebus natalibus. Uberius de his rebus disputavit Fossius commentatione de praetoribus.

ludos et inania honoris] Unum solidum vereque utile munus praeturae erat iurisdictio, qua administranda aliquis civitati vere prodesse et fructuosam reipublicae operam navare posset, sed iniuncta erant praetoribus alia inania, tanquam munera *honoris* i. e. praeturae, quamvis talis opera non in eo numero haberi posset, ut iis, quae praestanda sunt viro in gravissimo reipublicae munere versanti, comparari possent. In his erat maxime ludorum cura, praetoribus iniuncta. Iam quum Tacitus dicat *ludos et inania honoris*, possis sane hoc ita interpretari: praeter ludorum curam alia etiam *inania* praetoribus imposita fuisse, qualia fingas salutationes imperatorum diebus eorum natalibus, legationum introducendarum (Liv. 34, 57) munus, aliae cerimoniae; sed rectius illud cum Walthero („*inania honoris* non alia intelliguntur, quam quae sunt in ludis“) per hendiadyn explicabis, ut addita voce *inania* nil significetur nisi ludorum curam inane esse praeturae munus. Hanc ludorum proprietatem quia scriptor premi vult, propterea hanc notionem singulatim addidit **). Argumento est, quae deinceps sequitur vox *abundantia,* quae satis aperte ad impensas ludorum animum advertit, ut et *inania* ad unos ludos aut certe ad

*) Inde explicanda erunt verba Ann. XIV, 20 *spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens praetores ederent, nulla cuiquam civium necessitate certandi.* Antiqui igitur moris spectacula retineri volebant ita, ut statis festis diebus, quibus adhuc, neque extra ordinem aut saepius ederentur, deinde ne cives certârent.

**) c. 6 *idem praeturae tenor et silentium.* Hist. III, 66 *pacem et conditiones.* III, 24 *spe promissisque.* Agr. c. 43 *honore iudicioque.* Hist. I, 7 *forma et decore corporis.*

singulas curas, quae cum ludis arcte coniunctae sunt, referenda esse liqueat, veluti ad inanem splendorem praetoris, cum ludis *praesideret* et triumphali veste indutus curru per circum veheretur, in quo tantus illi honos habebatur, ut imperator Claudius (Suet. Claud. 12) surgens ipse cum cetera turba voce ac manu praetorem veneraretur.

medio rationis atque abundantiae duxit] Singulare volumen edendum erit, si quis complecti et recensere velit ea, quae de horum verborum sententia viri docti frustra commentati sunt *), neque ii modo, qui Puteolani corruptelam (*modo*) interpretari conati sunt, verum etiam qui librorum veram scripturam nossent. Sed proponam mea. Apparet cuique, ludos illos et inania Agricolae non satis digna visa esse persona sua, sed tamen quum honoris ratione istud munus semel ei impositum esset, subire id debuit, et quamvis molestum esset, transigendum erat et defungendum. Eiusmodi autem inania negotia, plerumque cum pompa externoque splendore coniuncta, viro gravi propterea maxime invisa sunt et taedii plena, quia ille, tempus utili et fructuoso labore explere consuetus, non ferre potest eiusmodi negotii inertem desidiam, in quo quia nihil sibi agere videtur, urit eum lenta mora. Itaque cupide anquirit, quomodo tale tempus traducat **). Iam uti insomnem noctem traducimus variis sermonibus, ita iter, quod subinde non minus molestum est, traducimus legendo, neque minus munus aliquod nobis invisum aliquo modo traducimus, quo tolerabile fiat. Cic. ad Att. V, 9 *faciam denique, ut summa modestia et summa abstinentia munus hoc extraordinarium traducamus.* Iam vero Latini tempus aliquod non solum *traduci* dicunt, sed etiam *duci.* Ann. II, 34 *sermonibus variis tempus atque iter ducens.* Cic. de fin. V, 19, 50 *quo studio Aristophanem putamus aetatem in his litteris duxisse.* Plin. ep. VI, 31 *noctem iucundissimis sermonibus ducere.* Virg. Georg. III, 379. Aen. IX, 166 *noctem ludo ducunt* ***). Praeterea adnotandum hoc est: ablativus, qui in ple-

*) *Ludos ducere* latine dici non potest pro *ludis* praeesse vel edere ludos, uti voluerunt Walch. et Walth. Alii *duxit* interpretati sunt *existimavit* et animo suppleri volunt habendos esse. Alii: die spiele mitten hindurch führen zwischen cett., quod quid sit, non intelligo. Peerlkamp. et Roth. coni. *media — duxit,* scilicet *esse debere.* Lipsius *moderationis atque abund. duxit,* quod refutare longum est. In redarguendis interpretum opinionibus egregiam operam posuerunt Rothius et Foss.

**) Seneca de brev. vit. 8 *assecutus ille quos optaverat fasces, cupit ponere et subinde dicit: quando hic annus praeteribit? Facit ille ludos, quorum sortem sibi obtingere magno aestimavit, quando, inquit, istos effugiam!*

***) Eodem sensu *trahere* dicunt *noctem sermone, conviviis.* Ann. III, 37. XIII, 20. Ovid. Metam. XII, 159. Virg. Aen. I, 752.

risque huiusmodi exemplis adiicitur, non ubique actionem aliquam denotat, cuius ope tempus *ducatur* sive *traducatur*, veluti *ludo, sermonibus, studiis*, sed quam rationem per id tempus ineamus, ablativo tanquam adverbiali casu significatur, veluti loco modo allato Cicero: *munus summa modestia et abstinentia traducendum* dicit. Idem ad fam. IV, 6 *ut ante commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum sit hoc tempus, quod est ad unius voluntatem accommodandum. Magnae est deliberationis, quae ratio sit ineunda nobis, non agendi, sed illius concessu requiescendi.* Liv. XXIV, 38 *utinam reliquum tempus nec patiendo infanda nec faciendo traduci possit.* Liv. XXXIV, 51 *inquieto ingenio gentis nec comitia, nec conventum, nec concilium ullum non per seditionem ac tumultum traducentis.* IX, 32 *diem primum consultando traduxerunt.* Phaedrus IV, 5 *vitam trahere luxu.* Plin. ep. III, 1 *nemini hoc longum est, tanta comitate convivium trahitur.* Hinc pro ablativo saepe adiectivum aut adverbium ponitur *).

Ex his, quae adhuc disputavimus, *ludos et inania honoris — duxit* licebit ita explicare: tempus et munus illud, quo ludi et inania honoris procuranda erant, ita duxit sive traduxit, ut cett. Sed ante videamus, quid sit *medio rationis atque abundantia*, quibus verbis satis apertum est eam rationem indicari, quam inierit Agricola in illo, ut cum Cicerone loquar, munere traducendo.

Iam *medio* breviter dictum est pro: medium quiddam tenendo. Ipsis enim Latinis, quibus admodum trita erat dictio *medium* pro media via, non obscura erat haec brevitas **). *Medio* autem *rationis atque abundantiae* aperte dictum est pro: *medio inter rationem atque abundantiam.* Satis usitatum hoc est apud poetas: Virg. Aen. IV, 184 *volat coeli medio terraeque.* Ovid. Met. VI, 409 *qui locus est medius iuguli summique lacerti.* V, 644 *et medium caeli terraeque per aëra vexit.* V, 564 *medius fratrisque sui*

*) Cic. Cato mai. 23 *nonne melius fuisset, otiosam aetatem et quietam sine ullo labore et contentione traducere.* Horat. epod. 17, 63 *ingrata misero vita ducenda est.* V. Aen. II, 92 *afflictus vitam trahebam.* Georg. III, 97 *frustraque laborem ingratum trahit.* Lucret. II, 66 *vitam dulcem ducere.* Cic. Tusc. III, 11 *vitam tranquille placideque traducere.*

**) Liv. XXVI, 21, 4 *medium visum, ut ovans urbem iniret.* II, 30 *medium maxime consilium Virginii habebatur.* Plin. ep. IV, 9 *in hac difficultate placuit medium quiddam tenere.* Ovid. Met. II, 137 *medio tutissimus ibis.* Liv. IV, 43 fin. *remittendo de summa quisque iuris mediis copularent concordiam.* VIII, 13 *is status erat, ut neque bellum neque pacem pati possent, mediis consiliis standum videbatur.* III, 13 *tribuni medio decreto ius auxilii sui expediunt.* XXXI, 13, 5 *decreverunt, quod medium inter aequum et utile erat.* X, 15, 10 *media oratione studia hominum sedavit.* IX, 3, 11 *quid si media via consilii caperetur, ut* cett.

moestaeque sororis, quod simillimum est dicto illi Horatiano *idem pacis eras mediusque belli* Od. II, 19, 28. Atque huc pertinet Caes. b. g. I, 34 *uti aliquem locum medium utriusque colloquio diceret.* Neque dubito huc referre Ann. I, 64 *nam medio montium et paludum porrigebatur planities, quae tenuem aciem pateretur.* Non recte enim Fossius ait, illam esse planitiem cinctam montibus et paludibus; dicit Tacitus, tenuem solidae terrae limitem sese porrexisse inter montes, quos Arminius obsessas tenebat, et uliginosos locos, in quibus Romani laborabant et castra metari nitebantur.

Abundantia est largus et copiosus sumtus in ludis magnifice apparandis. *Ratio* autem quid sit, ex veterum de moribus doctrina desumendum. Erat enim moderati et constantis hominis, in omnibus rebus modum quendam servare. Cic. de off. I, 5, 17 *ordo autem et constantia et moderatio et ea quae his sunt similia versantur in eo genere, ad quod est adhibenda actio quaedam, non solum mentis agitatio. His enim rebus, quae tractantur in vita, modum quendam et ordinem adhibentes*, honestatem et decus conservabimus *). *Modus* autem *et ordo omnium quae fiunt quaeque dicuntur* (ibid. §. 14) in eum tantum cadit hominem, qui *rationem* **) (*plan, regel, grundsatz*) adhibet, ad quam omnia referat et dirigat. Cum maxime autem talis *ratio* tenenda est in liberalitate et eroganda pecunia, *cuius non quaerendae solum ratio est, sed etiam collocandae* (Cic. de off. II, 12, 43). In quo et *ad facultates accommodanda est largitio* (de off. II. §. 55. 58. 60) et cavendum, ne pecunia profundatur in res inanes, veluti *gladiatoriis muneribus, ludorum venationumque apparatu — cum praesertim nec necessitati subveniatur, nec dignitas augeatur, ipsaque delectatio multitudinis sit ad breve exiguumque tempus* (de off. II. c. 16) aliisque sumtibus, *qui proficisci ab ostentatione magis quam a voluntate videantur*, de off. I, 14, 44 ***). In his igitur quia *ratio* cernitur in cautione et di-

*) Hor. sat. I, 1, 106 *est modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

**) Cic. de off. II, 23, 83 *eaque est summa ratio et sapientia boni civis* cett. Ann. XV, 62 *rogitans, ubi praecepta sapientiae, ubi per tot annos meditata ratio adversus imminentia.* Saepe *ratio* (plan, berechnung) opponitur *casui* Hist. II, 25. 80. — *multum rationis ac sollertiae* Germ. 30. *tanta ratione curaque* Agric. 20. *ratio fuit, hostem postero die profligare.* Plin. paneg. 38 *augeo principis munus, quum ostendo, liberalitati eius inesse rationem. Ambitio enim et iactantia et quidvis potius quam liberalitas existimanda est, cui ratio non constat.* Plin. Ep. II, 4 *Liberalitas temperanda in aliis, in te vero facile ratio constabit, etiamsi modum excesserit.* In artibus et scientia, quid significet *ratio*, satis notum. Uti igitur in scribendo et dicendo *ad rationem et artem* omnia dirigere possumus, ita mores et vitam ad *rationem et praecepta* conformare.

***) Cf. etiam off. II, 18, 63 *hanc ergo consuetudinem benignitatis largitioni munerum longe antepono. Haec est gravium hominum, illa quasi assentatorum populi, multitudinis levitatem voluptate quasi titillantium.*

ligentia, quae pecuniam in tali re profundere indignum putat, propterea illa restrictior diligentia, quae a ratione proficiscitur, ipsa dicitur *ratio:* genauigkeit aus grundsatz, philosophische nüchternheit, philosophische strenge *). Inter hanc igitur rationem et abundantiam Agricola tenuit medium, ut Cicero praecepit: *in his autem ipsis* (largitionibus) *mediocritatis regula optima est* (de off. II, 17, 59) *largitio et ad facultates accommodanda et mediocritate moderanda est* (§. 60. cf. etiam I. 39, 140). Atque hoc modo *moderatus fuit cum specie quadam liberali* (de off. I c. 27. fin. c. 39, 141) *vitata suspicione avaritiae* (off. II c. 17). C. F. Hermannus *rationem* intelligit cautionem quandam, qua Nerone imperatore Agricola caverit, ne munificentia et largitate auram popularem captare videretur. Idem bene disputat contra eos, qui *rationem* interpretantur: knickernde berechnung. Ita enim vocabulum a genuina significatione ad eam detorqueri, quam ne Tacitum quidem adeo nudam et ancipitem positurum fuisse arbitratur, ut sit cauta et sollicita ratiocinatio, quali avarus a magnis sumptibus faciendis deterreatur. Mihi neque parsimonia avari et tenacis, neque cautio metuentis, sed moderatio philosophi intelligenda videtur.

Additur: *uti longe a luxuria, ita famae propior.* Mireris interpretes a vera horum verborum sententia prorsus aberrasse. Omnes enim his verbis, quam rationem Agricola in edendis ludis tenuerit, significari putant, neque multum differt, quod Waltherus statuit „spectare illa ad Agricolae animum.“ Mitto equidem, Tacitum ita videri bis idem explicare, nam dixerat modo, mediam quandam rationem eum iniisse. Graviora haec sunt. *Propior famae* interpretantur: propensus ad famam, inserviens famae **). Ergo *longe a luxuria* debebunt explicare: abhorrens animo a luxuria. At uti hoc Latini dicunt *procul a luxuria* (c. 9 *procul ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione adversus procuratores*), ita *propior famae* nunquam est animo propensus ad famam. Ubique *propior alicui rei* est prope accedens ad aliquam rem, vel ad speciem et similitudinem alicuius rei accedens ***). Deinde

*) Admodum simile loco nostro est dictum quoddam apud Senec. ad Helvid. c. 16 *Nam et infinito dolore, cum aliquem ex carissimis amiseris, affici stulta indulgentia est, et nullo, inhumana duritia. Optimum inter pietatem et rationem temperamentum est, et sentire desiderium et opprimere.* Nam et de tali *temperamento* nostro quoque loco agitur, et quod *inhumana duritas* deinceps *ratio* dicitur, id cum maxime lucem affundit, qualis sit *ratio* nostro loco.

**) „propior famae parandae studio“ Walth. „mehr dem rufe befreundet.“ Walch. „dem rufe sich mehr hinneigend.“ „doch auch nicht ohne rücksicht auf seinen ruf.“ „famae pronior.“

***) Ann. I, 24 *vultu quamquam moestitiam imitarentur, contumaciae propiores,* i. e. prope aberant a contumacia. III, 30 *diversus a veterum instituto — copiaque et affluentia luxu propior.* VI, 42 *paucorum dominatio regiae libidini propior est.* I, 34

ut — *ita* saepissime quidem apud Tacitum et Livium est *zwar* — *doch* (cf. p. 97), at non ideo etiam *uti* — *ita* eandem vim habere existimandum est. Magna enim in eiusmodi rebus cautio adhibenda est. Quid multa? Tu mecum potius exempla confer, qualia sunt Hist. II, 99 *quantum hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior.* Ann. I, 68 *quanto inopina, tanto maiora.* III, 46 *quanto pecunia dites et voluptatibus opulentos, tanto magis imbelles Aeduos.* IV, 23 *ut quis fortunae inops, moribus turbidus, promptius ruebant.* VI, 45 *tanto acceptius in vulgum, quanto modicus privatis aedificationibus.* XII, 11 *quanto ignara barbaris, tanto toleratiora capesseret.* Dicit igitur Tacitus: quo magis a luxuria remotus erat, eo propior erat famae suae *), i. e. facere videbatur, quod famae suae consentaneum erat. Nihil aliud enim ab Agricola exspectatum erat. Qui quum homo moderatissimus et severorum morum haberetur, alienus a magnificentia et splendore in eiusmodi rebus ostentando, eo magis, quum mediam illam rationem iniret neque *praetoris inprimis splendidi* gloriolam affectaret, constare sibimet videbatur et ea agere, quae famae suae maxime consentanea essent. Fecisse igitur videbatur Agricola, quod Graeci dicunt ὁμοῖα ἑαυτῷ ποιεῖν, de qua dictione exposuit **Augustus Lobeck** ad Soph. Aiac. v. 1366 et ego ad Soph. Antig. T. II. p. 116.

Ergo: ludis et inanibus honoris ita defunctus est, ut medium quiddam teneret inter adstrictam moderationem et abundantiam, in quo quanto remotior erat a luxuria, tanto magis sibimet constare videbatur.

Reliquum est, ut de duabus rebus grammaticis pauca exponam, ac primum quidem de ablativis absolutis participii perfecti passivi, quorum usus apud Tacitum aliquantum differt a reliquis scriptoribus. Tum enim Tacitus illis ablativis ita utitur, ut non narratae rei caussas et antecessiones, sed pronuntiatae sententiae rationem adiiciat. C. 14 *Suetonius hinc Paullinus biennio prosperas res habuit subactis nationibus firmatisque praesidiis,*

Germanicus, quanto summae spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti. XI, 35 *Vitellius ignaro propior.* XIII, 34 *similitudine morum Parthis propiores.* XIII, 20 *omniaque temeritati et inscitiae propiora.* XVI, 9 *quamvis inermem, praevalidum tamen et irae quam timori propiorem.* XVI, 35 Thrasea moriturus *laetitiae propior.* Hist. II, 68 *omnia Bacchanalibus quam disciplinae et castris propiora.* III, 65 *non insultans et miseranti propior.* Germ. 30 *velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constantiae est.* Liv. XXVII, 17 *propior excusanti quam glorianti.* III, 35 *propior interdum petendo quam gerendo magistratui erat.*

*) Unum Broterium nunc video recte explicare: „quanto a luxuria remotior, tanto famae propior.“ A vulgata interpretatione discessit etiam Herzog progr. 1843. p. 21 qui hoc modo explicat: „er stieg in der öffentlichen meinung um so höher, je weiter er sich von übermässigem, prunkenden aufwande entfernt gehalten hatte.“

quibus non explicatur, quibus de caussis Suetonius prosperas res habuerit, sed cur prosperas habuisse iudicetur, *nam subactae sunt nationes firmataque praesidia.* Ann. IV, 55 *auctamque adhuc Lydorum opulentiam missis in Graeciam populis,* i. e. nam missi sunt in Graeciam populi. Hist. I, 63 *omni comitate exceptos subitus pavor terruit, raptis derepente armis ad caedem innoxiae civitatis,* i. e. nam derepente arma rapuerunt. Ann. VI, 49 *Papinius repentinum et deformem exitum delegit iacto in praeceps corpore.* Agr. 22 *Tertius annus novas gentes aperuit, vastatis usque ad Tanaum nationibus.* Alibi ablativi pertinent illi quidem ad ipsam rem gestam, sed ita, ut non res ante acta, sed quae, dum illa fit, facta est, ablativis addatur. Ann. XII, 17 *navium quasdam circumvenere Britanni, praefecto cohortis et plerisque centurionum interfectis* (wobei — getödtet wurden). XIII, 39 *capta escensu munimenta omnesque puberes trucidati, nullo amisso, paucis admodum vulneratis.* Hist. I, 63 *ut universae civitates cum magistratibus et principibus* [vulgo scribitur *precibus*] *occurrerent, stratis per vias feminis puerisque.* I, 20 *appellari singulos iussit decuma parte liberalitatis apud quemque eorum relicta.* Agr. 2 *expulsis professoribus.* c. 9 *comitante opinione.* c. 22 *irritis hostibus eoque desperantibus.* c. 43 *nullo credente.* c. 14 *Didius parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis.* c. 23 *omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus.* Liv. XXIII, 24 *paucis a tanto numero captis.* V, 33 *adventante fatali urbi clade.* IV, 10 *vix nuntiis caedis relictis.*

Non huc referre debebat Walchius Ann. IV, 34 *quod editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium Romanorum ultimum dixisset.* Hoc enim est *in annalibus editis.* Minus etiam huc trahendi erant Ann. XVI, 21 *ad postremum Nero virtutem ipsam exscindere cupivit interfecto Thrasea.* Germ. 39 *caesoque publice homine celebrant barbari ritus horrenda primordia.* In his enim ablativi non sunt absoluti, notandusque est unus participii usus, qui gerundivi vices sustinere videtur, ut Ann. I, 27 *adiiciendos ex duce metus sublatis seditionis auctoribus.* Nam *caesus homo, sublati auctores* in his nil est nisi *caedes* hominis.

Participii quia mentio incidit, notandus erit usus quidam, qui quum plane legitimus sit nihilque miri habeat, nostris tamen hominibus novus videtur. Nimirum nostra lingua non habemus participium aoristi, Tacitus autem, quia perfectum et activi et passivi simul aoristus est praeteriti, participio quoque huius aoristi utitur, ubi actioni praeteritae aliam adiuncturus est, quae eodem tempore olim gesta est. Quod in deponentibus verbis hoc maxime fit, non cogitandum est horum potissimum id proprium esse. C. 19 *a se*

suisque orsus, primum domum suam coercuit. c. 25 *aestate — amplexus civitates trans Bodotriam sitas — portus classe exploravit.* c. 29 *quae pluribus locis praedata magnum et incertum terrorem faceret.* Hist. IV, 34 *Ex quibus unus, egregium facinus ausus, clara voce gesta patefecit, confossus illico a Germanis.* Agr. c. 29 *domestico vulnere ictus anno ante natum filium amisit.* c. 22 *hostes quamquam conflictatum saevis tempestatibus exercitum lacessere non ausi,* quod male Walchius explicat *conflictantem.* Tacitus dicit: saepe conflictatus est exercitus saevis tempestatibus, neque vero, si conflictaretur, unquam eum lacessere ausi sunt. Suet. Aug. 17 *turbatus nuntiis de seditione militum, repetiit Italiam tempestate in traiectu bis conflictatus.* c. 33 *militem accendendum adhuc ratus, ita disseruit.* Ann. I, 40 *filium complexus, ut abiret, perpulit.* Sed talia quidem apud Tacitum et poetas ubique obvia *). Nec differt quidquam, si tale participium cum praesente historico coniunctum est. Ann. XV, 69 *nihil demoratus exsurgit.* I, 63. VI, 21. Hist. I, 31. Ne autem, qui pro participio praesentis illud dictum aiunt, ad exempla provocent, in quibus utrumque participium iunctum est, veluti Germ. 10 *sacerdos civitatis precatus deos coelumque suspiciens ter singulos tollit,* id quidem vere est: *postquam precatus est.* Ann. VI, 50 *is velut propria ad negotia digrediens et per speciem officii manum complexus pulsum venarum attigit* est: *velut digrediens amplexus est et attigit.* Diversa participia per *que* atque *et* coniuncta etiam alibi apud Tacitum deprehenduntur. Cf. c. 28 *cohors Usipiorum per Germaniam conscripta et in Britanniam transmissa.* Ann. I, 29 *Drusus orto die et vocata concione.* c. 55 *initio veris et repentino excursu.* c. 63 *missae subsidiariae cohortes et fugientium agmine impulsae.*

C. 20 *nihil interim apud hostes quietum pati, quominus subitis excursibus popularetur.* Misere nugatur Walchius. Roth., qui interpretatur: *sed — populatus est,* apte et vere reddidit sententiam, rationem rei non explicavit. Via et ratione de his rebus disseruit Haase ad Reisigii schol. lat. p. 571 sq. 575 sq., a quo in eo tantum dissentio, quod duplicem esse particulam *quin* negat, nam *nemo est quin* (= *qui non*) et *non dubito quin* plane diversa existimanda sunt. Iam vero Tacitum assero praeter vulgatam particulam *quo minus,* in qua videtur *quo* ablativus esse, aliam habere particulam *quominus,* compositam ex particula illa *quo,* quae eadem

*) Walchius p. 353 et Selling. p. 20 haec congesserunt: Ann. II, 28. 38. 48. IV, 57. VI, 24. 46. XI, 35. XVI, 31. Hist. I, 34. II, 80. 96. III, 77. IV, 9. V, 13. 15. 19. Hor. Sat. I, 6, 56. II, 3, 35. Caes. b. g. VII, 11. I, 20.

in *quin* latet et alibi in dictione *non quo* comparet *). Commune igitur Tacito cum reliquis est, ut dicat: *nemo est quin*; *non dubito quin; non desisto quin; impedio, quo minus; non impedio quo minus* et *non impedio, quin* **).

Proprium autem et peculiare Tacito est, ut pro illo *non desisto quin* etiam dicat *non desisto quominus*. Ne quis contra moneat, Ciceronem quoque aliosque saepe dicere *non recuso quominus*, intelligendum erit, in his quidem exemplis (apud Haasium p. 572), *non recuso* idem esse quod *non impedio*. Num Tacitus etiam pro *non dubito quin hoc verum sit* dicat *non dubito quominus verum sit*, exemplis certe evinci nequit. Nam quod Hist. II, 45 dicit, *nec apud duces dubitatum, quominus pacem concederent*, id non ad iudicium pertinet, sed ad agendum. Sed videamus reliqua. Exemplo illi ex c. 20 maxime similis est c. 27. *Britanni nihil ex arrogantia remittere, quominus iuventutem armarent.* His plane respondent graeca haec: Soph. Elect. 104 *ἀλλ' οὐ μὲν δὴ λήξω θρήνων στυγερῶν τε γόων, μὴ οὐ πρὸ θυρῶν ἠχὼ πᾶσι προφωνεῖν.* v. 132 *οὐδ' ἐθέλω προλιπεῖν τόδε, μὴ οὐ τὸν ἐμὸν στοναχεῖν πατέρα* i. e. Non ego unquam desistam querelis, ut cogitari possit, me unquam patrem non deploraturam. Sic c. 20: non ille ullum tempus quietum passus est apud hostes, ut cogitare liceat, eum non excursibus populatum illos esse. Nos dicimus: sed populatus est.

His quatuor exemplis hoc proprium est, ut prior enuntiati pars plenam habeat sententiam, cui alterum quid additum est, quod consequens est ***): maior est numerus eorum, in quibus prior pars non absoluta est, sed unum habet Verbum, cuius obiectum ex addita consequentia repetendum est. Veluti quum Graeci dicunt Oed. Col. 565 *ξένον ἂν οὐδέν' ὄνθ', ὥσπερ σὺ νῦν, ὑπεκτραποίμην μὴ οὐ συνεκσώζειν.* Oed. Tyr. 289 *μὴ παρῇς τὸ μὴ οὐ φράσαι.* v. 1091 *ἀπείρων οὐκ ἔσει — μὴ οὐ σέ γε αὔξειν.* Xenoph. Cyrop. I, 4, 2 *ὁ Ἀστυάγης, ὅ τι δέοιτο αὐτοῦ ὁ Κῦρος, οὐδὲν ἐδύνατο ἀντέχειν μὴ οὐ*

*) Quia Latini tantum *non quo*, neque vero *quo* dicunt, inde explicandum puto, quod illi nunquam dicunt *dubito quin*, sed tantum *non dubito quin* cett.

**) Haec duo re nihil differunt, cogitando autem seiungi possunt. *Quo minus* si dico, effectum addo, si *quin*, consequentiam. *Non impedivi quo minus exiret* est: non effeci, ut non exiret; *quin exiret* est: non ego eum impedivi, ut cogitari possit eum non exiisse (*μὴ οὐ*).

***) Idem cadit in hosce locos: Cic. ad Att. VIII, 6 *nullo modo posse video stare istum diutius, quin vel nobis languentibus per se concidat.* Sall. Cat. 39, 4 *neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset, quin defessis et exsanguibus qui plus posset imperium atque libertatem extorqueret.* Ann. XII, 32 *Silurum gens non atrocitate, non clementia mutabatur, quin bellum exerceret.* Suet. Nero c. 45 *nihil contumeliarum defuit, quin subiret.* Hoc in loco dici etiam poterat *nihil contumeliarum fuit, quin subiret.* Nempe tum *quin* foret *quam non.* Vides igitur duplex *quin* statuendum esse, atque alterum equidem *quĭn*, alterum *quīn* pronunciatum esse suspicor.

χαρίζεσθαι. Sic Tac. Hist. II, 40 *hosti non omissuro, quominus expeditus incompositos — aggrederetur.* Ann. I, 21 *nihil reliqui faciunt, quominus invidiam — permoverent.* V, 5 *nec ultra deliberatum, quominus — testarentur.* XIII, 14 *neque principis auribus abstinere, quominus testaretur.* XIV, 39 *nec defuit Polycletus, quominus terribilis incederet.* In omnibus his exemplis Cicero *quin* dixisset, ut ipse Tacitus Ann. III, 27 *ne bello quidem Italico omissum, quin multa et diversa sciscerentur.*

IV.

ROMANORUM IN BRITANNIAM EXPEDITIONES.

A. U. Sub finem aestatis anni 699 **Iulius Caesar** primus
699 omnium Romanorum cum exercitu Britanniam est in-
55. gressus. Profectus ex terra Morinorum, unde brevissimus est in Britanniam transiectus, quum primis cum navibus loco ad egrediendum nequaquam idoneo insulam attigisset, paullo post aperto ac plano littore *) naves constituit. Britanni omni ope Romanos navibus egredi prohibebant, mox praelio superati legationem ad Caesarem de pace miserunt. Quarto die, postquam advenit, subito exorta tempestate naves Romanorum adflictatae aut fractae sunt. Quo cognito Britanni rursus coniuratione facta Romanos adorti sunt. Caesar profligatis hostibus diffidens infirmis navibus appropinquante aequinoctio satius putavit reverti, exercitumque in Belgas in hiberna duxit, quo duae omnino civitates ex Britannia obsides miserunt, reliquae neglexerunt. Caesari supplicatio dierum XX a senatu decreta est. Caes. b. g. IV, 20—36. 38. Dio Cass. XXXIX, 50—52.

Quaesitum est, quo die Caesar in Britanniam advenerit; de qua re ex hisce indiciis coniectura facienda erit. In Britanniam Caesar proficisci contendit *exigua parte aestatis reliqua* (IV, 20). *Post diem quartum, quam est in Britanniam ventum* (IV, 28), naves, quae equites sustulerant, Britanniae appropinquarunt, sed coorta tempestate disiectae, nocte continentem petierunt. *Eadem nocte accidit, ut esset plenilunium* (c. 29). — *Propinqua die aequinoctii* naves solvit rediturus (c. 36).

Aequinoctium autumnale anni 55 ante Chr. incidit in diem XXIV Septembr. Cui quod proximum fuit plenilunium ex com-

*) Mannertus Caesarem prope eum locum escendisse dicit, ubi nunc sita est urbs *Dover*. Alii contra in portu Rutupiae eum navibus egressum suspicantur, quam urbem hodie *Richborough* nominant prope *Sandwich* in Cantio sitam.

putatione amici astrologiae peritissimi evenit nocte, quae insecuta est diem IX Septembr. Hoc igitur die equites illi Britanniam attigerunt. Quod cum *post diem quartum*, quam est in Britanniam ventum, contigerit, consequitur, Caesarem die VI Septembr. in Britanniam naves appulisse *). Propinquo die aequinoctii quum rediisse dicatur, si forte tertio ante die rediit, existimandus erit sedecim dies in Britannia versatus esse. Hora quoque, qua escendit, definiri potest ex c. 23. Nam quum *ad horam nonam* in ancoris exspectasset, dum reliquae naves convenirent, ventum et aestum uno tempore nactus secundum, sublatis ancoris circiter milia passuum VII progressus, aperto ac plano littore naves constituit. Hora igitur pomeridiana fere quinta navibus egressus est. Atque cum his bene congruunt, quae alia computatione efficiuntur. Scilicet in portubus illius regionis (*Dover — Nord Foreland*) illo ante plenilunium die, si medium numerum sequimur, tempus, quo maxime aestus intumuit (die grösste fluthöhe), incidit in horam 8° 34′. Itaque si Caesar circa tertiam ante horam ancoras sustulit, paullo post horam fere quintam id accidisse existimandum erit.

700. 54. iterum transgressus Caesar ex portu Itio **) cum quinque legionibus et duobus milibus equitum ad eandem partem insulae, atque antea, appulit. Multitudine navium perterriti hostes a littore discesserunt. Commisso deinceps proelio fugati sunt ***), fugientes autem Caesar destitit persequi accepto nuntio, naves exorta tempestate afflictas esse atque in littore

*) Anglorum scriptores die XXVI Augusti Caesarem escendisse aiunt, veluti Iohn Horsley in *Britannia Romana, or the Roman antiquities of Britain* p. 9. C. Wellbeloved in *Eburacum, or York under the Romans* (York 1842) p. 3, secuti illi quidem auctorem satis locupletem, E. Halley, qui primus de ea re disseruit in *A discourse tending to prove, at what Time and Place Iulius Cesar made his first descent upon Britain*, quae commentatio inserta est in *philosophical Transact.* anni 1693 no 193. Verum meminisse illi debebant, ea aetate, qua Halley illa conscripsit, apud suos homines nondum introductum fuisse calendarium Gregorianum emendatum, ideoque dies ab Halleio indicatos ad hodierni calendarii rationes revocandos esse. Iam dies 30 Augusti, cuius nocte insecuta ex Halleii computatione plenilunium fuit, idem est, quem nos nunc dicimus 9 Septemb. Astronomica igitur Halleii ratio plane congruit cum nostra, nisi quod ab Halleio amicus noster in eo discrepat, quod in hac nostra quaestione nullius est momenti, quod hic ineunte nocte, Halleius sex fere horis serius (30 *Aug. after mednight or* 31 *in the morning before day*) plenilunium coepisse statuit. At philologica ratione Halley peccavit, quod Caesarem die 26 *Aug.* escendisse asserit, quum dicere deberet diem 27 *Aug.* Nam ex Romanorum computandi ratione dies quartus post XXVI non est dies XXX, sed XXIX, quod satis constat inter philologos et iureconsultos. Notandum ceterum, quod de numeris ordinalibus valet, id non deberi transferri in numeros cardinales, neque *quadriennio post* sive *quatuor annis post* idem esse quod *quarto post anno.*

**) Portum Itium plerique aiunt fuisse prope urbem *Boulogne*, quae in tabulis Peuting. *Gessoriacum*, postea *Bononia* appellata est. Alii portum prope Caletum (*Calais*) fuisse suspicantur.

***) Polyaenus strateg. VIII, 23, 5 Britannos narrat maxime perterrefactos esse elephanto armato, quem Caesar secum habuerit.

eiectas. Subductis navibus et cum castris una munitione coniunctis denuo progressus, transiit flumen Tamesin (*Themse*), et in fines **Cassivellauni**, cui summa imperii bellique administrandi communi Britannorum consilio permissa erat, exercitum duxit. Trinobantibus, firmissima earum regionum civitate, qui missis legatis ab eo petiverant, ut Mandubratium, regis sui a Cassivellauno interfecti filium, ab illius iniuria defenderet, in fidem receptis itemque Cenimagnis, Segontiacis, Ancalitibus, Bibrocis, Cassis in deditionem acceptis, Cassivellauni oppidum natura atque opere munitum expugnavit. Interea Cassivellaunus quatuor reges in regionibus Cantii, Cingetorigem, Carvilium, Taximagulum, Segonactem instigaverat, ut castra navalia Romanorum oppugnarent. Quod quum male his cessisset, Cassivellaunus legatos de deditione ad Caesarem mittit. Hic obsides ei imperat, et quid in annos singulos vectigalis populo Romano Britanni penderent, constituit, interdixitque Cassivellauno, ne Mandubratio neve Trinobantibus noceret. Obsidibus acceptis exercitum ad mare reduxit et, quia suberat aequinoctium, ancoras solvit et in Galliam rediit*). Caes. b. g. V, 5—23. Dio Cass. XL, 1—4. Plut. Caes. 23. Liv. ep. 105.

Ex his Caesar *potest videri ostendisse posteris Britanniam non tradidisse* (Agr. c. 13). Adulantur igitur seriores scriptores, veluti Velleius II, 47, qui *bis penetratam* dicit *Britanniam*; Florus III, 10, qui Caesarem *Britannos Caledonias in silvas secutum* narrat.

**) Quo anni tempore Caesar in Britannia fuerit, ex quibusdam indiciis, quae inveniuntur in Cic. epistolis, quodammodo potest coniectari. Ad Atticum IV, 15 Cicero a. d. VI Kal. Sextil. scribit: *ex Quinti fratris litteris suspicor, iam eum esse in Britannia.* Quae litterae si forte vicesimo ante die scriptae sunt, Nonis fere Quinctilibus sese accinxerunt ad naves conscendendas. Primae, quae ex Britannia datae sunt litterae, significari videntur epistola ad Quint. II, 16 *o iucundas mihi tuas de Britannia litteras! timebam Oceanum, timebam littus insulae.* Hoc Marcus scribit mense Sextili. Alius epistolae, quam accepit ludorum diebus (circa Nonas Sept.), mentio iniicitur ad Quint. III, 1, 3 *de Britannicis rebus cognovi ex tuis litteris, nihil esse, nec quod metuamus, nec quod gaudeamus.* Hanc epistolam excepit alia, quam Quintus ex Britannia scripsit *a. d. IV. Idus Sextil. reddita* Marco *Idib. Septembr.* Deinde *tabellarii* ex Britannia *venerunt a. d. XI. Kal. Octobr. vicesimo die*, sc. postquam datae sunt (ad Quint. III, 1, 5). Ad eundem fratrem (l. l. c. 7 §. 25) scribit *Caesar ex Britannia ad me Kal. Septembr. dedit litteras, quas ego accepi, a. d. IV. Kal. Octobr. satis commodas de Britannicis rebus, quibus, ne admirer, quod a te nullas acceperim, scribit se sine te fuisse, quum ad mare accesserit.* Videtur h. l. Caesar id tempus significare, quo de afflictis navibus nuntio accepto ipse ad naves revertebatur (b. g. V, 11). Ad eosdem dies referendae videntur litterae eae, de quibus Cicero Kal. Octobr. ad Atticum (IV, 16, 13) scribit: *ex fratris litteris incredibilia quaedam de Caesaris in me amore cognovi, eaque sunt ipsius Caesaris uberrimis litteris confirmata. Britannici belli exitus exspectatur. Constat enim, aditus insulae munitos mirificis molibus. Etiam illud iam cognitum est, neque argenti scripulum esse ullum in illa insula, neque ullam spem praedae nisi ex mancipiis.* Ad Atticum denique IV, 17 scribit Cicero: *Ab Quinto fratre et a Caesare accepi a. d. IX. Kal. Novembr. litteras con-*

Post hoc tempus longa Britanniae oblivio, **Augustus** noluit Britanniam armis oppugnare quum aliis de causis tum quia, ut Strabo refert II, p. 115. IV p. 200, quod impensae in domanda ea et retinenda faciendum erat, non compensari poterat utilitate, quae ex eius possessione perciperetur. Itaque satius putavit amicitiis et foederibus cum regulis illius terrae ineundis eam in fidem ac deditionem recipere. Atque egregie haec eius consilia cesserunt. Complures enim reges legationibus eius amicitiam appetiverunt et dona in capitolio ponenda obtulerunt, totamque insulam, si quidem Straboni fides habenda est, ei ita conciliarunt, ut quasi subdita esset (*οἰκείαν σχεδόν τι παρεσκεύασαν τοῖς Ῥωμαίοις ὅλην τὴν νῆσον* IV. p. 200). Ad hos Britanniae regulos referenda videntur Suetonii verba Octav. c. 21 *ut quorundam barbarorum principes in aede Martis ultoris iurare coegerit, mansuros se in fide ac pace, quam peterent.* Talia ut consequeretur, Augustus plus semel rumorem disperserat, Britanniam se bello petiturum esse. Nam et anno 720, ut refert Dio Cassius lib. XLIX, 38, expeditionem paravit in illam terram, iamque in Galliam progressus erat, et anno 727 (Dio Cass. LIII, 22) *ἐξώρμησε μὲν, ὡς καὶ ἐς τὴν Βρεττανίαν στρατεύσων, ἐς δὲ δὴ τὰς Γαλατίας ἐλθὼν ἐνταῦθα διέτριψεν· ἐκεῖνοί τε γὰρ ἐπικηρυκεύσασθαί οἱ ἐδόκουν, καὶ τὰ τούτων ἀκατάστατα ἔτι ἦν.* Itaque non modo Horatius I, 21, 15. 35, 29 eius in Britanniam expeditiones indicit, adeoque III, 5, 3 *adiectos Britannos imperio* iactat, sed etiam Livius fragmento aliquo libri CXXXV, quod conservatum est apud Apponium monachum interpretatione cantici canticorum, Romae 1843 typis exscripta, rhetorica adulatione Augustum non ex Gallia, sed e Britannia red-

fecta Britannia, obsidibus acceptis, nulla praeda, accepta tamen pecunia, datas a littoribus Britanniae, proximo a. d. VI. Kal. Octobr. Exercitum ex Britannia reportabant. Videtur igitur Caesar ineunte Quinctili in Britanniam venisse et sub finem Septembris rediisse. Hi Romanorum fastorum menses et dies quomodo congruant cum nostris, difficilis quaestio est et, ut mihi videtur, inexplicabilis. Nam dies fastorum, quibus tunc Romani utebantur, anno nondum a Iulio Caesare ordinato, conatus quidem est *de la Nauze* ad nostri calendarii rationes revocare in commentatione: *le calendrier Romain depuis les décemvirs jusque à la correction de Iules César*, quae legitur in *Mémoires de l'Académie des Inscriptions* Tom. XXVI, cui aliquatenus adstipulatur *Idelerus* in chronolog. T. II. p. 109 sq. at in hac Caesaris expeditione tantum abest, ut Nauzii ratio constet, ut eius veritas hac quidem re magnopere in dubium vocetur. Ex illius enim computatione Kalendae Octobres anni 700 incidunt in diem IV. Septemb. 54 ante Chr. Igitur a. d. VI Kal. Octob. quo Caesar videtur rediisse, secundum Nauzium erit dies XXX Augusti. At rediit Caesar, *quum aequinoctium subesset* (b. g. V, 23) quod incidit in XXV fere diem Septembris. Itaque quum viginti quinque dies interiecti sint, qui tandem illo die dici poterat *subesse aequinoctium?* Nec prioris anni diebus satis convenit Nauzii ratio. Nam dies VI Septembris anni 55, quo Caesarem in Britanniam appulisse demonstravimus, ex Nauzii ratione foret in fastis Romanis a. d. IX Kal. Octobres. Verum instantes Kalendas Octobres non puto Caesarem invitaturas fuisse ad expeditionem in Britanniam suscipiendam.

euntem facit *). Tacitus, alienus a rebus hoc modo augendis, Augustum testatur noluisse Britanniam expugnare (*consilium id D. Augustus vocabat* c. 13). Atque idem consilium dedit Tiberio, qui id pro *praecepto* habuit (c. 13). Ann. I, 11 *addideratque consilium coercendi intra terminos imperii*, quod quidem *mari Oceano aut amnibus longinquis septum* dicit Ann. I, 9. Dio Cass. LVI, 33 *γνώμην τε αὐτοῖς ἔδωκε, τοῖς τε παροῦσιν ἀρεσθῆναι καὶ μηδαμῶς ἐπὶ πλεῖον τὴν ἀρχὴν ἐπαυξῆσαι ἐθελῆσαι· δυςφύλακτόν τε γὰρ αὐτὴν ἔσεσθαι καὶ κινδυνεύσειν ἐκ τούτου καὶ τὰ ὄντα ἀπολέσαι ἔφη.*

792. Caius Caesar (Caligula), quum in Batavorum terra castra haberet, de intranda Britannia agitavit, at velox
39 mobili eius ingenio fuit poenitentia, totaque res est in ludibrium versa. Adminio, Cynobellini Britannorum regis filio, qui pulsus a patre cum exigua manu ad eum transfugerat, in deditionem recepto, quasi universa tradita insula, magnificas Romam litteras misit. Postremo, quasi perpetraturus bellum, directa acie in littora Oceani ac ballistis machinisque dispositis, nemine gnaro aut opinante, quidnam coepturus esset, repente, ut concheas legerent galeasque et sinus replerent, imperavit, spolia Oceani vocans capitolio palatioque debita. Sueton. Calig. 44. 46. Dio Cass. LIX, 21. 25.

796. **Claudius**, auctor iterati operis, Britanniam, non tentatam ab ullo post D. Iulium (Sueton. Claud. c. 17), expugnare
43 aggressus est, suadente Berico quodam per seditionem insula eiecto. Ac primum quidem A. Plautium legiones et Gallorum auxilia in Britanniam traiicere iussit. Is copiis in tres partes divisis, ne uno loco appellentes prohiberi littore possent, a vento retroactus, mox animo recepto ad insulam advectus est nemine prohibente. Britanni enim, qui eos non adventuros credidissent, non collegerant copias, neque manus cum Romanis conserere ausi, in paludes se ac silvas abdiderunt. Insecuto proelio Caratacum **), deinde Togodumnum, Cynobellini regis nuper mortui filios, devicit fugatisque Britannis partem Bodunorum, qui Catvellanis parebant, in fidem recepit, praesidioque ibi relicto ad fluvium quendam progressus est, quem cum Galli praeter exspectationem tranassent, paullulum hostes turbarunt. Deinde Flavium Vespasianum, se-

*) Apponii haec sunt verba: *Caesar Augustus in spectaculis, sicut Livius narrat, populo nunciat regressus a Britannia, totum orbem terrarum tam bello quam amicitiis Romano imperio subditum.* Advertit animos ad hoc Livii fragmentum Schneidewinus Diariis litt. Halens. a. 1843. Intellig. no. 61 p. 491 atque in Actis philologorum anni 1843. p. 40 sq.

**) *Καράτακος* hoc nomen scribitur apud Zonaram XI, 10 p. 565. D. *Καταράτακος* Dion. Cass. LX, 20. *Καρτάκης* Exc. Vat. Dionis c. 90, *Caratacus* Tac. Ann. XII, 33. 34. 36. 38. 40. Hist. III. 45. in optimo codice; vulgo ibi *Ca actacus.*

cundae legionis tum legatum, eiusque fratrem Sabinum eundem amnem traiicere iussit. Neque vero hostes fugae se dederunt, donec Cn. Hosidius Geta ita eos vicit, ut huic propterea honores triumphales dati sint. Inde se Britanni ad fluvium Tamesin, qua is in Oceanum se exonerat, receperunt. Traiecto flumine undique Britannos adorti magnam stragem ediderunt. Dio Cass. LX, 19—20.

Ad quam cladem ulciscendam quum Britanni acrius bellum pararent, Aulus Plautius EODEM ANNO ipsum **Claudium** arcessivit. Is magno apparatu (elephantis quoque adsumtis) ab Ostia Massiliam profectus, et inde pedestri itinere per Galliam Gessoriacum (Suet. Claud. 17) pervenit, unde comite Galba (Suet. Galb. 7) in Britanniam tramisit et ad copias apud Tamesin exspectantes perrexit. Fluvium transgressus cum barbaris signis collatis dimicavit, iisque prospero neque cruento praelio victis Camulodunum (*Colchester*), Cynobellini regiam, cepit et gentes aliquot aut deditione aut vi in suam potestatem redegit. Dio Cass. l. l. c. 21.

797. Sedecim tantum diebus in Britannia actis sexto, post-
quam Roma profectus erat, mense, C. Crispo et T. Statilio
44 Coss. Claudius Romam rediit et triumphavit maximo apparatu, Britannici cognomine iam ante reditum a senatu ornatus. Inter hostilia spolia navalem coronam fastigio Palatinae domus iuxta civicam fixit, traiecti et quasi domiti Oceani insigne. Dio Cass. l. l. c. 23. Sueton c. 17.

Primus legatus consularis, **A. Plautius**, quem cum Vespasiano in Britannia reliquit, feliciter coepta non minus prospere persequutus est. Vespasianus duas validissimas gentes superque viginti oppida et insulam Veotem in ditionem redegit partim A. Plautii, partim Claudii ipsius ductu (Suet. Vesp. 4). Una cum Vespasiano fuit Titus eius filius, qui patrem ab hostibus circumdatum et in extremo periculo versantem disiecta hostium corona servavit. Dio Cass. LX, 30.

800. A. Plautius ovans in urbem rediit (Suet. Claud. 24. Dio
LX, 30. Ann. XIII, 32.). Successit ei **Ostorius Scapula**
47 legatus pro praetore. Is coepta hieme Britanniam ingressus turbidas res invenit. Effusis in agrum sociorum hostibus et infida pace detrahere arma suspectis, cunctaque castris ad Aufonam*) et Sobrinam fluvios muniendis cohibere et premere parat. Quod primi Iceni abnuere, valida gens nec proeliis contusi, quia

*) Libri habent (Ann. XII, 31) *Antonam et Sabrinam*. Hanc quidem omnes consentiunt esse *the Severn*, *Antonam* autem, quam Camdenus *Aufonam* (Ritterus *Avonam*) scribi vult, intelligunt *the Upper Avon*, qui prope fontem fluvii *the Nen* profluit et in Sabrinam influit prope *Tewksbury*. Praepositionem, quae in libris deest, alii aliam addunt, vel *ad*, vel *cis*, vel *usque*.

societatem Romanam volentes accesserant, instigatisque circumiectis nationibus pugnam commiserunt, qua quamvis fortiter resistentes caesi sunt. Icenorum clade compositi sunt, qui bellum inter et pacem dubitabant. Ductus inde exercitus in Cangos ventumque haud procul mari, quod Hiberniam insulam spectat; at ortae apud Brigantes discordiae retraxere ducem, qui nova moliri nolebat nisi prioribus firmatis. Et Brigantes quidem paucis, qui arma coeptabant, interfectis, reliquis data venia, resederunt. Silurum autem gens non destitit ab armis atque castris premenda erat. Itaque in agros captivos Camulodunum colonia veteranorum deducta, subsidio adversus rebelles et imbuendis sociis ad officia legum. Inde itum in Siluras, super propriam ferociam Carataci viribus confisos, praestantissimi inter Britannos ducis, qui equos, viros, arma, opes haberet. Sed is, ut vi militum inferior, ita propter locorum peritiam fraude et artibus ad Romanos decipiendos instructus, astute bellum in Ordovicum terram intulit, hisque, qui pacem Romanam *) metuebant, additis sibique adiunctis pugna decertare novissimumque casum experiri decrevit. Sumpto ad proelium loco, iniquo Romanis, sibi opportuno, imminentibus arduis montibus, praeterfluente amne **) munitoque saxorum vallo. Atroci pugna, qua Caratacus huc illuc volitans gentium ductores circumivit, animos firmaturus spemque omnibus incitamentis accensurus, Romani insigni virtute victoriam reportarunt, captaque Carataci uxore et filia fratres quoque in deditionem accepti. Ipse Caratacus Cartismanduae, Brigantum reginae, fidem petivit, sed ab ea vinctus ac victoribus
804. traditus est nono post anno ***), quam bellum
in Britannia (a Claudio) coeptum, atque Romae cum
51 coniuge, filia et fratribus populo, ut ad insigne spectaculum vocato, ostentatus est. Ostorio Scapulae decernuntur triumphi insignia. Eius res adhuc prosperae, mox ambiguae fuerunt. Nam miseratione tanti regis ad ultionem exarsere hostes. Itaque cohortes, exstruendis apud Siluras praesidiis relictas, circumfun-

*) Cf. Agric. c. 20 *egregiam famam paci circumdedit, quae haud minus quam bellum timebatur.*

**) Amnis Temdi, hodie *Temd.* Locum pugnae fuisse apud Cornavios in comitatu Salopiensi, vulgo *Shropshire,* ubi amnis Colunus (*Clune*) in flumen Temdum influit, et antiquae memoriae collem adhuc ostentari, quem *Caer - Caradoc* vocant, tradit Camden. Idem adnotat, prope urbem Hereford in Herefordshire parochiaque *Dineder* exstare adhuc castellum Romanum, appellatum *Oysterhill,* ab Ostorio, ut videtur, locatum et nominatum.

***) Nescio, quid sibi velint interpretes, cum dicunt „immo septimo anno.“ Nusquam enim dicit Tacitus, quoto officii sui anno Ostorius Carataco potitus sit. Itaque quum Tacitus dicat, *nono* anno post coeptum (a. 796) bellum id evenisse, inde scilicet intelligendum est, quinto postquam Ostorius in Britanniam (a. 800) venit, illud accidisse, i. e. anno 804.

dunt, atque occidione tum copiae occubuissent, ni propere ex castellis proximis subventum foret. Crebra hinc proelia, ac praecipua erat Silurum pervicacia, quos accendebat vulgata imperatoris Romani vox, Silurum nomen penitus exstinguendum. Igitur duas cohortes intercepere et ceteras quoque nationes ad defectionem trahebant, cum taedio curarum fessus Ostorius concessit vita laetis hostibus, tanquam ducem haud spernendum, etsi non proelium at certe bellum absumpsisset. Ann. XII, 31 -- 39. Agric. c. 14 traditur, hoc temporis spatio quasdam civitates Cogidumno*) regi donatas esse.

805. Cognita legati morte Caesar **A. Didium** propraetorem suf-
52 fecit. Is propere vectus non tamen integras res invenit, adversa interim legionis pugna, cui Manlius Valens praeerat. Silures id damnum intulerant lateque hi persultabant, donec adcursu Didii pellerentur. Mox bello civili, quod inter Brigantes exarsit, implicati sunt Romani. Post captum Caratacum praecipuus scientia rei militaris erat Venutius, Cartismanduae, Brigantum reginae, coniux. Is cum reginam matrimonio teneret, fidus erat Romanis et eorum armis defensus. Mox orto discidio et statim bello civili conflato Venutius hostilia adversus Romanos induebat; Cartismandua, quae spreti mariti armigerum, Vellocatum, in matrimonium regnumque suscepit, Romanorum auxilio tueri se suamque potentiam studebat. Nam cum callidis artibus Venutii fratrem ac propinquos intercepisset suisque hominibus invisa esset, postquam capto (anno 804) Carataco instruxisse triumphum Claudii Caesaris **) videbatur, Venutius accitis auxiliis, simul ipsorum Brigantum defectione in extremum discrimen Cartismanduam adduxit. Petita igitur a Romanis praesidia. Cohortes ab his auxilio missae acre proelium fecere, cuius initium ambiguum, finis laetior fuit. Neque dispari eventu pugnatum a legione, cui Caesius Nasica praeerat. Variis his proeliis exemta quidem periculo regina; sed tamen regnum Venutio, bellum Romanis relictum, quod anno 823 nova vi exarsit. Ann. XII, 40 collat. Hist. III, 45. Ipse Didius senectute gravis per ministros agere et arcere hostem satis habebat (Ann. XII, 40).

*) Huius regis nomen inveniri videtur in inscriptione, anno 1723 in urbe *Sussex* reperta: [CO]GIDUBNI R[EGIS] -- IN BRIT. Cf. Gale in philosoph. transactions 1721. Octob. 31. Horsley Brit. Rom. No. 76. p. 192. 332. Orelli Inscr. no. 1338.

**) I. e. triumpho Claudii, quem octavo ante anno egerat, insigne decus postmodo addiderat tanquam supplementum splendoris et gloriae, illo triumpho partae. Significatur spectaculum illud, quo Caratacus cum coniuge et filia populo ostentatus est. In suam gloriam hoc vertisse Claudium, Tacitus, ubi de ea re dicit (Ann. XII, 36) significat his verbis: *dum suum decus extollit, addidit gloriam victo.* Recte igitur Waltherus ad hist. III, 45 Tacitum defendit, quem alii in computatione annorum errasse suspicati erant.

Hic igitur parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis, per quae fama aucti officii quaereretur. Agr. c. 14.

811. A. Didium excepit **Veranius**, qui modicis excursibus Si-
luras populatus, quominus ultra bellum proferret, morte
58 prohibitus est, nam intra annum est exstinctus. Ann.
XIV, 29. Agr. c. 14.

812. **Suetonius Paulinus** per biennium prosperas res habuit;
subactae sunt nationes, firmataque praesidia. Quorum
59 fiducia Monam insulam *(Anglesey)* incolis validam, ut
vires rebellibus ministrantem et perfugarum receptaculum, aggressus, terga occasioni patefecit. Namque absentia legati remoto metu,

814. Caesonio Paeto et Petronio Turpiliano Coss. Britanni uni-
versi sumpsere bellum duce Boudicea, Prasutagii, regis
61 Icenorum, vidua. Iceni, qui in formam provinciae cesserant, quovis modo a Romanis spoliati et quamque iniuriam perpessi (cf. Agr. c. 15; ipsa regina eiusque filiae foeda contumelia affectae erant), et Trinobantes et qui alii nondum servitio fracti resumere libertatem occultis coniurationibus pepigerant, ad rebellationem instigavere*) Sparsos per castella milites consectati, expugnatisque praesidiis ante omnia coloniam Camulodunum, ut sedem servitutis, acerrimo in veteranos odio invadunt. Veterani et modica, quae inerat, militum manus, quia procul aberat Suetonius, a Cato Deciano procuratore auxilium petivere, qui haud amplius quam ducentos sine iustis armis misit. Quum colonia nullis munimentis septa esset, in templo divo Claudio constituto, tanquam in arce, ceterum neque fossa neque vallo munito, se tutari conati multitudine barbarorum circumveniuntur, et cetera quidem impetu direpta aut incensa

*) C. 31, ubi huius rebellionis mentio iniicitur, legitur: *Brigantes femina duce exurere coloniam* cett. quod Camdenus mutatum volebat in *Trinobantes*, quem plerique secuti sunt. Librorum scripturam equidem non eo argumento defenderim, ut dicam, hoc in bello, *quod sumpsere universi* (c. 16), multos etiam Brigantes arma contra Romanos tulisse. Quod factum esse dubitari sane non potest, praesertim quum apud Brigantes duae factiones essent, unde Romanis certamina cum illis iam ante enata essent, tum anno 802 (Ann. XII, 32) tum 806 (Ann. XII, 40. cf. nos ad annum 824), sed tamen non publico et communi consilio adhuc cum Romanis gesserant bellum, neque domiti sunt ante annum 824, ut Tacitus eos non posset complecti verbis iis, quae dicit Ann. XIV, 31 *et qui alii nondum servitio fracti resumere libertatem pepigerant.* Neque Tacitum ausim suspicari eum errorem admisisse, ut Boudiceam, Icenorum reginam, h. l. confuderit cum Cartismandua, Brigantum regina. Tenendum potius hoc erit, Galgacum Caledonem illarum terrarum nationes, ut oratorem, appellare nomine eius civitatis, quae in illa regione potissima erat, *et numerosissima provinciae totius perhibetur* (c. 17). Distinctius si nationes appellare voluisset Galgacus, non *Trinobantes*, sed *Icenos* potius nominare debuisset. Sed communi nomine illi omnes a Caledonibus nominati esse videntur Brigantes.

sunt, templum biduo obsessum expugnatumque. Petilius Cerealis, legatus legionis nonae, in subsidium adventans funditur peditibusque interfectis ipse cum equitibus in castra et munimenta evasit, procurator Catus trepidus in Galliam transiit. Suetonius cognito provinciae motu approperans mira constantia medios inter hostes Londinium perrexit. Ibi ambiguus, an illam sedem bello deligeret, circumspecta infrequentia militis admonitusque Petilii clade urbem reliquit ab hostibus opprimendam. Eadem clades municipio Verulamio fuit, quia barbari, omissis castellis praesidiisque militarium, quod uberrimum spolianti et defendentibus intutum esset, petebant. Ad septuaginta milia civium et sociorum in illis locis cecidisse constat. Nullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria. Caedes, patibula, ignes, cruces festinata ultione inferebant.

Iam Suetonius contracto exercitu decem ferme milium (in his legio XIV et vexillarii leg. XX; non interfuit legio II) congredi acie parat, deligitque locum sibi opportunum. Boudiceae exercitus primum centum et viginti milium ante ipsam pugnam ad ducenta triginta milia auctus erat (Dio Cass. LXII, 8). Clara et antiquis victoriis par ea die laus parta Romanis, nam sunt, qui paullo minus quam octoginta milia Britannorum cecidisse tradant, Romanorum militum quadringentis ferme interfectis, nec multo amplius vulneratis. Boudicea vitam veneno finivit Ann. XIV, 29—37. Dio Cass. LXII, 1—12. Agric. c. 16. c. 5.

Contractus deinde omnis exercitus sub pellibus habitus est ad reliqua belli perpetranda. Auxit Caesar copias missis e Germania militibus, cohortes novis hibernaculis locatae, quodque nationum ambiguum aut adversum fuerat igni atque ferro vastatur. Sed gentes praeferoces tardius ad pacem inclinabant, tenebantque arma plerique, quos conscientia defectionis et proprius ex legato timor agitabat. Non igitur contigit Suetonio veteri patientiae Britanniam restituere, praesertim quum et ipse arroganter in deditos atque propriam cuiusque iniuriam ulciscens, durius consuleret, et Iulius Classicianus procurator, successor Cato missus et Suetonio discors, privatis simultatibus bonum publicum impediret. Disperserat enim, novum legatum opperiendum esse, sine hostili ira et superbia victoris clementer deditis consulturum. Idem quum in urbem mandasset, nullum praelio finem exspectarent, nisi Suetonio succederetur, ad spectandum Britanniae statum a Nerone missus est ex libertis Polycletus, cuius auctoritate non modo inter legatum procuratoremque concordia conciliaretur, sed et rebelles barbarorum animi pace componerentur. A quo quum ad imperatorem omnia in mollius re-

lata essent, detentus *) quidem est rebus gerundis Suetonius, sed, uti videtur, in speciem tantum et ad tempus, nam paullo post, quod paucas naves in littore remigiumque in iis amiserat, tanquam durante bello tradere exercitum iubetur Petronio Turpiliano, qui consulatu abierat, quo functus est anno 814. Ann. XIV, 38. 39. Agr. c. 16. Hoc in bello Agricola tribunus prima stipendia fecit.

815. 62 Missus **Petronius Turpilianus**, tanquam exorabilior et delictis hostium novus eoque poenitentiae mitior, non irritato hoste neque lacessitus pacis nomen segni otio imposuit. Compositis prioribus nihil ultra ausus est.

817. 64 **Trebellius Maximus** segnior et nullis castrorum experimentis comitate quadam curandi provinciam tenuit. Didicere iam barbari ignoscere. Sed discordia laboratum, quum miles otio lasciviret. Trebellius, per avaritiam ac sordes contemtus exercitui invisusque, precario mox praefuit. Accenderat odium eius R o s c i u s C a e l i u s, legatus vicesimae legionis, olim discors, sed occasione civilium armorum atrocius proruperat. Trebellius seditionem et confusum ordinem disciplinae Caelio, spoliatas et inopes legiones Caelius Trebellio obiectabat. Foedis legatorum certaminibus modestia exercitus corrupta, eoque discordiae ventum, ut aggregantibus se Caelio cohortibus desertus Trebellius ad Vitellium perfugeret (anno 822). Quies provinciae quamquam remoto consulari mansit. Rexere legati legionum, pares iure, Caelius audendo potentior. Hist. 1, 60. Ag. 16.

822. 69 Mox missus a Vitellio in eius locum **Vettius Bolanus** (Hist. II, 65), qui placidius praeerat, quam feroci provincia dignum est. Eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum. Legio XIV, a Nerone ex Britannia excita, a Vitellio, qui ei diffidebat, iterum in Britanniam transvecta (Hist. II, 66). Ad eam scriptae a Vespasiani partibus epistolae (Hist. II, 86). Legio secunda, cui olim sub Claudio praepositus fuerat Vespasianus, ad eius partes transiit, non sine motu ceterarum, in quibus plerique centuriones ac milites a Vitellio provecti expertum iam principem anxii mutabant (Hist. III, 44). In his legio XX, cui Roscius Caelius praeerat, tarde ad sacramentum transgressa (Agr. c. 7).

823. 70 Crebris belli civilis rumoribus Britanni sustulere animos Venutio auctore, Brigantum duce, bellumque cuius primordia anno 806 supra ennaravimus, denuo exarsit (Hist. III, 45) **). Agricola, a Muciano in Britanniam missus ad

*) De hac Taciti voce cf. Agr. c. 9 *minus triennium in ea legatione* d e t e n t u s *ac statim ad spem consulatus revocatus est.*

**) Ex iis, quae Tacitus Hist. III, 45 refert, ad hunc annum pertinent extrema tantum verba: *regnum Venutio, bellum*

delectus agendos, ibi legioni vicesimae praeponitur in locum Roscii Caelii suffectus (c. 7). Propter inertiam Vettii Bolani Agricola vim suam temperare ardoremque compescere debuit, ne incresceret prae illo.

824. Mittitur a Vespasiano legatus consularis **Petilius Cerialis** *).
71 Hic terrorem statim intulit magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello (c. 9. 17). Videtur hic in mediis rebus gerendis subita morte exstinctus esse. Quo anno ei successerit **Iulius Frontinus**, qui pugnacem Silurum gentem subegit, definiri non potest, quum et Agric. caput 17 lacuna mutilatum sit (cf. supra p. 92) et Historiarum liber VI deperierit.

831. Media aestate **Agricola** legatus consularis in Britanniam
78 transgressus, Ordovices, qui haud multo ante eius adventum hostilia egerant et ad rebellionem proclives erant, subito aggressus magna clade affecit, statimque Monam insulam, in qua expugnanda Paulinus rebellione totius provinciae revocatus erat, in potestatem redegit (c. 18). Eodem anno iniurias, quas ante perpessi erant Britanni, comprimit, atque ita egregiam famam paci circumdedit. c. 19.

832. Altera aestate contracto exercitu subitis excursibus
79 terret hostes, et rursus pacis invitamenta ostendit, ut multae civitates **), quae in illum diem sui iuris fuerant, datis obsidibus iram ponerent (c. 20). Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta. c. 21.

833. Tertius annus novas gentes aperuit, vastatis usque
80 ad Tanaum aestuarium nationibus. c. 22. *Tanaum* dicitur illud aestuarium in codicibus, pro quo vulgata scriptura est *Taum*, quae quamquam non temere invecta est a Puteolano, sed ex margine codicis hausta, tamen eam utique spernendam dixerim. Nam aestuarium *Taum* si scribitur, non potest aliud

nobis relictum. Nam reliqua, quae hoc capite narrantur, referenda videntur ad annum 806, narrata iam Ann. XIV, 40, repetitaque hoc loco, ut primordia belli, hoc anno denuo excitati, explicarentur. Non recte igitur de hac re statuisse puto Lappenberg. hist. Angl. I. p. 27.

*) Petilius Cerealis, qui auctumni flexu anni 823 in Gallia versabatur (Hist. V, 23), videtur inde statim in Britanniam transvectus esse sequentis anni verno tempore. Nam Tacitus Agr. c. 17 ait: *sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam reciperavit: magni duces.* C. 9 *brevi deinde* (post Bolanum) *Britannia consularem Petilium Cerialem accepit.* Neque vero quidquam impedit, quominus anno demum 825, quem annum Walchius nominat, eum transgressum arbitremur. Vide infra ad annum 837.

**) Satis mire Gordon. p. 15 has civitates prope Isthmum habitasse putat: *the towns or people who yielded to Agricola, where those living on, and situated between the isthmus, which divides the Firths of Clyde and Forth.* In ista regione habitasse equidem puto *novas gentes*, quas aperuit annus *tertius*.

intelligi nisi *the Firth of Tay*. Verum usque ad hoc aestuarium non existimari potest hoc anno Agricola pervenisse. Nam c. 23 satis aperte narratur, Agricolam quarta demum aestate, quum ea, quae tertio anno percurrerat, i. e. vastatas ipsas illas terras usque ad Tanaum patentes, obtineret, ad eum terminum venisse, ubi Clota et Bodotria angusto terrarum spatio dirimuntur. Erat igitur nunc quidem in *ipsa Britannia* i. e. in ea *totius* (c. 30) *Britanniae* parte, quae *citra Caledoniam* (c. 10) est. Altera Britanniae pars est Caledonia, quae *velut alia insula* isthmo illo ab *ipsa Britannia* dirimitur. Atque terras *trans Bodotriam sitas* sexta demum aestate, postquam quinta quae trans Clotam sunt domuerat, bello amplexus est (c. 25), ideoque isto demum anno ad Taum aestuarium pervenire potuit. Quod fuerit istud aestuarium *Tanaum*, non magis scimus, quam qui fuerit portus *Trutulensis;* sed tamen si quid nominum hodiernorum similitudini dandum est, dixerim equidem Tanaum aestuarium in eo loco fuisse, ubi *the North-Tyne* fluvius prope urbes *Dunbar* et *Tyinningham* in mare influit. Quo in loco si forte hodie non inveniatur aestuarium, nihil id moror equidem, quia omnis illius littoris forma et facies hodie plane alia est atque olim fuit. Cf. Caroli Lyell de littoribus Britanniae, quem librum in teutonicam linguam transtulit Hartmann p. 184. 191. Neque vero prohibeo, si aestuarium illud prope Edinburgum fuisse existimes, ut pars sit Bodotriae. Alii, ut Tillemont, Ernesti aestuarium illud suspicati sunt ad ostium Tuedae (*Tweed*) fuisse, at recte Gordon contra monuit, longius iam progressum videri Agricola. Ob eandem caussam non probari potest, quod Chalmers in *Caledonia* vol. I c. 3 illud aestuarium suspicatur esse *the Solway Firth,* cuius apud veteres nomen *Ituna aestuarium.*

Hiems anni 80 intrepida fuit.

834 Quarta aestas obtinendis, quae percurrerat, insum-
81. pta est, et si Romana virtus passa esset, inventus erat in ipsa Britannia terminus in isthmo inter Clotam et Bodotriam, quo nova quasi insula incipit. Ille isthmus tum praesidiis firmabatur, quae inde ab *Old-Killpatrick* usque ad *Falkirk* et fortasse usque ad *Carriden* et *Abercorn* videntur pertinuisse.

835 Quinto anno nave in *proxima* (p. 85) trans Clo-
82. tam transgressus, ignotas ad id tempus gentes crebris ac prosperis proeliis domuit (in regionibus *Dumbarton* cett.) eamque partem Britanniae, quae Hiberniam adspicit *), copiis

*) Non recte intelligit haec verba Gordon, cui humani quid accidit, cum dicit p. 35: *it is certain, that the only countries in Scotland, from whence Ireland is seen, are those of Galloway and Cantire in Argyleshire.* Illud nihil est nisi: *quae vergunt in*

instruxit in spem, si forte expugnari posset illa insula. Comitatus intellige *Renfrew*, *Cunningham*, *Kyle*, *Carrick* et, si placet totum latus amplecti, *Galloway*. Falluntur autem, qui *Bute*, *Arram*, *Cantire* addunt, istae enim regiones non poterant nisi classe obtineri; ea autem in altera parte orientem versus versabatur, nam quod initio cap. 24 Agricola *navi* in proxima transgressus dicitur, cogitandae sunt scilicet scaphae et singula navigia.

836 Sexta aestate civitates trans Bodotriam sitas bello
83. amplexus portus classe exploravit, eaque adsumta in partem virium simul mari simul terra bellum in illa regione impellit. Versatur igitur iam in regionibus *Fife* et *Angus*. Addit Gordon *Mearns* adeoque *Aberdeen*. Quum pedes equesque *saepe* in eadem castra convenirent cum milite nautico, et sua quisque facta, suos casus enarrarent, facile intelligis illos non navibus, sed pedestri itinere in illas regiones venisse. Videntur igitur secundum littus per provinciam *Fife* incessisse. Nam in media terrae ex isthmo nunc quidem invadere non audebat, quia motus universarum ultra gentium et infesta itinera timebantur. Sed dum in illis regionibus septentrionalibus orientem spectantibus bellum gerit, Caledones interim ad manus et arma conversi, ultro castellum adorti metum ut provocantes addiderant. Castellum istud suspicor fuisse ex numero praesidiorum, quibus isthmus inter Clotam et Bodotriam firmatus erat. Qui nuntius quum allatus esset ad exercitum, quem ducebat Agricola, ignavi specie prudentium admonebant, regrediendum (navibus) citra Bodotriam et excedendum potius quam pellerentur. Sed Agricola iam irrupturos cognoscit hostes pluribus agminibus, itaque nihil morandum ratus, ne circumveniretur, tribus agminibus et ipse incessit in hostes. Hi mutato iam consilio repente Nonam legionem ut maxime invalidam *) nocte aggressi, sed subito Agricolae adventu oppressi sunt, ita ut ancipiti malo territi funderentur. Istam pugnam Gordon p. 36 commissam ait loco quodam, qui dicitur *Lochore*, duobus fere milliariis a lacu *Loch-Leven* in provincia *Fife* sito prope paludem, quae et ipsa *Lochore* nominatur **).

Hiberniam. Cf. Ann. XII, 32 *iamque ventum haud procul mari, quod Hiberniam adspectat*. Columella VIII, 8, 2 *tabulatum, quod adspiciat meridiem*. Germ. c. 5.

*) Attrita et paene absumta erat haec legio anno 814 pugna apud Camulodunum coloniam (Ann. XIV, 32) et suppleta deinceps militibus ex Germania accitis (ibid. c. 38).

**) Eadem ex Gordone desumit Brotier, sed nescio quid sibi velit, quum dicit: „Agricola, cum haec cognovit, videtur fuisse in Alatis castris, nunc Edinburgh, ut iam monuit eruditus Gordon p. 36." Gordon enim haec dicit: „*This battle I am of opinion, was fought in the county of Fife, because we learn that Agricola's army was at the time on the Northside of the Firth of Edinburgh. And appears there a Roman camp. This camp I met with, at a place called Lochore, about two miles from Loch-Leven*

Eadem aestate cohors Usipiorum stationem suam loco aliquo in littore ad occidentem vergente deseruit. c. 28.

837 *Initio* sequentis (septimae) *aestatis* Agricola filium anno ante natum amisit. In luctu bellum inter remedia
84. erat. Praemissa classe expedito exercitu ad montem Graupium *) pervenit, quem iam hostis insederat. Ibi Britanni duce Calgaco **) ad internecionem caesi. c. 29 — 38.

Quaeritur, quo loco et quo anno commissum sit proelium. De loco, quo decertatum sit, tam multa inter viros doctos disputata et coniectata sunt, ut Walterus Scottus in fabula sua *the antiquary* lepide eos cavilletur, qui in pugnae loco inquirendo operam consumant. Non in animum equidem induxi de hac re frustra hariolari, sed qui plerique Gordonis ***) auctoritatem secuti, in comitatu Strathern prope *Kirk* of *Comerie* et *Aberuchill,* ubi confluunt fluvii *Earn* et *Rochel*, itemque qui in eadem regione prope *Innerpeffery* aut adeo inferius prope *Ardoch* in *Strathallan* pugnam illam commissam suspicantur, eos igitur omnes ipsius Taciti verbis erroris

in Fife, and is situated near a lake called Lochore. Videtur igitur Gordon hoc loco Bodotriam *the firth of Edinburgh* nominare. Hinc error ille Broterii enatus.

*) Sic ille mons appellatur in codicibus, qui vulgo scribitur *Grampius.* Huic typographorum Mediolanensium errori, quamquam quatuor seculorum consuetudine sancito, non debet profecto illud suffragari, quod in Britannia montes sunt, qui *Grampian Mountains* dicuntur, nam neque unus mons idem est, quod continuorum montium longe patentia iuga, neque Anglorum antiquarii in illis montibus regionem invenire potuerunt, quae pro pugnae loco haberi possit, montem autem, quem Camden suggerit *Granzbain,* eum neque se, neque alium quemquam scire ubi sit, monet Gordon.

**) Gordon p. 40 hoc nomen compositum putat ex *Gald Cachach.* Nam *Galdum* illum regem nominari in annalibus regum Scotiae, alterum autem vocabulum apud Scotos significare *praeliosus.* Broterius adnotat: „In veteri et fabuloso Triadum libro appellatur *Galauc ap Liennauc.*"

***) Gordonis verba p. 37 haec sunt: *Where this Mons Grampius or Grampian-Hill is, this, I confess, has been very much disputed by many Scotch as well as English antiquaries. Cambden and most of the English make it a place called Grantsbain, but for what reason, I never could learn, not indeed can I find where Grantsbain is. — Some will have it to be in the shire of Angus, or in the Mearns, some at the Blair of Athol in Perthshire, or Ardoch in Strathallan, and others at Innerpeffery, because at both last places to this day are to be seen the vestiges of Roman forts. Sir Robert Sibbald places Agricola at Ardoch and the Caledonians on the Montes Ochelli or Ochel-Hills. — I shall venture to assert, that the Mons Grampius that Tacitus speaks of is in Strathern, half a mile south of the Kirk of Comerie and near the same distance from the house of Arbruchel.* Inter alia argumenta hoc affert: *Galgacus's name still remains on this ground; for the moor on which this camp stands, is called to this day Galdachan or Galgachan Rossmoor. — The word Ross signifies a spot of ground between two rivers, which correspondens nicely with this situation, it being between Ern and Rochel waters.* Hanc Gordonis de isto nomine hallucinationem ut inanem redarguit Horsley Brit. Rom. p. 44, qui locum illum non *Galgachan,* sed *Dalgin Ross* nominari ab incolis illius regionis comperit idque explicat *the dale under Ross. Ross is a village near tho this vale, and near the Roman camp.* Horsley alium pugnae locum statuit, qui dicatur *Fortingal camp farther beyond the Tay, about sixteen miles from Dunkell.* Omitto quam addit huius nominis etymologiam, qua nihil probari poterit.

convinci arbitror. Nam et quod Galgacus dicit c. 30 *nam et universi servitutis expertes et nullae ultra terrae,* et paullo post *nos terrarum ac libertatis extremos* et deinceps: *sed nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa,* et quod Agricola gloriatur: *priorum exercituum terminos egressi finem Britanniae castris tenemus* c. 33 paullo post *nec inglorium fuerit in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse,* ea omnia non satis apte dicta sunt de illa regione, quae in media Caledonia ipsisque eius penetralibus sita est, sed ad regionem potius magis ad septentrionem spectantem animum advertunt. Melius igitur alii prope *Blair-Athol* in septentrionali *Perthshire* pugnatum putant, propius etiam ad illa, quae laudavimus oratorum verba accedunt, qui mari propiores comitatus *Angus* aut *the Mearns* commemorant. In quibus regionibus si nulla castra Romana hodie inveniantur, quod Gordon et Horsley monent, id nihil moror. Alii adeo in *Banffshire, about the Hill of Knock in the parish of Grange* debellatum putant. Cf. Stuart Caledonia p. 215. Sed nihil decernam ego, modo ne Gordoni adstipuleris. Atque est profecto quod mireris, eosdem, qui in ista regione, quae prope abest ab aestuario Tao, decertatum putant, tamen tertio iam anno Agricolam usque ad Taum progressum putare, quem errorem supra castigavimus.

Altera quaestio suboritur, quo anno ista pugna evenerit. Sexta enim aestate Agricola Bodotriam transgressus, eodem anno videtur impetum, qui in Nonam legionem factus erat, propulsasse. Nullibi certe significat ipse Tacitus, sequenti anno hoc factum esse. Ista autem hostium invasio et clades facta est anno ante pugnam ad montem Graupium. Cf. cap. 34 *Hi sunt, quos proximo anno unam legionem furto noctis aggressos clamore debellastis.* Ex his igitur ad Graupium montem pugnatum est anno septimo, et Tacitus quum dicit c. 29 *initio aestatis,* intelligenda erit sequens aestas i. e. septima. Verum enim vero c. 33 Agricola dicit: *Octavus annus est, commilitones, ex quo virtute et auspiciis imperii Romani fide atque opera vestra Britanniam vicistis.* Hanc igitur difficultatem, ut mittam alios *), fuerunt, qui ita expediendam putarent, ut

*) Lipsius „ab introitu suo in provinciam numerat." Sed quid inde lucramur? nam hic ipse introitus in primum expeditionis annum (c. 20 *hunc primum statim annum*) incidit. Neque melior est Ritteri computatio, qui, quia *media* aestate transgressus sit Agricola, septima autem *exacta* haec verba faciat, ideo hunc legationis annum octavum esse somniatur. Ergo, quia prima aestas non plena et integra fuit, propterea septima, quae plena est, octava erit? Discant igitur mathematici $6 + 1/2$ esse $= 8$. Non melius Walchius a consulatu Agricolae numerandum putat. Quid enim eius consulatus ad provinciam Britanniam, quid ad milites in Britannia pugnantes? Sed ipse Walchius, nihil se dixisse conscius, insigni levitate addit: Quid autem laboramus? Oratori numerus *octavus* magis sonorus et rotundus visus est quam *septimus.*

Romanorum numerandi rationem respiciendam dicerent, rem satis notam et in fastis Romanorum cum maxime usitatam, de qua olim multi, nuper Savigny (systema iuris hodierni Romani T. IV. p. 602 sq.) uberius disputavit, sed ista notitia male abusi sunt illi in hac re nostra. Nam si dicunt Romani *sextus est dies, ex quo profectus est*, aut *sextus ante Idus dies* cett., sunt quidem non sex dies numerandi praeter illum profectionis diem, sed in hoc ordine sex dierum primus est ipse profectionis dies. Nostro autem loco nullus annus est, a quo numerari possit, nisi ipse ille primus expeditionis annus i. e. 831.

Itaque aut numerus ille *octavus* in codd. corruptus est, aut, si vere ipse Tacitus *octavus* scripsit, tum in promptu est ea suspicio, aliquo in loco aliquid excidisse, ubi transitus factus sit ad annum sequentem. Illam rationem amplexi sunt Acidalius et Brotier, qui non *VIII*, sed *VII annus* scribi volunt *). Ceterum si numerum mutari velis, non minus proclive erit suspicari *XIII annus*, ita ut recedamus ad eum annum, quo Petilius Cerealis cum *egregio exercitu* in Britanniam venit. Nam et mentiretur gloriose Agricola, si ex eo demum tempore, quo ipse in provinciam venisset, Romanos milites *vicisse* diceret, et deinde ipse dicit *ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos:* cur tandem haec distinguit? Suspicor, quia idem exercitus est, qui sub Petilio Cereali et Iulio Frontino fortiter pugnavit. Atque perspicue cognoscitur ex cap. 18, Agricolam solum venisse et milites, quos in Britannia acceperit, in pugnam duxisse, neque ullo omnino loco indicatur, legiones mutatas esse aut novas accersitas. Saepissime autem numeri *V* et *X* commutantur. Haec mea opinio si vera fuerit, inde simul id consequetur, Petilium Cerealem non anno 824, sed anno demum 825 in Britanniam transvectum esse.

Sed qui numerum illum, quem libri praebent, retinere potiusque alteram meam suspicionem amplecti volent, eis locum certe equidem monstrabo, ubi per lacunam verba quaedam excidisse suspiceris, quibus ad sequentem aestatem transierit Tacitus. Supra enim c. 25 quae leguntur: *excedendum potius quam pellerentur, ignavi specie prudentium admonebant, cum interim cognoscit, hostes pluribus agminibus irrupturos, ac ne superante numero* cett., in his verborum quidem constructio nihil habet offensionis, commode enim

*) Plane idem vitium odorati quidam sunt apud Livium XXV, 36 *anno octavo postquam in Hispaniam venerat, Cn. Scipio est interfectus*, ubi *septimo* plerique scribi voluerunt. At cap. etiam 38 dicit Livius *invictos per octo annos milites*. Non igitur illo loco in librariis culpa, sed omnis annorum belli Hispanici computatio apud Livium confusa deprehenditur.

poteris explicare: *ignavi dum recedendum admonent, interim Agricola cognoscit hostes irrupturos, ac* cett. Similis est Sall. Iug. 49 *postremo* (Iugurtha) *pollicendo, minitando, obtestando alium alio modo excitare, cum interim Metellus ignarus hostium monte degrediens cum exercitu conspicitur* *). Iug. 12, 5 *divorsi regem quaerere, scrutari loca abdita, cum interim Hiempsal reperitur occulens se in tugurio mulieris.* Tac. hist. I, 60. IV, 42. V, 23 **).

At sunt, quae mireris. Primum, quum ab iis, quae ignavi illi monuerint, transeat ad ea, quae Agricola decernit, exspectes ipsum Agricolae nomen induci, praesertim quum ubique in similibus locis Tacitus id faciat. c. 18 *cum Agricola* cett. ibid. *Nec Agricola* cett. c. 24 *Agricola expulsum* cett. c. 26 *cum Agricola* cett. c. 29 *initio aestatis Agricola.* c. 33 *cum Agricola* cett. c. 35 *tum Agricola.* c. 36 *donec Agricola* cett. c. 37 *veritus Agricola* ibid. *quod ni frequens Agricola* cett. c. 40 *sic Agricola* cett. Deinde non omittenda est librorum distinctio in codd., qui a verbis *Cum Agricola* novum enuntiatum incipiunt; plane eodem modo c. 17 post lacunam scribunt: *Sustinuitque.* Tertium est, quod, si legis illa verba, facile in eam suspicionem adduceris, allato illo nuntio non deliberationes illas ignavorum, sed potius consilium aliquod Agricolae turbatum dici, quod primum captum deinde illo nuntio cognito mutandum fuerit. Accedit denique, quod in codice antiquissimo haec verba e regione posita fuisse videntur alius loci, quem mutilatum esse omnes confitentur. Verba dico *occasione et arte ducis * * rati,* quae (vide supra p. 130) in altera columna eiusdem paginae legebantur. Forsan igitur utriusque columnae ultima linea deperierit. Hasce igitur meas suspiciones si forte non contemnendas et tanquam inanem ingenii lusum spernendas putaveris, in iis verbis, quae exciderint, poterat sane novae aestatis mentio illata fuisse, veluti si post verba: *ignavi specie prudentium admonebant* haec intercidisse suspiceris: *At Agricola statim contracto exercitu, aderat enim aestas, hostes a tergo invadere parabat, cum interim cognoscit, hostes pluribus agminibus* cett. Tum Agricola putandus erit sexta aestate civitates trans Bodotriam amplexus ibi simul terra simul mari bellum impulisse, ibique hiematum nova aestate septima cum ho-

*) Recte sic libri, sed graece dictum est: *καταβαίνων καταφανὴς ἦν* degrediebatur conspicuus aliis, ipse nihil suspicatus hostes adesse.

**) Non huc pertinent multi alii loci, in quibus particulis *quum interim* ratiocinando potius res coniunguntur, quam enarrando quae gesta sunt referuntur. Liv. IV, 51. VI, 11. 27. XXIX, 15. Cic. pro Sulla 5, 16. Seneca de ira II, 33. de tranquill. animi c. 12. Ep. 1, 101. Plin. ep. III, 7, 11. VIII, 14, 13. frequenter apud Quintilianum. Cf. Spalding. ad lib. XII, 10, 67. Zumpt. Tom. V. p. 411.

stibus ad castra Nonae legionis pugnasse. Tum bene se habet *octavus ille annus*.

Exacta iam aestate quum spargi bellum non posset, in fines Borestorum *) exercitum deducit acceptisque obsidibus in hibernis locavit. Simul classis, quae Britanniam circumvehi iussa est, postquam Orcadas invenit domuitque atque Thulen dispexit (c. 10), appetente hieme reversa, Trutulensem portum, unde evecta proximum omne latus legerat, secunda tempestate ac fama tenuit c. 38.
838 aut, si per octo annos bellum tenuit, 839. provincia tradita successori, qui videtur Sallustius Lucullus fuisse
85. (Sueton. Domit. c. 10), Agricola Romam rediit. Ceterum Britannia modo perdomita statim missa est. Hist. I, 2.

*) Boresti ubi habitarint non constat, nec de Trutulensi portu quicquam definiri potest. Videtur in vicinia aestuarii Taii (*firth of Tay*) fuisse.

V.

AGRICOLAE VITA PER ANNOS DIGESTA.

Quo anno natus sit Agricola.

Cap. 44 Tacitus refert: *Natus erat Agricola Caio Caesare tert. Cos. Idibus Iuniis; excessit VI° et L^mo anno decimo Kal. Septembr. Collega Priscoque Coss.* Caii Caesaris tertius consulatus quum in annum 793, Pompeii Collegae et Cornelii Prisci in annum 846 inciderit, non constat illa Taciti ratio. Etenim Agricola, si Idibus Iun. anni 793 natus erat, a. d. X. Kal. Septembr. anni 846 annos tantum LIII et duos menses compleverat, ideoque anno aetatis non LVI sed LIV mortuus est. Itaque aut annus, quo natus est, aut quo excessit, aut vitae spatium non recte in libris traditum est; ipsum enim Tacitum in computandis numeris errasse, quod Savilius putavit, inepta est opinio. Atque de mortis quidem anno nemo dubitavit, neque dubitare quisquam poterit. Optime igitur Broterius omnem difficultatem expedivit, qui legendum esse monuit: *excessit IV° et L^mo anno.* Proclivis enim est ille librariorum error, ut *VI* pro *IV*, *LX* pro *XL* scribant (cf. ad cap. 37 et Drakenb. ad Liv. XXX, 26). Rem igitur putaveris dudum confectam et transactam, at misere omnia denuo conturbavit Walchius, qui quum Waltherum, Imm. Bekkerum, alios in suas partes traxerit, redarguendi erunt multiplices eius hac in re errores. Ac primum quidem quod ipse Walchius, Petavium ad Epiphan. Haer. LI. p. 98 et Buchnerum secutus, scribi maluit: *Natus erat Agricola Caio Caesare primum consule*, i. e. anno 790, id duobus argumentis prorsus refellitur. Nam anno 790 Caius Caesar consul erat suffectus; more igitur Romano, qui mos

Caesarum quoque temporibus strenue retentus est (cf. Savilium et Pichenam ad Tac. Hist. I, 77), non poterat annus ab eo denominari. Initio enim illius anni consulatum auspicati sunt consules ordinarii Cn. Acerronius Proculus et C. Pontius Nigrinus *). Post mortem demum Tiberii a. d. XVII Kal. April. exauctoratis illis consulibus a senatu Caio Caesari consulatus decretus est, quem ne suscepit quidem protinus, sed, quum illi per sex menses perfuncti essent magistratu, Kalendis demum Iuliis iniit adsumto collega Claudio patruo **). Habuit igitur illo anno etiam collegam, qui, si ab illius consulatu denominare annum Tacitus voluisset, simul indicandus erat. Contra anno 793 consul erat sine collega (Dio Cass. LIX, 24).

Deinde si anno 790 mense Iunio natus erat Agricola, a. d. X Kal. Septembr. anni 846 non quinquagesimum sextum sed septimum agebat. Hunc calculi errorem compensare studet Walchius aliis etiam maioribus mendis. Romanos ait, quod plenum annum excurrerit, saepe in computando omisisse. At argumenta, quibus id, quod intendit, confirmare studet, ita comparata sunt, ut, si contrarium probare voluisset, meliora afferre non posset. Galba enim, quem Zonaras dicit septuaginta duos annos et viginti tres dies vixisse, si a Tacito Hist. I, 49 et a Suetonio Galb. c. 23 *tertio et septuagesimo* anno periisse dicitur, plane hoc congruit cum consueto Romanorum more. Augustum vero, quem constat consulem factum esse, quum novendecim annos et triginta sex dies natus esset (Drumann hist. Rom. I, p. 336), epitomator Livii lib. CXIX prodidit, ut Walchius quidem ait, consulem creatum esse „*quum nonum decimum annum ageret.*“ Idoneum sane hoc esset exemplum, si verum esset, quod refert Walchius. At hallucinatur bonus vir. Nam apud Livium legitur: *quum annos novendecim haberet.* Qui autem habet novendecim annos, sive natus est novendecim annos, is a Romanis dicitur agere vicesimum. Atque idcirco a Suetonio Aug. 26 et Eutropio VII, 1 recte dicitur *consulatum vicesimo aetatis anno invasisse.* Confudit Walchius Livium cum Solino, apud quem c. 2 illud in quibusdam libris legitur. Othonem denique, qui undecimo die antequam septimum et tricesimum aetatis annum complevisset, mortuus est (Dio Cass. 64, 15), ideoque recte a Tacito dicitur Hist. II, 50 *septimo et tricesimo aetatis anno vitae finem habuisse*, Suetonius c. XI dicit tricesimo et octavo aetatis anno mortuum esse. Admodum lepide Walchius hoc tertium exemplum addidit. Ecquo modo enim hoc Suetonii errore suam

*) Sueton. Tib. 73. Tac. Ann. VI, 45. Dio Cass. LVIII, 27 p. 638 B.

**) Dio Cass. LIX, 6. Sueton. Calig. 17.

sententiam confirmari putabat? Illius auctoritate ita demum recte niteretur in re sua, si ille anno aetatis tricesimo et sexto Othonem diceret mortuum esse.

At anno 793, aiunt, non potest Agricola natus esse. Videamus argumenta, quibus hoc evincere student. Atque Beckerus quidem allegatis Taciti verbis c. 4 *Pater Iulius Graecinus studio eloquentiae sapientiaeque notus, iisque ipsis virtutibus iram C. Caesaris meritus. Namque M. Silanum accusare iussus et, quia abnuerat, interfectus est,* M. Silanum ait anno iam 790 mortem sibi conscivisse. Eodem igitur anno videri Agricolae patrem interfectum esse; non enim verisimile esse, C. Caesarem, hominem vecordem et in iram praecipitem, tertium annum ad puniendum Graecinum exspectasse. Verum in eiusmodi computatione non in eo res vertitur, quod verisimile videatur, sed in eo, quod verum est et contestatum. Atqui non illud omittendum erit, quod Tacitus refert: *Namque M. Silanum accusare iussus et, quia abnuerat, interfectus est.* Si propter illam recusationem statim interfectus esset, vereor ne Tacitus dicturus fuerit, *accusare iussus, et quia abnuit, interfectus est.* (Cf. Cic. pro Deiot. §. 23 *sed eos, quos misit, quod ire noluerunt, in vincula coniecit.*)

Nunc videtur recusata illa accusatione mores suos modo in suspicionem et invidiam adduxisse apud C. Caesarem, ut data occasione hic eum interimere decerneret. Neque his refragantur, quae Seneca de benef. II, 21 narrat: *si exemplo magni animi opus est, utamur Graecini Iulii, viri egregii, quem C. Caesar occidit ob hoc unum, quod melior vir esset, quam esse quemquam tyranno expediret.* Non igitur omnino verisimile est, statim eum interfectum esse, praesertim quum id profecto non capitale esse posset, quod eum, qui socer esset Caligulae, accusare abnuisset.

Verum ne id quidem satis constat, M. Silanum anno potissimum 790 mortem sibi conscivisse. Suetonius enim c. 23 tempus, quo ille obierit, non indicat, et Dio Cassius LIX, 8, qui, quum illius mortem quibusdam caedibus primo imperii anno a C. Caesare patratis adnectat, eodem sane anno eam evenisse statuere videtur, in hac re haud scio an erraverit. Apud Philonem certe de legat. ad Caium p. 775 Silanus post Macronem a C. Caesare petitur, Macronem autem ipse Dio LIX, 10 anno 791 interemtum dicit. Nec de caussa aegritudinis, propter quam Silanus vim sibi intulerit, consentiunt Suetonius et Dio Cassius, diversissima quaeque comminiscentes. Iam quod Dio refert, eum aegre tulisse, quod a C. Caesare eo honore, qui antea ab omnibus ei concessus fuisset, ut in senatu primus sententiam diceret, privatus esset, in eo

aperte erroris convincitur a Tacito, qui Hist. IV, 48 narrat: *C. Caesar turbidus animi ac M. Silanum obtinentem Africam metuens, ablatam proconsuli legionem misso in eam rem legato tradidit.* Quum C. Caesar regnum auspicatus sit Martio mense, in morbum autem, post quem illa patrasse dicitur, octavo imperii anno inciderit (Philo de legat. ad Caium p. 769 sq.), reliqui sunt primi anni menses tantum duo. Hoc igitur spatio qui tantum poterat idem homo et in senatu sententiam dicere et in Africa cum imperio esse? Rectius igitur existimabis illam imperii deminutionem caussam fuisse altercationis inter C. Caesarem et M. Silanum, et hanc ignominiam illum deinceps ad necem compulisse. Illam autem partitionem illius provinciae ipse Dio LIX, 20 narrat anno 792 evenisse, nisi quod hoc non M. Silano, sed L. Pisoni accidisse tradit manifesto errore. Scilicet Pisoni eadem iniuria illata est anno 824. Tac. l. l. Plin. ep. III, 7. Haec igitur utcunque sunt, id quisque largietur, et illud admodum incertum esse, num M. Silanus anno iam 790 mortem sibi intulerit, et, si maxime id compertum esset, alteram superesse dubitationem, num eodem statim anno interfectus sit Graecinus.

Argumento prorsus alio utitur Walchius. „Anno 793, ait, non potest natus esse Agricola, quia sub Nerone, ideoque ante eius mortem, quam obiit a. d. V. Idus Iun. anni 821, praetor fuit. Nam quum ex lege annali nemo praetor fieri posset, nisi qui annum aetatis tricesimum explevisset, consequitur, eum anno iam 791, atque adeo, quum hoc anno C. Caesar non consul esset, anno 790 natum esse.“ Demonstrandum igitur erit, lege annali non posse rationem nostram conturbari. Nihil attinet hic disputare de lege annali, quae reipublicae temporibus valuit *), quae primum lata est a. L. Villio anno 574. Illa quidem aetate ad quaesturam, *primum gradum honoris* et *quasi primordium gerendorum honorum*, nemo admissus est, qui minor esset XXX annis; quaesturam exceperunt reliqui magistratus ita, ut singulis interiectum esset biennium, et ad haec potissimum intervalla, non, ut vulgato errore putatur, ad aetatis annum contendo equidem referendum esse *suum*

*) Nuper de ea disserui in Museo Rhenano, edito a Welck. et Ritschl. T. III p. 276 sq. Olim de legibus annalibus Romanorum disputarunt Summi in his litteris Viri Manutius de legibus c. 6. Lipsius exc. ad Tac. Ann. III, 29 et libro de magistratibus c. 4. Cuiacius Observationum lib. XVII, 34. XXI, 32. Heineccius Commentario ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam Amstelod, 1726 p. 203 sq. Drakenb. ad Liv. XL, 44. Duker. ad Liv. XXV, 2. Non vidi, quam Beier. ad Cic. off. T. II p. 117 commemorat Aug. Frid. Schotti de lege Villia dissertationem Lips. 1765. Plerique illi Caesarum saecula non, uti par erat, discreverunt a reipublicae temporibus. Nuperrime de his legibus disputavit Becker Röm. Alterth. II, 2 p. 15.

annum *), ut, si quis dicat, *suo* se *anno* praeturam adeptum esse, is se statim post biennium, postquam aedilitate functus sit, praetorem factum esse dicat, neque vero idcirco eo aetatis anno, quo proxime per leges licuit praeturam gerere, nisi forte primum statim honorem reliquosque deinceps magistratus anno legitimo consecutus est. Tum demum *suus annus* congruet cum legitimo aetatis anno, atque, cui hoc continget, is annos XXX natus quaestor, XXXIII tribunus, XXXVI aedilis, XXXIX praetor, XLII consul erit. Qui autem unum ex his honoribus aut serius aut legis alius beneficio vel privilegio prius adeptus est, quam lege Villia constitutum est, is reliquos quoque honores aut serius aut prius, quam per legem alias licet, consequetur, et nihilominus fieri potest, ut *suo* uterque *anno* reliquos magistratus adeat.

Sub Caesaribus quae lex annalis valuerit, indicare sane videtur Dio Cassius lib. LII, 20 *ἐς δὲ τὸ συνέδριον [καταλέγεσθαι χρὴ] πεντεκαιεικοσιέτεις. ταμιεύσαντές τε καὶ ἀγορανομήσαντες ἢ δημαρχήσαντες στρατηγείτωσαν τριακοντοῦται γενόμενοι.* Quanquam enim Dio Maecenatem haec Augusto tantum suasisse refert, acute tamen Lipsius exc. ad Ann. III, 29 suspicatur, Dionem fictam illam orationem ad formam reipublicae Augusteae accommodasse. Itaque quum Dio c. 41 addat: *τὰ δὲ δὴ τοῦ Μυκήνου μᾶλλον εἵλετο,*

*) Effecisse hoc videor his exemplis: Cic. ad fam. X, 25 *multi clarissimi viri annum petitionis suae non obierunt. Quod eo facilius nobis est, quod non est annus hic tibi destinatus, ut, si aedilis fuisses, post biennium tuus annus esset.* Cic. Agrar. II, c. 2 *reperietis, novos homines multis annis post petisse quam praetores fuissent, aliquanto serius, quam per aetatem ac per leges liceret: qui autem suo anno petierint, sine repulsa non esse factos: me esse unum ex omnibus novis hominibus qui consulatum petierim, quum primum licitum sit* (sc. *per leges*, non autem item animo addendum est *ac per aetatem*, licet antea de reliquis dixisset: *serius quam per aetatem ac leges*). Reliqui igitur novi homines multis annis postquam praetores fuissent, Cicero unus *suo anno* i. e. biennio post praeturam consulatum adeptus est. Cic. Brut. 93, 321 *atque ut multa omittam, in hoc spatio et his post aedilitatem annis et praetor primus et incredibili populi voluntate sum factus*, ubi similiter gloriatur, quod *his* i. e. tam paucis post aedilitatem annis praetor factus sit. Cic. Phil. VIII, c. 9 *Huius comitiis C. frater (eius enim est annus) iam repulsam tulit.* Antecedentibus verbis *quamdiu M. Brutus, C. Cassius consules, prove coss. provincias obtinebunt* Antonius quasi ominatus erat illos consules futuros. Iam quoniam una cum illis superiore anno praetor fuerat C. Antonius, ut pariter atque illorum huius quoque iam esset consulatus gerendi annus, facete dicit Cicero, C. Antonium a fratre repulsam tulisse. Vides igitur, hic propter exactum post praeturam biennium tres illos homines suum annum habere dici, quos profecto non contendes eundem aetatis annum egisse. Cic. pro Mil. c. IX *subito reliquit annum suum.* Clodius aedilis curulis erat anno 698, biennio interiecto *suus annus* primum petendae praeturae erat 701. Miro errore Ed. Osenbrüggen Introd. ad Cic. pro Mil. p. V. hunc annum, quo praeturam petere Clodius destitit, confundit cum anno 702, quo Milo consulatum petebat. Atque haec est caussa, cur Cicero, quamquam anno demum aetatis XLIV consulatu functus est, quem per aetatem anno ante adire potuerat, tamen iure suo gloriari possit, se *suo anno* consulatum adeptum esse (Agrar. II, 2. Brut. 94, 323. de off. II, 17). Omnes honores se suo anno adiisse, id nusquam asserit. Gloriatur tantum, quod quaestor inprimis, aedilis prior factus sit (in Pison. c. 1).

οὐ μέντοι πάντα εὐθὺς, ὥσπερ ὑπετέθειτο, ἔπραξε, ἀλλὰ τὰ μὲν παραχρῆμα μετεκόσμησε, τὰ δ' ὕστερον· καί τινα καὶ τοῖς μετὰ ταῦτα ἄρξουσι ποιῆσαι κατέλιπεν, in iis, quae vere adoptaverit Augustus, fuisse legem illam annalem, eo magis credendum est, quod alteram huius legis partem de quaestoria eademque senatoria aetate XXV annorum satis constat *) inde ab Augusti aetate receptam fuisse.

Maxime autem e re nostra erit quaerere, quod temporis spatium inter quaesturam, tribunatum et praeturam interiectum lex

*) Lipsius excursu ad Ann. III, 29 hoc non obscure colligi ait ex L. 2 de minoribus (Dig. IV, 4) *nec per liberos suos rem suam maturius a curatoribus recipiat; quod enim legibus cavetur, ut singuli anni per singulos liberos remittantur, ad honores pertinere divus Severus ait, non ad rem suam recipiendam.* Ex hac lege quomodo illud efficiatur, quum non statim in promptu sit, equidem sic mihi huius rei rationem explicare conabar: Nisi XXV annorum aetas, qua adolescentes curatione eximebantur, eadem honorum petendorum potestatem fecisset, nemini in mentem venire poterat, quam veniam aetatis in honoribus petendis lex Iulia et Papia Poppaea (vide infra) dabat, eandem transferre ad dissolvendam curationem, ut propter liberorum numerum maturius rem suam a curatoribus recipere vellet. Confudisse igitur videntur ii, contra quos lex illa Severi scripta est, maiorennitatem, ut ita dicam, cum honorum petendorum facultate, et quia haec maturari poterat legis Iuliae et Papiae Poppaeae beneficio, illam quoque eiusdem legis praemio maturius consequi se posse in animum inducebant. Talis autem error et confusio admitti non poterat, nisi XXV annorum aetate aditus ad honores datus esset. Apertius hoc apparet ex L. 8 de muneribus (Dig. L, 4) *ad rempublicam administrandam ante vicesimum quintum annum, vel ad munera, quae non patrimonii sunt, vel honores admitti minores non oportet.* Si quis contra monuerit, hoc loco de municipalibus maxime honoribus agi videri, ego me tueor Iacobi Gothofredi auctoritate, qui *Quatuor Fontibus iuris civilis* ad urbanos quoque honores illud refert, neque negari poterit, municipiorum instituta plerumque ab urbanis derivata esse; atque reipublicae quoque tempore leges annales municipiorum fere eaedem sunt atque in urbe. Nam quod in tabula Heracleensi (Haubold. Monum. p. 119) cavetur: *qui minor XXX annis est, erit, ne quis eorum in municipio, colonia, praefectura duumviratum, quatuorviratum, neve quem alium magistratum neve capito neve gerito* (cf. etiam Halesinorum legem apud Cic. in Verr. acc. lib. II, 49, 122 et quae apud Bithynos valebat, legem Pompeiam apud Plin. ep. X, 83), idem plane observabatur tum in urbe. Neque discrepat, quod Quintilianus XII, 6 refert: *Calvus, Caesar, Pollio multum ante quaestoriam omnes aetatem gravissima iudicia susceperunt*, unde recte Lipsius (Exc. Ann. III, 29) collato dialogo de oratoribus c. 34 *nonodecimo aetatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno et vicesimo Caesar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio C. Catonem — orationibus insecuti sunt*, aetatem quaestoriam definit anno aetatis XXV. Scilicet Quintilianus, quum hac dictione utitur, sua tempora respicit.

Maxime autem documento sunt exempla eorum, qui Caesarum beneficio legibus soluti sunt, qui si viginti fere annos nati ad quaesturam admitterentur, *quinquennio maturius quam per leges liceret*, eam adiisse dicuntur. Sic Tiberius apud Dionem Cass. LIII, 28. LIV, 10 et Germanicus apud Sueton. Calig. I. Cf. etiam Tac. Ann. III, 29 Lampridium Commodo c. 2.

Poteris denique ad analogiam provocare et ad institutorum Romanorum perpetuitatem. Nam quum antiquissimis temporibus (Polyb. VI, 19), ut aliquis tribunus militum fieret, quinque stipendia, ut quaestor, decem haberet necesse esset, Augustus senatorum filios primam statim militiam tribunos auspicari iussit (Sueton. Octav. 38. Tiber. c. 9. Tacitus Agric. c. 5). Itaque illis munerum decursus quinque annis maturatus est, ut qui olim reipublicae tempore XXX annos nati quaestores fierent, nunc iam XXV annos nati hunc honorem consequi possent. Ceterum hac aetate *vigintiviratus*, quo aditus ad honores maiores muniretur (Ann. III, 29. Dio Cass. LIV, 26. LX, 5), capessendus erat iis, quantum suspicor, qui non stipendia facerent.

voluerit. Quod vulgo statuunt, biennii intervallum, uti reipublicae tempore, ita nunc quoque lege constitutum fuisse, id non potest ex ullo veterum scriptorum loco evinci. Contra multa sunt documenta, unius anni spatium intercessisse. Nam Tac. Agricola 6 *mox inter quaesturam ac tribunatum plebis atque ipsum etiam tribunatus annum quiete et otio transiit,* nisi ad verba *inter quaesturam ac tribunatum* sequentem vocem *annum* velis supplere, duram sane habebunt ellipsin. Et apud Plinium ep. VII, 16 *Simul militavimus, simul quaestores Caesaris fuimus. Ille* (Calestrius Tiro) *me in tribunatu liberorum iure praecessit; ego illum in praetura sum consecutus, quum mihi Caesar annum remisisset,* non unus annus de duobus, sed simpliciter anni spatium, quod legitimum fuerit, intelligendum videtur. Saepe enim Latini *annum* dicunt unius anni spatium. Caesar bell. gall. VII, 32 *regiam potestatem annum obtinere.* Liv. II, 7 *matronae annum ut parentem eum luxerunt.* Simul autem ex illo Plinii loco utique id apparet, inter quaesturam et tribunatum idem plane spatium intercessisse, quod inter tribunatum et praeturam interiectum fuerit. Alioquin Plinius Tironem, qui simul cum illo quaestor fuerat, non potuisset in praetura consequi. Plinius igitur et Tiro, qui praetura functi sunt anno 847, quaestores videntur fuisse anno 844, tribunatum autem Tiro iam anno 845, Plinius anno 846 gessisse. Discrepantem Massonis in vita Pliniana rationem nihil moror, nulla enim re ille nititur, nisi biennio illo, quod ipse sibi finxit. Omnino lege annali sub Caesaribus nihil cautum fuisse videtur, nisi ut ne continuarentur honores, quod ne fieret, interiectus annus unus satis erat. Tu confer L. 18 ad municipalem (Dig. L. tit. 1) *dum ne quis continuet honorem* et, qui locus omnino in re nostra maximi momenti est, L. 14 §. 5 de muneribus (Dig. L. tit. 4) *Gerendorum honorum non promiscua facultas est, sed ordo certus huic rei adhibitus est. Nam neque prius maiorem magistratum quisquam, nisi minorem susceperit, gerere potest, neque ab omni aetate, NEQUE CONTINUARE QUISQUE HONORES POTEST.* Si non *quisque* honores continuare poterat, singulos profecto fuisse necesse est, quibus hoc licuerit. Quaeres igitur, qua lege quibusdam remissus sit ille annus, ut continuare honores eis liceret. Suspicor equidem lege Iulia et Papia Poppaea, anno 762 perlata, qua iis, qui uxorem duxissent et qui liberos procreassent, cum alia praemia et privilegia donarentur, tum in honoribus petendis et gerendis quaedam praerogativae concederentur *). Disputarunt de hac lege Lipsius Exc.

*) Non alia certe invenitur lex, qua privilegia in honoribus petendis concedantur. Reipublicae sane tempore, quo multi legibus annalibus soluti sunt (cf. Garatoni ad Cic. Phil.

ad Tac. Ann. lib. III, 25 et Heineccius, qui post Iacobum Gothofredum in Quatuor fontibus iuris civilis Commentario legem illam reconcinnare studuit. Apud Heineccium caput VIII huius legis sic habet:

Qui candidatorum plures liberos secundum H. L. habebit praefertor: petentibusque honores singuli anni per singulos liberos remittuntor, eisque honores citius quam per leges annarias licet petere sine fraude sua liceto.

Huic igitur octavo capiti, quo dè honoribus agitur, magnopere vellem, Heineccius duo addidisset. Primum est, quod eorum quoque mentio adiicienda mihi videtur, qui uni mariti essent nequedum liberos procreassent; nam nuptiarum et procreationis liberorum praemia discernuntur et a Dione LIV, 16 *τοῦ τε γάμου καὶ τῆς παιδοποιΐας ἆθλα ἔθηκεν.* 53, 13 *praesides annui sint et sorte lecti, πλὴν εἰ τῷ πολυπαιδίας ἢ γάμου προνομία προσείη.* LVI, 6 *ἔθηκα δὲ καὶ ἆθλα τοῖς πειθαρχοῦσι τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα, — ἵνα διὰ ταῦτα καὶ γαμεῖν καὶ παιδοποιεῖν ἀναπείθησθε*, et a Gellio II, 15 qui dicit: *sed postquam suboles civitati necessaria visa est, et ad prolem populi frequentandam praemiis atque invitamentis usus fuit: tum antelati quibusdam in rebus, qui uxorem quique liberos haberent, senioribus neque liberos neque uxores habentibus.* Atque istud ad honores quoque pertinuisse apparet ex Sueton. Tib. c. 35 *alium et quaestura removit, quod uxorem pridie sortitione ductam postridie repudiasset.* Quamquam his, qui uni mariti essent, non annos remissos puto, sed tantum antelatos esse aliis, qui caelibes essent. Alterum est, quod suspicor, eis, qui liberos haberent, non solum in honoribus primum petendis annos remissos esse, sed iisdem licuisse, remisso anno, qui magistratibus quibusdam interiectus esse debebat, honores continuare. Ad hoc referenda puto verba illa legis XIV de muneribus: *neque continuare quisque honores pòtest*, videturque haec opinio confirmari Plin. ep. VII, 16 *ille me in tribunatu*

V, 17. Duker. ad Liv. XXV, 2. Manutius de legg. Val. Maxim. VIII, 15) ipsa lege annali sancitum fuisse videtur, quos liceret eximi. Militari enim virtuti et rerum gestarum laudi videtur subinde hoc tributum esse. Cf. Cic. Acad. II, 1 *Lucullus quaestor permultos annos admirabili quadem laude praefuit, deinde absens factus aedilis, continuo praetor; licebat enim celerius praemio legis.* Cic. Phil. XI, 5. (Bestia) *alter Caesar Vopiscus ille, qui ex aedilitate consulatum petit, solvatur legibus, quamquam leges eum non tenent propter eximiam, credo, dignitatem.* Cic. Phil. V, c. 9 *ob eam caussam placere, uti L. Egnatuleio triennium ante legitimum tempus magistratus petere, capere, gerere liceat.* Eadem de caussa suspicor Furnium apud Cic. ep. ad fam. X, 25 statim post quaesturam in animum induxisse ambire praeturam. Atque hoc videtur esse *παλαιὸν* illud *ἔθος*, ad quod provocat Ofella apud Appianum bell. civ. I, 101 quum *διὰ τὸ μέγεθος τῶν εἰργασμένων* consulatum petit, quamquam neque quaestura neque praetura functus erat.

liberorum iure praecessit. Quaestores enim illi fuerunt eodem anno itemque simul praetores, quia annus deinceps item Plinio *remissus* erat *).

Haec praemittenda putavimus, ne lege annali rationem nostram, qua annos vitae Agricolae circumspectis omnibus rebus **) digeremus, conturbari putes. Quaestorem si affirmabimus Agricolam anno 818 fuisse, huius anni initio non compleverat ille quidem, sed ingressus tantum erat quintum et vicesimum aetatis annum, sed nemo in eo haerebit, qui meminerit moris illius Romanorum, quo annus coeptus pro pleno habebatur. Cf. L. 8 de muneribus (Dig. L. tit. 4) *annus autem vicesimus quintus coeptus pro pleno habetur. Hoc enim in honoribus favoris caussa constitutum est, ut pro plenis inchoatos accipiamus.* L. 74 §. 1 ad Sc. Trebell. (Dig. XXXV, 1) *recitabant Divi Hadriani constitutionem, in qua, quantum ad munera municipalia, iusserat eum annum, quem quis ingressus esset, pro impleto numerari.* Neque opus erit legis Papiae Poppaeae in hac quidem re mentionem iniicere, qua lege mariti reliquis praeferrentur, quamvis Tacitus id significasse videri possit, quum *matrimonium cum femina splendidis natalibus orta ad maiora nitenti decus ac robur fuisse dicat* (c. 6). Quod autem cum tribunatu praeturam eum statim continuasse statuo, id scilicet ei licuit legis Papiae Poppaeae beneficio, ut supra exposuimus. Ne temere hoc a me arreptum et coniectatum putes, tu compara iam ipsius Taciti verba cap. 6, quae ita demum plene intelliges: *auctus est ibi filia in subsidium simul et solatium, nam filium ante sublatum brevi amisit.* Solatio fuisse Agricolae natam filiam, id facile intelligitur, at quomodo subsidio esse poterat? Boxhornius quidem

*) Reliqui veterum scriptorum loci, in quibus illius legis in petendis honoribus beneficium commemoratur, hi sunt: Ulpianus L. 2 de minoribus (Dig. IV, tit. 4) *quod enim legibus cavetur, ut singuli anni per singulos liberos remittantur, ad honores pertinere divus Severus ait, non ad rem suam recipiendam.* L. 2 de muneribus et hon. (Dig. L. tit. 4) *quod ad honores pertinet, creditur in potestate filium habere etiam is, qui in patris potestate est.* Tac. Ann. II, 51 *contra plerique nitebantur, ut numerus liberorum in candidatis praepolleret, quod lex iubebat.* III, 56 *esse illi coniugem et tres liberos eamque aetatem, qua ipse quondam a divo Augusto ad capessendum hoc munus vocatus sit.* XV, 19 *percrebruerat ea tempestate pravissimus mos, cum propinquis comitiis aut sorte provinciarum plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios, praeturasque et provincias sortiti statim emitterent manu, quos adoptaverant. — Sibi promissa legum diu exspectata in ludibrium verti, quando quis sine sollicitudine parens, sine luctu orbus longa patrum vota adaequaret.* Fronto epist. VIII *postquam iure liberorum prior alius apparuit, eam quae mihi remansit splendidissimam provinciam pro electa habui.*

**) Quantum in his ruerit Walchius, apud quem pleraque contorta et perversa deprehenduntur, uno doceam exemplo. Agricola, qui (quod idem statuit Walchius) anno 825 ex remotissima in Britannia militia redit et post hoc tempus uxorem ducit, anno insequenti 826 apud Walchium (p. 449) altera iam filiola augetur!

ait „sc. familiae propagandae" melius; recordaberis illud ius liberorum *).

A. U.	A. Chr.	Agr. N.	
793	40		Agricola nascitur Caio Caesare tertium consule Idibus Iuniis.
812	59	19	in Britanniam profectus prima castrorum rudimenta ponere coepit tribunus in contubernio Suetonii Paullini.
815	62	22	ex Britannia in urbem redit.
816	63	23	Domitiam Decidianam uxorem ducit.
817	64	24	puer ei nascitur, qui brevi moritur.
818	65	25	quaestor factus provinciam Asiam sortitur. Augetur ibi filia.
819	66	26	annus inter quaesturam ac tribunatum.
820	67	27	tribunatu fungitur.
821	68	28	praetor fuit sub Nerone. Quia iurisdictio non obvenerat, primum nil nisi ludos et inania procurabat, *tum*, quum Neroni a. d. V Idus Iun. mortuo Galba successisset, *ab eo electus est ad dona templorum recognoscenda.*
822	69	29	dum classis Othoniana licenter vaga Intemelios populatur (cf. Hist. II, 13), mater Agricolae mense aut Martio aut Aprili (quo mense mortem sibi conscivit Otho) in praediis suis interficitur. Igitur ad sollemnia pietatis profectus, dum in Liguria versatur, ibi deprehenditur nuntio affectati a Vespasiano imperii, qui inde a mense Iulio in provinciis imperator consalutari coepit (Hist. II, 79), ac statim in partes eius transgressus est.
823	70	30	Agricola a Muciano, qui interfecto (die XXIV Dec. 822) Vitellio in urbem ingressus (Hist. IV, 11) initia principatus ac statum urbis regebat (Hist. IV, 39), missus ad delectus agendos in Britannia vicesimae legioni praeponitur.

*) Maiori certe iure haec verba ad illam legem referenda esse censeo, quam Heineccius lib. laud. p. 221 inscriptiones quasdam, in quibus quia pueri biennes *BENE MERENTES* appellantur, ille hoc meritum infantium legis Papiae Poppaeae beneficiis metitur. Non fecisset hoc, si novisset, BENE MERENS apud Romanos fere constans et perpetuum esse demortuorum epitheton, in quo non peculiaris vis quaerenda est. Conferri potest hic mos cum consuetudine Graecorum, qui defunctis nomen addunt ὁ χρηστός, quod exemplis edocuit Franz elementis epigraph. graecae p. 339 et cum populorum orientalium, Syrorum, Phoenicum, Aegyptiorum, more, qui mortuos *Iustos* cognominant, de quo more disserui in libello, quem anno 1843 contra Ewaldium scripsi de punicis plautinis p. 32 sq.

U. A.	Chr.	Agr. N.	
26	73	33	revertens a legatione legionis a Vespasiano inter patricios adscitus est.
27	74	34	praeponitur provinciae Aquitaniae, in qua legatione minus triennium detentus, ad spem consulatus revocatus est.
30	77	37	Consul filiam suam despondet Tacito.
31	78	38	in Britanniam transgreditur legatus consularis media aestate.
37	84	44	Britannos devicit ad montem Graupium, si quidem haec pugna septimo expeditionis anno commissa est. Sin per octo annos bellum gestum est (cf. supra p. 195), anno 838 illud evenit. Legionibus exeunte anno in hibernis locatis anno sequente (*nam etiamtum Agricola Britanniam obtinebat* c. 39), anno igitur aut 838 aut 839, provincia tradita successori Romam reversus, abhinc tranquillitatem atque otium amplexus est. Nam proconsulatum Asiae et Africae, quum suus annus adesset, sortiri noluit.
46	93	53	a. d. X. Kal. Septembr. mortuus est *quarto et quinquagesimo* aetatis *anno*, veneno, ut rumor erat, interceptus.
50	97		*quadriennio* post eius mortem vitam Agricolae composuit ediditque Tacitus. p. 145.

VI.

DE QUIBUSDAM HOMINIBUS QUORUM FIT MENTIO.

Paetus Thrasea Patavinus, stoicae disciplinae addictus eiusque praecepta constanter in vita secutus, libertatis et veteris reipublicae amantissimus, Catonis Uticensis, cuius et vitam composuit *), mores et gravitatem referebat **). Hunc, quum nullius criminis convinci posset, Nero, qui ipse summam ei laudem impertivisset ***), anno 819 ad mortem damnavit, quia vultum et spiritum et libertatem insontis extimescebat (Ann. XVI, 24) ipsamque virtutem interfecto eo exscindere concupivit (Ann. XVI, 21). Diu invisus erat Neroni, cui levioribus etiam in rebus refragaretur, quod, quum amici rationem poscerent, patrum honori se dare respondebat, ut manifestum fieret, magnarum rerum curam non dissimulaturos, qui animum etiam levissimis adverterent †). Altius offensio penetrabat, quod in ludis neque Neronem cantantem audire, neque ipse operam praebere voluit ††). Poppaeae quum deum honores decernerentur, sponte absens funeri non interfuit. Caussa autem primaria periculi fuit, quod, quum de Agrippina, Neronis matre, ab ipso interfecta, quam ad senatum scripserat insidias sibi struxisse mortemque sibimet ipsam conscivisse, in senatu referretur, reliquis senatoribus humiliter supplicationes decernentibus, priusquam itum est in sententias, surrexit et senatu exiit †††). Iam Capito Cossu-

*) Plutarch. Cat. min. c. 25. 37.

**) Martial. I, 9 *magni Thraseae consummatique Catonis dogmata.* Natalibus Brutorum et Cassii solebat, ut refert Iuvenalis V, 36, coronatus praestantissimum vinum bibere.

***) Plutarch. *πολιτικῶν παραγγελμάτων* 33. p. 810 (14. p. 249): *Νέρων ὀλίγον ἔμπροσθεν ἢ κτεῖναι τὸν Θρασέαν μάλιστα μισῶν καὶ φοβούμενος, ὅμως ἐγκαλοῦντός τινος ὡς κακῶς κεκριμένου καὶ ἀδίκως, ἠβουλόμην ἂν, ἔφη, Θρασέαν οὕτως ἐμὲ φιλεῖν, ὡς δικαστὴς ἄριστός ἐστιν.*

†) Ann. XIII, 49. Cf. Ann. XIV, 49. XVI, 21.

††) Ann. XVI, 21. Dio Cass. LXII, 26.

†††) Ann. XIV, 12. XVI, 21. Dio Cass. LXI, 15.

tianus et Marcellus Eprius omnia eius facta dictaque calumniantes variaque crimina comminiscentes multiplicem accusationem contexuerunt. Obiecta crimina quamquam Thrasea requirebat et expurgaturum se adseverabat, si notitiam eorum et copiam diluendi habuisset, tamen indicta caussa damnatus est. Datum ei est mortis arbitrium. Thrasea, qui tum in hortis erat, ab amico edoctus, quid senatus censuisset, familiares, qui aderant, propere facessere iussit, ne pericula sua cum damnati sorte miscerent, Arriamque coniugem, Caecini Paeti et Arriae filiam, tentantem mariti suprema et exemplum Arriae matris *) sequi, monet retinere vitam filiaeque communi, Fanniae, subsidium unicum non adimere. Accepto deinde senatusconsulto porrectis utriusque brachii venis sanguinem effundens *libamus*, inquit, *Iovi liberatori* **). Ann. XVI, 28 dicitur *consularis*, itemque c. 27 verba *consulatum adepti* ad Thraseam videntur referenda esse. Fuit igitur aliquando consul suffectus. Multa commemorantur eius dicta. *Qui vitia odit, homines odit* (Plin. ep. VIII, 22). *ὁ μὲν Νέρων ἀποκτεῖναί με δύναται, βλάψαι δὲ οὐ* ***). — *Θρασέας εἰώθει λέγειν, σήμερον ἀναιρεθῆναι θέλω μᾶλλον, ἢ αὔριον φυγαδευθῆναι* †). *Suscipiendas esse caussas aut amicorum aut destitutas aut ad exemplum pertinentes* (Plin. ep. VI, 29). Neronis adulatores deridet apud Dionem LXI, 15. Strenuum iudicem agit Ann. XV, 20.

Priscus Helvidius maior, ex municipio quodam ††) Italiae ortus, sub Nerone quaestor in Achaia †††), quaestorius a Paeto Thrasea gener electus (Hist. IV, 5), anno 809 tribunus plebis (Ann. XIII, 28), anno 819 soceri ruina ex Italia pulsus (Ann. XVI, 33), Apolloniam concessit (schol. Iuven. V, 36). Ut Galbae principatu rediit, Marcellum Eprium, Thraseae delatorem, accusare aggressus (Hist. IV, 6. 43), sub Vitellio praetor designatus (H. II, 91), a. 823 praetor capitolii aream lustravit (H. IV, 53), deinde denuo relegatus atque mox interfectus. Miserat Vespasianus, qui percus-

*) Cf. de ea Plin. ep. III, 16. Martial. I, 14. Dio Cass. LX, 16.

**) Ann. XVI, 35. Dio Cass. LXII, 26. Vallae schol. ad Iuven. V, 36.

***) Dio Cass. LXI, 15. Idem excerptis Vatic. ed. Sturz p. 102.

†) Dio Cass. excerpt. Vat. p. 104. Arrian. diss. I, 1, 26.

††) Quod Hist. IV, 5 cod. Mediceus habet: *Helvidius Priscus regione Italiae Carecinae municipio Cluvio s patre qui* cett. id sic scribendum suspicor: *Helvidius Priscus, origine Cluvinus, patre qui ordinem primipili duxisset.* His adscriptum fuit interpretamentum: *Italiae Carecinae municipio.* Nimirum *Carecinorum*, Samnitium gentis, quorum agros glossator *Italiam Carecinam* nominat, primaria quidem urbs est *Aufidena*, sed prope ab ea abest altera urbs *Cluvia*, cuius mentionem iniicit Livius IX, 31 *in Samnio Cluviam, praesidium Romanum, quia nequiverat vi capi, obsessum fame in deditionem acceperant Samnites.*

†††) Vallae schol. ad Iuven. Sat. V, 36. Apud Tacitum Ann. XII, 49 commemoratur Helvidius Priscus anno 804 legatus cum legione in Asiam missus. Eum Lipsius haud scio an recte alium esse suspicetur.

sores revocarent, atque servasset, nisi iam periisse falso renuntiatum esset *).

Laudat et admiratur eum Tacitus Hist. IV, 5 sq.; ingenium illustre ait admodum iuvenem altioribus studiis (Stoicae philosophiae) dedisse, cunctis vitae officiis aequabilem, recti pervicacem, constantem adversus metus. E moribus soceri dicit eum nihil aeque ac libertatem hausisse; addit fuisse, quibus appetentior famae videretur. Quem si quis dixerit non satis scivisse medium inter contumaciam et obsequium iter pergere et ab ea certe, quae Agric. 42 commendatur, moderatione alienum fuisse, non puto ipsum Tacitum contra dicturum esse. At iniquius de eo iudicat Dio Cass. LXVI, 12 *τὴν τοῦ Θρασέου παῤῥησίαν οὐ σὺν καιρῷ μιμούμενος — ταραχώδης τε ἦν καὶ τῷ ὄχλῳ προσέκειτο, βασιλείας τε ἀεὶ κατηγόρει καὶ δημοκρατίαν ἐπῄνει καὶ ἔπραττεν ἀκόλουθα τούτοις, ὥσπερ που φιλοσοφίας ἔργον ὄν, τό τε τοὺς κρατοῦντας προπηλακίζειν καὶ τὸ τὰ πλήθη ταράττειν τό τε τὰ καθεστηκότα συγχεῖν καὶ τὸ νεώτερα αὐτοῖς πράγματα ἐπεισάγειν.* Addit, eum non reputasse, alia fuisse Thraseae tempora, qui sub Nerone vixerit. Similiter Suetonius Vesp. 15 pervicacem eum fuisse significat: *Helvidio Prisco, qui et reversum se ex Syria solus privato nomine V e s p a s i a n u m salutaverat, et in praetura omnibus edictis sine honore ac mentione ulla transmiserat, non ante succensuit, quam altercationibus insolentissimis paene in ordinem redactus.* Cf. etiam Arrianum dissert. I, 2. Antoninus vita sua I, 14 eum magnis hominibus, Thraseae, Catoni, adiungit. .

Herennius Senecio, natus in Baetica **), ibique postea quaestor. Baetici quum Baebium Massam accusassent, Senecio cum Plinio huic provinciae advocatus contra illum a senatu datus est. Damnato Massa Senecio censuerat, ut bona eius publice custodirentur, adiitque consules, ne bona dissipari sinerent, quorum esse in custodia deberent. Tum Massa questus, Senecionem non advocati fidem, sed inimici amaritudinem implesse, impietatis eum reum postulat. Sic quidem refert Plinius ep. VII, 33. Impietatis crimen quum vix quidquam differat a maiestatis crimine (cf. paneg. 33), sunt, qui Senecionem vere hoc nomine a Massa accusatum esse putent, qui eum forsitan arguerit illa de bonis custodiendis sententia obscure significasse, metuendum esse, ne connivente Caesare Massa bona sua subtraheret. Verum Senecio non a Baebio Massa accusatus est, sed a Metio Caro. Hic enim, quum M. Regulus Sene-

*) Sueton. Vesp. 15. Interfectum eum esse anno 828 Masson. vit. Plin. mira ratiocinatione elicit. Orellius anno 826 id accidisse memorat.

**) Non Baeticus videtur fuisse natione, sed rectius suspicaberis, matrem eius maritum in provinciam secutam ibi eum peperisse.

cionem mortuum intemperanter laceraret, *quid tibi*, inquit, *cum meis mortuis?* Plin. ep. I, 5. Neque maiestatis crimine arcessitus est, sed et Dio Cassius LXVII, 13 Senecionem a Domitiano occisum tradit, *ὅτι τε οὐδεμίαν ἀρχὴν ἐν πολλῷ βίῳ μετὰ τὴν ταμιείαν ᾐτήκει* *), *καὶ ὅτι τοῦ Πρίσκου τοῦ Ἑλουϊδίου τὸν βίον συνέγραψε*, et Tacitus c. 2 diserte *legimus*, ait, *quum Senecioni Priscus Helvidius laudatus esset, capitale fuisse*, et ipse Plinius VII, 19 narrat: *quum Senecio reus esset, quod de vita Helvidii libros composuisset.* Videtur igitur Plinius, qui epistola illa (VII, 33) a Tacito petit, ut in historiis suis ea, quae in insectando Massa Baebio Senecio et ipse egerint, *utcunque se habent, notiora, clariora, maiora faciat*, minationem aliquam, quam Massa apud consules iecerat, pro accusatione venditasse, ut maior videretur sua magnanimitas, qua tunc Massam provocaret, *ut se quoque reum postularet.* Sed ad hanc quorundam opinionem, qui alio crimine Senecionem arcessitum putarent, respicere videtur Tacitus c. 2, quum dicit *legimus, quum Senecioni Priscus Helvidius laudatus esset, capitale fuisse.* Ad quem locum vide quae in commentariis adnotata sunt. Ceterum non negaverim, in deferendo Senecione videri aliquas partes fuisse Baebii, qui forsitan Metium Carum ad delationem instigarit. Etenim quamquam nullum apud scriptores huius rei indicium exstat, tamen id quodammodo coniectari posse ex Taciti verbis: *et Massa Baebius iam tum reus erat* c. 45, infra exponam, ubi de Massa agetur.

Quod Tacitus c. 45 dicit, *nos innocenti sanguine Senecio perfudit*, id nihil erit nisi: interfuimus eius supplicio (anno 847), de quibus spectaculis itidem in sequentibus T. conqueritur. Frustra igitur *perfudit* multi explicant *perculit*, *exterruit.* Agitur enim de supplicio, si minus in curia, tamen coram senatoribus sumto. Cf. Suet. Domit. 11, ubi, quum quidam maiestatis rei a senatu condemnati essent more maiorum **) puniendi, *Domitianus atrocitate poenae exterritus, ad leniendam invidiam intercessit his verbis: damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis, nam et parcetis oculis vestris, et intelligent me omnes senatui interfuisse.* Simili clementiae specie, quum decretum esset, ut quidam more maiorum punirentur, *Nero intercessit, mortem sine arbitro permittens.* Ann. XVI, 11 Videtur igitur similiter, ut Claudius, quem Suetonius c. 34 refert *saevum et sanguinarium poenas parricidarum repraesentasse et coram exegisse et spectare antiqui moris supplicium concupivisse*, pariterque

*) Cf. Hist. I, 2 *omissi gestique honores pro crimine et ob virtutes certissimum exitium.*

**) Ann. II, 32. IV, 30. Suet. Ner. 49. Claud. 34. Liv. I, 26.

ut Tiberius, qui (Suet. 62). *damnatos post longa et exquisita tormenta praecipitari coram se in mare iubebat*, ita Domitianus suppliciis tanquam spectaculis et ipsum interfuisse et senatores, ut adessent, coegisse.

Arulenus Rusticus, quem Plin. I, 5 Rusticum Arulenum, Sueton. Domit. 10 *Iunium Rusticum* nominant *), anno 819, quum adesset consilio, quo Thrasea cum suis deliberabat, num in senatum iret et defensionem tentaret, cupidine laudis offerebat se intercessurum senatusconsulto, nam plebi tribunus erat. Cohibuit flagrantis iuvenis spiritus Thrasea, ne vana et reo non profutura, intercessori exitiosa tentaret (Ann. XVI, 26). Anno 822 praetor mittitur a Vitellio ad exercitum, cui praeerat Petilius Cerealis, pacis laturus conditiones, ubi vulneratus est. *Auxit invidiam super legati praetorisque nomen dignitas viri* (Hist. III, 80). Anno 847 occisus a Domitiano propter laudationem Paeti Thraseae. Agr. c. 2. Dio Cass. LXVII, 13 *ὅτι ἐφιλοσόφει καὶ ὅτι τὸν Θρασέαν ἱερὸν ὠνόμαζεν.* Suet. Domit. 10 *quod Paeti Thraseae et Helvidii Prisci laudes edidisset appellassetque eos sanctissimos viros.* Plutarch. de curios. p. 522 D *ὃν ἀπέκτεινε Δομιτιανὸς τῇ δόξῃ φθονήσας.* Inter accusatores fuerat M. Regulus, quem Plinius ep. I, 5 dicit periculum Aruleni fovisse et morte eius exsultasse, adeo ut librum publicaret, in quo Rusticum Stoicorum simiam appellaret. Idem Plinius I, 14 tenerrimam ei servat amicitiam, eiusque fratri Maurico scribit: *scis enim, quantopere summum illum virum suspexerim dilexerimque.*

Iunius Mauricus, Aruleni Rustici frater. Quod Tacitus c. 45 dicit: *nos Mauricum Rusticumque divisimus*, intelligendum est, Rusticum, quum damnatus ad mortem abduceretur, de fratris complexu divellendum fuisse **). Ipse Mauricus eodem tempore a Domitiano relegatus (Plin. III, 11), sub Nerva ab exilio rediit. Plinius ep. I, 5 eum dicit *virum gravem, prudentem, multis experimentis eruditum et qui futura possit ex praeteritis videre* (ep. I, 5); *quo viro nihil verius, nihil firmius* (ep. IV, 22). Nonnulla constanter et fortiter ab eo dicta collaudantur ibidem. Plinius ultione insecta-

*) Propter inscriptionem quandam: *L. IUNII RUSTICI PHILOSOPHI STOICI L. IUNIUS L. L. MYRINUS P. P.* plenum eius nomen Lipsius ad Agr. c. 45 suspicatur fuisse: L. Iunius Arulenus Rusticus. Sed facile ille alius fuerit Rusticus. Nostri filium fuisse Rusticum eum, qui praeceptor Antonini ab hoc commemoratur vita sua I, 7 et a Capitolino in Marco c. 3, coniicit Reimarus ad Dion. p. 1111.

**) Hist. IV, 14 *instare delectum, quo liberi a parentibus, fratres a fratribus velut supremum dividantur.* Ovid. Trist. I, 3, 73 *Quosque ego fraterno dilexi more sodales, dum licet, amplectar, nunquam fortasse licebit amplius. Dividor haud aliter, quam si mea membra relinquam, et pars abrumpi corpore visa suo est.* Paullo post v. 81 idem dicitur *avelli*, uti apud Cic. pro Font. 17, 36 *num etiam de matris complexu filium avellet atque abstrahet?* Sall. Cat. 51, 9 *divelli liberos a parentum complexu.*

turus M. Regulum, qui Arulenum Rusticum et Senecionem maledictis laceraverat, Maurici reditum exspectat, quem ait consilii sibi non comitem, sed ducem futurum esse (ep. I, 5). Olim sub initium regni Domitiani, quum qui sub Nerone accusationes exercuissent ultione exagitarentur, Mauricus a Caesare petivit, ut commentariorum principalium potestatem senatui faceret, per quos nosceret, quem quisque accusandum poposcisset (Hist. IV, 40). Domitianus tum consulendum tali super re principem esse respondit, atque haud scio an iam ab hoc tempore Mauricum denotatum inter suspectos odio suo reservarit. Scripta ad eum est Plinii ep. I, 14.

Priscus Helvidius minor, Helvidii maioris, de quo supra exposuimus, filius, quamquam metu temporum nomen ingens paresque virtutes secessu tegebat (Plin. ep. IX, 13), tamen a Domitiano occisus est, quasi scenico exodio sub persona Paridis et Oenones divortium suum cum uxore taxasset (Suet. Domit. 10). Accusator eius fuerat Publicius Certus, quem post Domitiani mortem in iudicium adduxit Plinius subscribentibus Anteia, Helvidii uxore, Fannia, eiusdem noverca, et huius matre Arria. Damnatus est Certus hoc iudicio, de quo uberius exposuit Plinius ep. IX, 13, qui et peculiares de Helvidii ultione libros composuit (ibid. et VII, 30). Quod Tacitus c. 45 narrat: *mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus*, id conferendum videtur cum Plinii (IX, 13, 2) verbis: *inter multa scelera multorum nullum atrocius videbatur, quam quod in senatu senator senatori, praetorius consulari, reo iudex manus intulisset.* Videntur igitur tum Helvidio in senatu manus intulisse, quod ne Thraseae accideret, olim metuerunt eius amici, qui, cum consultaretur, num in senatum iret ad se defendendum, hoc dissuasuri opponebant: *ludibria et contumelias imminere, subtraheret aures conviciis et probris, non solum Cossutianum aut Eprium ad scelus promptos; superesse, qui forsitan manus ictusque intentent per immanitatem* (Ann. XVI, 26). Simul ex illis Plinii dictis consequitur, consularem fuisse Helvidium, praetorius certe ille Certus est, qui tum *praefectus aerarii erat et brevi consul* (ep. IX, 13, 11).

Metius Carus, unus ex famosissimis delatoribus, de quo hominum genere scriptores illius aetatis multis locis conqueruntur *),

*) Iam sub Tiberio exercuerunt nequitiam, de qua Seneca de benef. III, 26 *sub Tiberio Caesare fuit accusandi frequens et paene publica rabies, quae omni civili bello gravius togatam civitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas iocantium; nihil erat tutum, omnis saeviendi placebat occasio.* Maxime autem sub Domitiano grassabatur ista pestis, de qua Plinius paneg. 34 *vidimus delatorum iudicium, quasi grassatorum, quasi latronum. Non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant.*

accusavit Senecionem (vide supra), itemque Plinium deferre in animo habuerat (ep. VII, 27, 14). Ipsum deinde cum Baebio Massa accusatum esse deferente Heliodoro, adnotat schol. Iuvenalis ad I, 35, qui eum nanum fuisse memorat. Mentionem eius iniiciunt Iuven. l. l. et Martialis XII, 25, 5.

Catullus Messalinus, insigni nequitia homo, qui *luminibus orbatus ingenio saevo mala caecitatis addiderat; non verebatur, non erubescebat, non miserebatur: quo saepius a Domitiano tela — in optimum quemque contorquebantur* (Plin. ep. IV, 22), *mortifer Catullus, grande et conspicuum nostro quoque tempore monstrum* (Iuven. IV, 113), *calumniator praecipuus* (Aurel. Vict. epit. 12).

Baebius Massa, *e procuratoribus Africae, iam tunc* [anno 823] *optimo cuique exitiosus et inter caussas* *) *malorum, quae mox tulimus, saepe rediturus* (Hist. IV, 50), accusatus a provincia Baetica, in iudicium adductus est ab Herennio Senecione et Plinio (Plin. ep. VII, 33. III, 4. VI, 29. vide supra). Ad hanc accusationem referendum erit, quod Tacitus c. 45 dicit *Massa Baebius — reus erat.* Sed difficultas quaedam est in eo, quod dicit *iam tum reus erat.* Quod quum esse videatur: Baebius, qui postea reus fuit, idem iam tum (paullo ante mortem Agricolae) reus erat, facile vides id non congruere cum reliquorum verborum sententia. Nam quum exponatur, maximam malorum molem post Agricolae mortem ingruisse, quorum tunc prima modo initia exstiterint: si Baebium Massam postmodo etiam reum fuisse significatur, hoc profecto non tale quid est, quo res deinceps in peius mutatae videri possint. Neque huc pertinet, quod Baebium *morionem* deinceps deferente Heliodoro cum Metio Caro accusatum esse schol. ad Iuvenalis sat. I, 35 tradit. Itaque Orellius *iam tum* hoc loco significare ait: tunc ipsum, gerade damals; at quae Hand Tursell. III, 113, quem excitat, exempla affert, ea neutiquam dixerim aut nostro loco similia esse, aut omnino talia, ut inde illa harum particularum vis elici possit. Equidem diu censebam, amplectendam esse hoc loco codicis Δ scripturam *Massa Baebius tum reus erat* hac sententia: Baebius, qui tum reus esset, nondum ea florebat gratia et potentia, ut delationes exercere posset. Verum et tenuis est illius codicis, qui saepe voculas omittit, in hac re auctoritas, et alia deinceps mihi se offerebat illorum verborum interpretatio. Reliquorum enim verborum sententia est: malorum, quae postea experti sumus, tunc prima modo initia apparuerunt. Quid igitur? si sta-

*) Vulgo scribitur *in caussas*, quod ferri non potest. Mihi aut *inter caussas* scribendum videtur, ut saepe dicitur *inter exempla esse*, aut *in caussis*.

tuamus, Massam Baebium, eo, quod reus factus est, ad delationes instigatum esse, ut ab adversariis poenas repeteret? Hoc modo harum funestarum Baebii delationum *iam tum* prima initia posita dicerentur, quippe Baebium ulciscendi caussa *iam tum*, eo, quod reus esset, irritatum, delationes esse meditatum. Inest hoc modo in verbis illis acumen quoddam, Tacito profecto dignum. Atque et Capitonem Cossutianum cognovimus ad Thraseam deferendum eo impulsum esse, *quod auctoritate eius concidisset, iuvantis Cilicum legatos, dum Capitonem repetundarum interrogant* (Ann. XVI, 21), et Baebium Senecioni, Baeticorum contra se advocato, delationem vere minitatum esse supra (in Senecione) vidimus, neque non verisimile est, ab eo Metium Carum ad illum accusandum instigatum esse. Quid? si Walchium p. 115 audimus, quamquam is neminem auctorem habet, omnes illius temporis delationes ab illo Baebii periculo repetendae sunt.

Eodem tempore, quo Arulenus Rusticus et Senecio occisi sunt, Dio Cassius tradit **expulsos sapientiae professores** *). Apud Dionem Reimarus adscripsit annum 848, quia paullo post (c. 14) idem Dio refert *κἀν τῷ αὐτῷ ἔτει ἄλλους τε πολλοὺς καὶ τὸν Φλάβιον Κλήμεντα ὑπατεύοντα* **) *κατέσφαξεν*. Quum apud Dionem alia interposita sint *ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ* facta, non omnino certum videtur, num *τῷ αὐτῷ ἔτει* ad illam potissimum rem referendum sit, sed tamen a Reimari sententia haud multum discrepat Eusebii memoria, qui chronico (Hieronymi opera ed. Vallars. VIII p. 688) hanc relegationem philosophorum anno regni Domitiani XV adscribit ***), qui est annus a mense septembri anni 848 usque ad eundem mensem anni 849. Quibus si addis Suetonium Domit. 15 referre: *Flavium Clementem tantum non in ipso eius consulatu interemit, quo maxime facto maturavit sibi exitium. Continuis octo mensibus* cett. omnia haec testimonia bene concinunt, si in confiniis anni 848 et 849 illud evenisse statues. Confici res posset, si constaret, quo anno Plinius, qui tunc praetor erat (Plin. ep. III, 11), praetura functus sit. At hoc nescimus, nam Masson, qui anno 846 illum praetorem fuisse asserit, non idonea affert argumenta. Sed tamen in re nostra alicuius momenti illud est, quod idem Masson comme-

*) Dio Cass. LXVII, 13. Agr. c. 2. Plin. paneg. 47. ep. III, 11. Gellius XV, 11. Philostrat. vit. Apollon. VII, 4.

**) Philostr. vit. Apollon. VIII, 25 *ἔτυχε γὰρ Κλήμεντα ἀπεκτονὼς ἄνδρα ὕπατον.*

***) Eusebius refert *δεύτερον ἀπήλασεν τοὺς φιλοσόφους*, itemque Dio Cassius *ἐξηλάθησαν αὖθις*, et ille quidem annum Domitiani VIII nominat, quo illud primum evenerit. Apud Dionem Reimarus p. 1111 respici putat priorem aliquam sub Vespasiano (Dio Cass. LXVI, 13) philosophorum expulsionem. Non operae est haec disquirere, nihil enim pertinent ad Tacitum.

morat. Nam Plinius a Gratilla eodem illo anno relegata (ep. III, 11) coheres scriptus, ep. V, 1, 10 narrat: *iam biennium transisse omniaque se usucepisse.* Atqui epistola illa scripta videtur etiamtum regnante Domitiano, nam *coheredes transigere cupiebant metu temporum; verebantur ne ex centumvirali iudicio capitis rei exirent.* Ergo biennio ante Domitiani mortem Gratilla heredes reliquit, ideoque non post annum 847 relegata est. Itaque philosophos cum Tillemontio, Broterio, Walchio anno 847 expulsos suspicari malim. In eundem igitur annum incidit Plinii praetura.

VII.

EDITIONES ET CURAE VIRORUM DOCTORUM *).

Praeter eos editores, qui olim omnes Taciti libros complexi sunt, Agricolae vitae operam navarunt:

Mich. Virdungi commentarius in Agricolae vitam scriptore Corn. Tacito. Argentorati 1617. ab auctore nuper recensitus auctusque. Norimb. 1637. 8°.

T. Agricola cum commentario M. Zuerii Boxhornii. Lugd. Bat. 1642. 12°. repetito in editione Tac. Opp. Amstelod. 1664. 12°.

T. Agricola cum notis I. Andr. Bosii. Ien. 1656. 8°. †

Agricolae vita scriptore C. C. Tacito cum notis Aug. Buchneri primum editis cura Georgii Schubarti. Lips. 1683. 8°.

T. Agricola emendavit et novam versionem germanicam adiecit Michael Engel. Lips. 1788. 8°.

T. Agricola übersetzt und erläutert von Gottl. Friedr. Arzt. Meissen 1800. 8°. 1820.

Christ. Guil. Dahl animadversiones criticae in T. Agricolam. Rostock 1802. 4°.

T. Agricola lateinisch und deutsch von C. F. Renner und I. C. Fincke. Götting. 1808. 8°. zweite Aufl. berichtigt von Aug. Schlegel. Götting. 1816. 8°.

T. Agricola lateinisch und deutsch mit Anmerkungen von I. Ch. Schlüter. Duisburg und Essen 1808. 8°.

T. Agricola ed. M. F. Sörgel. Lemgo 1810. 8°.

T. Agricola in usum scholarum ed. G. Seebode. Götting. 1812. 8°.

*) Quae ipse non habui, iis asteriscum appinxi.

H. G. F. Klein animadversiones criticae in Taciti Agricolam. Ienae 1813. †

Taciti opera. Mit Einleitung und erklärenden Anmerkungen von I. K. Weikert. T. I. Lips. 1813.

T. Agricola illustravit S. N. I. Bloch. Copenhag. 1814. 8°. †

T. Agricola übersetzt von I. F. Stolz. Bremen 1816. 8°. †

Tacitus Werke übersetzt von F. K. von Strombeck. T. III. Braunschweig 1816. 8°.

N. S. Anquetil quaedam Taciti loca notis tentata. Paris. 1817. 8°.

Tacitus Werke übersetzt von K. L. von Woltmann. T. VI. Prag. 1817. 8°.

L. Doederlein emendationes et observationes in T. Agricolam in Actis Monacensibus. Vol. II p. 365 sq. 1816. 8°.

T. Agricola deutsch nebst Rechtfertigungen von L. Doederlein. Aarau 1817. 8°. De hoc libro iudicatum est in: das Fegfeuer oder Blätter zur Kritik der neuesten Uebersetzungen griech. und röm. Schriftsteller. Erstes Heft. Bern und Leipz. 1819. 8°.

The Germany and Agricola of Tac. from Brotier's text with all his observations, notes and emendations edited by Edm. Henry Barker. Lond. 1818. 8°. †

T. Agricola übersetzt von Rumpf. Giefsen 1821. 8°. †

A. Mohr Bemerkungen zu und über T. Agricola. Meiningen 1823. 8°.

Ludwig Bischoff über T. Vorrede zum Agricola. Wesel 1824. 8°.

I. H. Th. Brüggemann Observationes in T. Agricolam. specim. I. Düsseldorf 1824. 8°.

T. Agricola cum lectionis varietate atque adnotatione ed. Ern. Dronke. Confluentibus 1824. 8°.

T. Agricola übersetzt und erläutert von H. W. F. Klein. München 1825. 8°.

Taciti de vita et moribus Agricolae libellus recensuit et ad fidem cod. Vaticani emendavit notasque adspersit U. I. H. Becker. Hamb. 1826. 8°.

Ch. F. G. Selling Observationes criticae in Agricolam. Curiae Regn. 1826. 4°.

Taciti de vita et moribus Agricolae liber in usum scholarum ed. F. G. G. Hertel. Lips. 1827.

Taciti de Vita et moribus Agricolae lib. ed. et adnotatione illustravit Petrus Hofman Peerlkamp. Lugd. Bat. 1827. 8°.

T. Agricola cum interpretatione a Gustavo Schede. Ilmenau 1827. 8°. †

Tacitus Werke übersetzt von Fr. Reinh. Ricklefs. Oldenb. 1827. 8⁰. †

Taciti vita Agricolae ad libros scriptos et editos recognovit, emendationibus et critica notatione instruxit G. L. Walchius. Berol. 1827. 8⁰.

Tacitus' Agricola. Urschrift, Uebersetzung, Anmerkungen und eine Abhandlung über die Kunstform der antiken Biographie durch G. L. Walch. Berlin 1828. 8⁰. De hoc libro iudicium fecit Fr. Iacob in Iahnii Annal. T. VII p. 161 sq. et anonymus, quem aiunt esse Godofredum Hermannum, in Diurnis litt. Lips. 1828. no 46.

T. Agricola übersetzt von W. Bötticher. Berlin 1830. 8⁰.

H. C. Abr. Eichstadius de T. Agricolae c. 2. Ind. schol. per aestat. 1830 habendarum. Ien. 1830. 4⁰.

Krjukow observationes ad Tac. Agricolam. Dorpat. 1832. †

Taciti de vita et moribus Agricolae libellus mit Erläuterungen und Excursen von C. Ludw. Roth. Nürnberg 1833. 8⁰.

Taciti opera recensuit et commentarios adiecit G. Henr. Walther. T. IV. in quo continentur opera minora, curavit F. Aug. Ecksteinius. Halis 1833. 8⁰.

Taciti opera emendavit et scholarum in usum illustravit Nicol. Bach. Vol. II. Lips. 1835. 8⁰.

Taciti opera ad opt. libr. fidem recognovit et adnotat. perpetua instruxit G. Alex. Ruperti. Vol. IV. Hannov. 1834. 8⁰. †

F. Ant. Rigler adnotationes maximam partem criticae ad T. Agricolam. Cleve 1835. 4⁰.

A. Giesebrecht symbolae criticae et hermeneuticae ad T. Agricolam. Cöslin 1835. 4⁰.

T. vita Agricolae recognovit brevique adnotat. critica instruxit Franc. Ritter. Bonn 1836. 8⁰.

H. Ed. Fofs quaestiones criticae de T. Agricolae c. 6. Hist. I, 30. quibus interposita est disputatio historica de praetoribus Romanis, qui sub imperatoribus fuerunt. Altenb. 1837. 4⁰.

F. Brandes Observationes in T. Agricolam. Rostock 1838. 4⁰.

Ch. G. Herzog accuratior loci Tac. Agricolae c. 2. interpretatio. Gerae 1838. 4⁰.

A. Gottl. Gernhard epistola ad Herzogium de Tac. Agricolae c. 2. init. Vimariae 1838. 4⁰.

Heimberg de Agric. c. 2 epistola gratulatoria ad Eichstadium. Ien. 1839. †

Ch. G. Herzog nova interpretatio loci in Agric. c. 6. Gerae 1840. 4⁰.

F. C. Wex Beiträge zur Kritik und Erklärung von T. Agricola. Schwerin 1840. 4°.
F. C. Wex duo difficillimi loci ex T. Agricola emendantur et explicantur. Suerinis 1841. 4°.
Ch. G. Herzog brevis contra Wexium disputatio de Agricolae cap. 2. Gerae 1841. 4°.
W. Pfitzner kritische Bemerkungen zu Tacitus Agricola. Beleuchtung der „Beiträge zur Kritik u. Erklärung" von Wex. Neubrandenburg 1843. 4°.
C. F. Hermanni parerga critica in Museo Rhen. ed. Ritschel T. II p. 588 sq.
Godofr. Kaemmerer de indole ac pretio codd. Mss. Tac. Agricolae et editionum veterum ad Lipsium usque. Vratislaviae 1842. 8°.
Ch. G. Herzog von dem Einflusse der klassischen Studien auf Bildung des Charakters mit besonderer Rücksicht auf Tacitus und dessen Agricola. Gera 1843. 4°.
Ern. Dronke adnotatio critica in T. Agricolam. Fuldae 1842. 4°.
Taciti vita Agricolae brevi adnotatione explicuit Fr. Dübner. Paris 1843. 8°.
Taciti de vita et moribus Agricolae liber ad codices Vaticanos et vett. editt. iterum recensuit atque annotatione illustravit Ern. Dronke. Fuldae 1844. 8°.
Heinisch adnotationes ad locos quosdam difficiliores Taciti. Glatz 1843. 4°. †
G. Bezzenberger emendationum delectus. Dresdae 1844. 4°.
Francisc. Oelschläger adnotationes criticae in C. Tacitum. Suevofurti 1844. 4°.
Raim. Seyffert loci aliquot in T. Agricola emendati et illustrati. Kreuznach. 1845. 4°.
Iulius Held commentatio de Agricolae vita, quae vulgo Corn. Tacito adsignatur. Schweidnitz 1845. 4°. De quo libello iudicium fecit C. Halm in Annalibus Heidelberg. 1846. No. 37.
F. C. Wex prolegomenon in T. Agricolam capita duo. Suerinis 1845. 4°.
C. Halm Beiträge zur Kritik und Erklärung von Tacitus Annalen [mit einem Anhang über einige Stellen des Agricola]. Speyer 1846. Idem vir doctus in Bergkii Zeitschrift für Alterthumswissenschaft. 1848. No. 90 sq. No. 130 sq. nonnulla de Agricola disputavit.
Fr. Xav. Hoegg praefatio ex T. Agricola illustrata. Arnsberg 1846. 4°.

T. Agricola. Einleitung, Uebersetzung und Commentar von D. A. F. Nissen zum Druck bereitet und herausgegeben von Fr. Lübker. Hamburg 1847. 8°.

Frid. Thiersch de locis in Taciti Agricola lacunosis. in Abhandl. der Königl. Akad. der Wissenschaften zu München. 1847. V. B. Abth. II. Idem nonnulla de Agricola disputavit in Münchner gel. Anz. 1850 p. 117—119. 124—128.

I. G. Schneider. Zur Erklärung schwieriger Stellen in T. Agricola. Coburg 1847. 4°. Zweite Abtheilung. Cob. 1848. 4°.

Tacitus' Germania and Agricola with an engl. version and notes historical and critical by D. Spillan. Dublin. 1848. †

Taciti opera. emendavit et commentariis instruxit Lud. Doederlinus. T. II. Halis 1847. 8°.

Taciti opera ad fidem codd. recensuit atque interpretatus est Io Casp. Orellius T. II. Turici 1848. 8°.

Taciti opera ad codd. antiquos exacta et emendata commentario critico et exegetico illustrata ed. Franciscus Ritter. T. IV. Cantabrigiae 1848. 8°.

Gregor Hoefer Beiträge zur Kritik und Erklärung einiger Stellen in T. Agricola. München 1848. 4°.

Io. Baptist Hutter über T. Vorrede zum Agricola. München 1849. 4°.

Th. Fr. Strodtbeck loci aliquot Tacitei exponuntur. Ulmae 1850. 4°.

Fr. Iacob Bemerkungen zu T. Agricola. Anhang zum Programm von Lübeck. 1850.

T. Germania, Agricola, with English Notes. Edited by Dr. Smith. 2d edition. London 1850. 12°. †

T. Germany and Agricola with English Notes by the Rev. Iohn T. White. London 1850. 12°. †

I. C. G. Boot miscellanea critica in T. Agricolam. in Miscellan. philolog. et paedag. fasc. I. Amstelodami 1850 p. 44—56. †

Taciti opera ex recognitione Caroli Halmii. T. II. Lipsiae 1850. 8°.

C. CORNELII TACITI

VITA IULII AGRICOLAE.

Cai Corneli Taciti de vita et moribus Iulij Agricolae. prohemium *Δ*. Cornelii Taciti de vita et moribus Iulii Agricolae *Γ*. Iulii Agricolae vita per Cornelium Tacitum eius generum castissime composita *π*.

C. CORNELII TACITI

DE VITA ET MORIBUS

CN. IULII AGRICOLAE LIBER.

Clarorum virorum facta moresque posteris tradere, 1
antiquitus usitatum, ne nostris quidem temporibus quamquam incuriosa suorum aetas omisit, quotiens magna aliqua ac nobilis virtus vicit ac supergressa est vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam recti et invi-

3) quotiens *ΔΓπ et hoc loco et c.* 30.

Cap. 1. **Summa sententiarum exposita est Pp. 158.**

clarorum] *clari* sunt viri quavis laude insignes, omni genere virtutis eminentes, in quibus, ut Cicero dicere solet (cf. Pp. 141), *laus* est *atque gloria*. Hinc saepe coniunguntur *clarus atque magnus*. c. 18 *clarus ac magnus haberi Agricola*. Sall. Cat. 53 *Cato clarus atque magnus habetur*. Iug. 92 *Marius magnus atque clarus antea, maior et clarior haberi coepit*. Cic. pro Planc. 27, 66 *clarorum virorum atque magnorum non minus otii quam negotii rationem exstare oportere*. Philipp. IX, 2 *Cn. Octavii, clari viri et magni*. XIV, 12 *multi exercitus — clari et magni fuerunt*. de off. I, 30, 109 *ob eamque rem ipsam magnum clarumque fuisse*. Plin. ep. I, 10, 8 *cum cetera vita tum vel hoc uno magnus et clarus*. Inprimis veteris aevi viri magni *clari* dici solent. Cic. Tusc. IV, 2, 3. V, 19, 55. Brut. 10, 41. 19, 75. 77, 268. de rep. III, 3. de legg. I, 5, 17. T. Ann. III, 27. Hist. I, 3. Nepos Att. 18. Liv. XXXIII, 28. alibi. Seneca ep. 102 *Quid intersit inter claritatem et gloriam, dicam: Gloria multorum iudiciis constat, claritas bonorum.*

facta moresque] *mores* sunt animi indoles atque natura hominis; *facta* non unas res gestas, sed omnem vitae agendique rationem complectuntur. Factis produntur mores. Etiam privatorum hominum *facta moresque* nominantur. Plaut. Amphit. I, 1, 112.

aetas] γενεά, et poetis frequentatum (Hor. Od. I, 35, 34. Ovid. Fast. VI, 639) nec Ciceroni inusitatum. Brut. 9, 36. de orat. I, 10, 40. 37, 171.

incuriosa] magnos viros, quos admirari et venerari debebat, neglegens, ὀλίγωρος. Ann. II, 88 *dum vetera extollimus, recentium incuriosi*. Plin. ep. VIII, 20 *sub oculis posita negligimus; proximorum incuriosi longinqua sectamur.*

suorum] qui eadem aetate vivunt. Aequales non satis aestimari et post mortem demum celebrari, communis est querela. Exempla collecta Pp. 166.

omisit] de hoc perfecto vide Pp. 150.

quotiens — — invidiam] explicata Pp. 164.

diam: sed apud priores ut agere digna memoratu pronum magisque in aperto erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam sine gratia aut ambitione bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. Ac plerique suam ipsi vitam narrare fiduciam potius morum quam arrogantiam arbitrati sunt; nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit. Adeo virtutes iisdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur. At

1) memoratu digna *π*. *Illud ΔΓ. Pp.* 17. 8) optime *π*. optimę *ΔΓ*.

priores] qui in libera republica vixerunt. Ann. III, 55. Plin. ep. III, 4. Iidem dicuntur *veteres* Plin. ep. IX, 22. *vetus aetas* infra c. 2. *prior populus* dial. 19. *prius aevum* Hist. I, 1. Ann. XI, 24. Plin. ep. II, 1. *vetus populus* Ann. I, 1. IV, 32.

pronum magisque in aperto] vide Pp. 167.

celeberrimus — ingenio] c. 2 *clarissimorum ingeniorum monumenta.* Hist. I, 1 *magna ingenia.* Ann. I, 1 *decora ingenia.*

sine gratia aut ambitione — ducebantur] Pp. 168.

ac plerique] c. 13 *ac longa oblivio Brit. etiam in pace.* c. 28 *ac fuere* cett. c. 31 *ac sicut in familia* cett. c. 36 *ac plerique semineces* cett. c. 40 *ac ne notabilis introitus esset* cett. *ja manche* cett.

suam ipsi vitam narrare] Cic. ad fam. V, 12 *quod si a te non impetro, scribam ipse de me multorum tamen exemplo et clarorum virorum.* Cf. H. D. Suringar de autobiographis Romanis. Leidae 1846. Gräfenhan Geschichte der klass. Philol. II, p. 400. Ceterum mire ac nove dictum est *suam ipsi vitam narrare fiduciam arbitrati sunt.* Quod etsi dicere possis ex Graecorum imitatione ductum esse, veluti quum Xenophon dicit: *οἱ τύραννοι αὐτοί τε ὡπλισμένοι οἴονται ἀν άγκην εἶναι διάγειν καὶ ἄλλους ὁπλοφόρους ἀεὶ συμπεριάγεσθαι,* rectius tamen comparabis liberiorem pronominum *quisque* et *ipse* constructionem. An minor est licentia, quamvis ex alio genere, si Sallustius Iug. 18, 3 dicit: *passim multis sibi quisque imperium petentibus?* ubi vide Kritzium, aut si Livius IV, 44 ait: *cum dies venit, caussa ipse pro se dicta quindecim milibus aeris damnatur.* XXIV, 4 *deponendoque tutelam ipse, quae cum pluribus communis erat, in se unum omnium vires convertit.* Peerlkampii coniectura *suam ipsum vitam narrare* evertitur sententia; narrantes enim et *arbitrati* iidem sint necesse est. Si coniectura opus esset, proclivius foret scribere: *Ac plerique suam ipsi vitam narravere, fiduciam potius morum quam arrogantiam arbitrati.*

fiducia morum] est *fiducia sui.* Sen. de tranq. 11 *sapientis tanta fiducia sui est, ut* cett. ep. 13 *vires expertus es tuas, quae nunquam certam dare fiduciam sui possunt, nisi* cett. Plin. ep. IV, 11, 8 *ex fiducia sui an ex contemtu principis dixerit, dubium est.* Cic. Tusc. V, 1 *virtutis fiducia nitendum nobis ad spem beate vivendi.*

Rutilio et Scauro] ne *aut* requiras, cf. Cic. Brut. 10, 40 *neque enim iam troicis temporibus tantum laudis in dicendo Ulixi tribuisset et Nestori,* qui eodem modo copulantur Tusc. V, 3, 7. Utrique sunt unum par ex eodem genere. Cf. etiam Ann. II, 10 *neque coniugem et filium eius hostiliter haberi* i. e. *coniugem cum filio.*

Rutilius] P. Rutilius Rufus, cos. a. 649. Cic. de orat. I, 53, 229 *cum esset ille vir exemplum innocentiae, cumque illo nemo integrior esset in civitate, neque sanctior.* Vellei. II, 13, 2 *viro non seculi sui, sed omnis aevi optimo.* Cf. Ellendt eloq. Rom. hist. p. 48. Meyer oratt. Rom. fragm. p. 263. De eius exilio anno 662 saepe loquitur Seneca T. I, 272. III, 281. IV, 10 ed. Bip.

Scaurus] M. Aemilius Scaurus, princeps senatus, cos. anno 639. Laudes eius praedicat Cicero pro Sestio 47, 101. pro Font. 7, 14. Libros, quos de vita sua scripsit, memorant Cic. Brut. 29, 112. Val. Max. IV, 4, 11. Cf. Ellendt l. l. p. 45. Meyer p. 253.

At nunc — tempora] Pp. 158 sq.

nunc narraturo mihi vitam defuncti hominis venia opus fuit: quam non petissem, incusaturus. Tam saeva et infesta virtutibus tempora. Legimus, cum Aruleno Rustico 2
Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse. Neque in ipsos modo auctores, sed in libros quoque eorum saevitum, delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in co-

1) at mihi nunc narraturo *π*. *Illud ΔΓ*. 2) petissem *Γπ*. petijssem *Δ*. — incusaturus tam saeva *ΔΓ*. ni cursaturus tam saeva *π*. ni incursaturus tam saeva *Rhen*. ni incusaturus tam saeva *Lips. Pp.* 159. saevia et infęlicia *Δ*. 4) Paetus *π*. Petus *ΔΓ*. — Thrasea *π*. thrasea *Δ*. Trasea *Γ*. — herhennio *Δ*. — Senecioni *Rhen*. senetioni *ΔΓ*. Senectioni *π*. 5) *Post* fuisse *vulgo non plene interpungebatur*. 7) monumenta *Γπ*. monimenta *Δ*.

Cap. 2. *Legimus*] Ne quis criminaretur, calumniaris tu quidem, quum Arulenum et Herennium dicis propterea potissimum damnatos esse, quia Thraseam et Helvidium laudarint, immo alio nomine illi iam dudum suspecti; illa laudatione cumulum modo culpae addiderunt: propterea Tacitus ait: *Legimus* (i. e. scriptum legimus his ipsis verbis) *LAUDATUM THRASEAM ARULENO CAPITALE FUISSE.* (Re vera fuerunt, qui alio crimine Senecionem arcessitum dicerent. Cf. Pp. 218.) Quod autem Tacitus non ipsam pronuntiatae sententiae decretique dictionem *CAPITALE ESTO* excitat, sed *capitale fuisse* dicit, id inde fit, quia illud decretum non ipsum manibus habuit, sed relatum legit in *Diurnis Actis populi Romani*. De his *Diurnis Actis*, in quibus, ut Lipsius exc. ad Ann. V, 4 docuit, „continebantur res rationesque populi, iudicia publica, supplicia, comitia, nativitates, illustres mortes, matrimonia, divortia", accuratius nunc exposuere Le Clerc des journeaux chez les Romains. Paris 1838, Lieberkühn de diurnis Romanorum actis. Vimar. 1840 et in Vindiciis librorum iniuria suspectorum. Lips. 1844 p. 80. Adolph Schmidt das staatszeitungswesen der Römer (in zeitschrift für geschichtswissenschaft I p. 305—355), Becker Röm. alterth. I p. 33. Quod contra monuit Orellius, sub Domitiano ipso hoc actis diurnis inseri non potuisse, testem citans Dionem LXVII, 11 *Δομιτιανὸς—ἵνα μηδεμία μνήμη τῶν θανατουμένων ὑπολειφθῇ, ἐκώλυσε σφᾶς ἐς τὰ ὑπομνήματα ἐγγραφῆναι*, fallitur vir doctus, male abusus istis verbis quasi universe dictis. Dio autem isto loco loquitur de quibusdam hominibus, qui in Germania contra Domitianum rebellaverant. Hinc etiam Dio dicit *οὕτω γὰρ δὴ καὶ αὐτὸς ἐπὶ τούτῳ κατέγνω, ὥστε, ἵνα μηδεμία μνήμη* cett. Quam Niebuhrius de hoc Taciti loco peculiarem protulit sententiam, vide Pp. 161.

Aruleno Rustico] de hoc et reliquis qui nominantur vide proll. c. VI.

triumviris] „triumviri capitales prorsus iidem Romae, qui undecimviri Athenis. Munus eorum praeesse carceri, punire damnatos itemque cognoscere de furtis admissisque servorum aut viliorum capitum ad Maeniam columnam. LIPS. Alias libri per aediles cremantur (Ann. IV, 35). Addita igitur est ignominia.

in comitio ac foro] „Quamquam comitium est in foro (cf. Ascon. ad Cic. pro Mil. c. 5), ut quae fiunt in comitio simul fiant in foro, diversam tamen vocabula habent notionem adiunctam. *Comitium* illi combustioni addit ignominiam, nam in comitio puniri solebant nocentes. Plin. ep. IV, 11 *quum in comitio virgis caederetur — si comitium et virgas pati nollet*. Suet. Domit. c. 8 *stupratores virgis in comitio ad caedem caedi imperavit*. Liv. XXII, 57 *eo usque virgis in comitio caesus erat, ut inter verbera exspiraret.*" WALTH. *in foro* igitur est: *publice* facta est combustio et ante omnium oculos tanquam spectaculum; *in comitio* est: ignominiose.

mitio ac foro urerentur. Scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur, expulsis insuper sapientiae professoribus atque omni bona arte in exsilium acta, ne quid usquam honestum occurreret. Dedimus profecto grande patientiae documentum; et sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos, quid in servitute, adempto per inquisitiones etiam loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci quam tacere.

3 Nunc demum redit animus, et quamquam primo statim beatissimi seculi ortu Nerva Caesar res olim disso-

[1]) vocem *om.* *Δ*. [5]) occurrẽ *Δ*. — grande *om.* *Δ*. [6]) et sicut *ΔΓ Lips.* ut sicut *π*. [8]) etiam *ΔΓ Lips.* (ẽt *ΔΓ*) et *π*. — cõmertio *Δπ*. comertio *Γ*. [12]) olym *Γ*. — dissociabiles *π*. dissotiabiles *Γ*. dissolubiles *Δ*.

conscientia generis humani] Ann. IV, 35 *libros per aediles cremandos censuere patres, sed manserunt occultati et editi. Quo magis socordiam eorum irridere libet, qui praesenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis aevi memoriam.* Cic. pro Mil. 35, 97 *gloriam esse unam, quae brevitatem vitae posteritatis memoria consolaretur.*

expulsis professoribus] Pp. 217.

omni bona arte] philosophi enim illi iidem erant eloquentiae magistri. c. 39 *frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta.* Plin. ep. VIII, 14 *priorum temporum servitus ut aliarum optimarum artium, sic etiam iuris senatorii oblivionem—induxit.* Plin. paneg. c. 47 *quem honorem dicendi magistris, quam dignationem sapientiae habes? ut sub te spiritus et sanguinem et patriam receperunt studia, quae priorum temporum immanitas exiliis puniebat?* Eusebius chron. cum philosophis mathematicos quoque expulsos tradit.

honestum] philosophi erant morum magistri, et ad virtutem spectabat eorum disciplina. Plin. paneg. c. 47 *quum sibi vitiorum omnium conscius princeps* (Domitianus) *inimicas vitiis artes non odio magis quam reverentia relegaret.* Cf. etiam Cic. Tusc. V, 25, 71.

ultimum in libertate] extremam libertatem, „quum eo venit libertas, ut quo progrediatur et crescat, amplius non habeat."

inquisitores] „emittebantur a Domitiano, quod a Tiberio etiam aliisque principibus factum, qui immiscerent se non modo circulis et coetibus hominum, sed domos quoque privatas perreptarent ignoti sermonesque captarent et post deferrent ad imperatorem, ut tanquam maiestatis reos puniret ac plecteret. BUCHN. Cf. Pp. 215.

loquendi audiendique] Cf. Liv. XXXII, 32, 13 *ex propinquo dicamus audiamusque invicem.* Soph. Oed. Col. 189 *ἵν᾽ ἂν—τὸ μὲν εἴποιμεν, τὸ δ᾽ ἀκούσαιμεν.* v. 1288 *διδοὺς ἐμοὶ λέξαι τ᾽ ἀκοῦσαί τ᾽ ἀσφαλεῖ ξὺν ἐξόδῳ.* Philoct. 24 *ὡς τἀπίλοιπα τῶν λόγων σὺ μὲν κλύῃς, ἐγὼ δὲ φράζω.*

Cap. 3. *et quamquam*] Ne cum edit. Bip. *sed quamquam* scribendum videretur, eleganter Ecksteinius ad praesens tempus *redit* animos advertit: „nunc demum redit animus, igitur nondum plene rediit." Est igitur: nunc demum redire incipit animus, tardeque redit natura infirmitatis humanae. Ex alio genere sunt exempla multa illa, in quibus cum nostri homines adversativa particula utantur, Latini *et* ponunt. De quibus nihil attinet hoc loco disputare. (Cf. Seyffert palaestr. Cic. p. 47.)

seculi] Non ab Augusti demum temporibus, ut Walchius putat, haec vox eam significationem adscivit, ut sit *aetas* aliqua

ciabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie felicitatem temporum Nerva Traianus, nec spem modo ac votum Securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur assumpserit: natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala; et ut corpora nostra lente augescunt, cito exstinguuntur, sic ingenia studiaque oppresseris facilius quam revocaveris. Subit quippe etiam ipsius inertiae dulcedo, et invisa primo desidia postremo amatur. Quid? si per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium, multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis interciderunt, pauci et, uti dixerim, non modo aliorum, sed etiam nostri superstites sumus, exemptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium veni-

2) felicitatem *ΔΓ π*1 *π*2. falicitatem *π*3. facilitatem *Beroald.* — temporum *ΔΓ Beck.* imperii *π* (*scilicet* tpõ♃*ΔΓ*). 5) nostra *om. π*3. 6) extinguntur *ΔΓπ*. 9) quindecim *Γπ*. *XV Δ*. 10) multi *Lips.* multis *ΔΓπ. Pp.* 89. 11) et uti dixerim *ΔΓπ*. et ut ita dixerim *Rhen.* ut ita dixerim *ex Rhen. altera coni. in Castigationibus ed. Bipont. Ceterum vulgo interpungebatur:* interciderunt? Pauci *cett. Vide Pp.* 47. 53.

Cf. Muret. Var. Lect. X, 8. Beier ad Cic. de off. II, 21, 75. Gierig ad Ovid. Metam. XII, 188. Est primitus *γενεά*, est enim deminutivum vocis *secus*, quod notavit iam Freundius lexico lat.

Nerva] Cur non *divus Nerva*? Pp. 145.

felicitatem temporum] Pp. 147.

voti fiduciam ac robur] firmam fiduciam et solidam. Nam *fiduciam* animo concipiunt qui sperant et credunt, *robur* in rebus est positum. Thucyd. II, 62 *ἐλπίδι δ' ἧσσον πιστεύει, ἧς ἐν τῷ ἀπόρῳ ἡ ἰσχύς.* Vota, ait, pro securitate publica etiam sub prioribus Imperatoribus facta (Rasche lex. R. N. IV, 2 p. 347. Gruter Inscript. p. 105. 106.), at nunc demum rata illa fient. Seneca de clem. I, 1 *iam vota publica in tuto sunt. Assumpserit* per zeugma dictum.

subit] *ὑπέρχεται.* Sen. ep. 105 *est quaedam dulcedo sermonis, quae irrepit et blanditur.*

grande—spatium] Pp. 47. 53.

fortuitis] Liv. XXIII, 22 *quum tantum senatorum adversae pugnae, ad hoc sui quemque casus per quinquennium absumpsissent.*

promptissimum] Ann. XIV, 40 *audacia promptus.* (c. 27 oppositi sunt *cauti*, Ann. VI, 44 *ambigui*) Ann. II, 81. IV, 17. 51. XV, 49. Hist. I, 51. IV, 14. Germ. 7. entschlossene, thatkräftige, muthvolle männer.

iuvenes—senes] Gellius X, 28 *ad annum quadragesimum sextum iuniores, supra eum annum seniores appellasse.* Itidem Dionysius IV, 16 p. 221 d. Varro apud Censorin. de die natali c. 14. Livius XLIII, 14. (Seneca de brev. vit. c. 20 *lex a quinquagesimo anno militem non cogit, a sexagesimo senatorem non citat.*) Tacitus, qui anno Ch. 54 natus videtur ideoque tunc annum fere XLIV agebat, iuvenum aetatem ipse nondum egressus erat.

exactae aet.] Liv. IV, 13 *Quintius abnuere et quid sibi vellent rogitare, qui se aetate exacta tantae dimicationi obiicerent.* II, 40. IV, 41. V, 18. VI, 22. XXX, 26. T. Hist. III, 33 *grandaevos senes, exacta aetate feminas.*

per silentium] c. 6 *idem praeturae*

mus. Non tamen pigebit vel incondita ac rudi voce memoriam prioris servitutis ac testimonium praesentium bonorum composuisse. Hic interim liber, honori Agricolae soceri mei destinatus, professione pietatis aut laudatus erit aut excusatus.

4 CN. IULIUS AGRICOLA, vetere et illustri Foroiuliensium colonia ortus, utrumque avum procuratorem Caesarum habuit. [quae equestris nobilitas est.] Pater Iulius Graecinus senatorii ordinis studio eloquentiae sapientiaeque notus iisque ipsis virtutibus iram Caii Caesaris meritus. Namque M. Silanum accusare iussus et, quia abnuerat, interfectus est. Mater Iulia Procilla fuit, rarae castitatis: in huius sinu

2) prioris] *in edit. Gryphii a.* 1542 *operarum culpa legitur* prioribus — servitutis *Γ Lips.* senectutis *ΔΓπ.* 6) Cn. *Δ.* Gneus *Γπ*1. Gnaeus *π*3. Cnaeus *recentt.* — vetere *Γπ.* voti^in *Δ.* — foriuliensium *Δ.* 7) Caesarum *Γπ.* Caesaris *Δ. Cum diversis Caesaribus illi operam navasse videantur,* Caesarum *praeferendum duco. Pp.* 32. 8) [quae eq. nob. est] *uncos ego addidi. Pp.* 112. — pater Iulius *Lips.* pater Iulii Iulius *ΔΓπ* (Iuli *Δ*). — Gręcinus *Δ.* Grecinus *Γπ.* 10) ipsis *om. π.* — Caii *π.* Cai *Γ.* C. *Δ.* 11) Marcum Sillanum *Γπ.* M. Sullanum *Δ. Cf. Ruhnk. ad Vell. II,* 12, 2. *Drakenb. ad Liv. XXIII,* 15.

tenor et silentium. Plin. VIII, 14 *iidem prospeximus curiam, sed curiam trepidam et elinguem, quum dicere, quod velles, incuriosum, quod nolles, miserum esset.*

non pigebit — composuisse] Pp. 147.

incondita — voce] Pp. 157.

laudatus erit aut excusatus] Pp. 163.

Cap. 4. *Foroiuliensium*] Forum Iulii, nunc *Fréjus*, Galliae Narbonensis colonia (Ann. II, 63), a Iulio Caesare condita. Apud Plinium N. H. III, 4 nominatur *Octavanorum colonia* propter veteranos legionis VIII a Caesare eo deductos. *Illustris* videtur Walchio inde denominata esse, quia Augustus rostratas naves Actiaca victoria captas eo misit Ann. IV, 5.

Graecinus] Pp. 201. Praeterea mentio eius fit apud Sen. ep. 29. Columella I, 1, 14. Plin. N. H. XIV, 2. XVI, 44. Qui apud Ovid. ex Ponto I, 6 commemoratur Graecinus, dubitari potest an pater illius fuerit.

iussus] sc. est. Non recte Ernestius *et* deletum voluit, ut esset participium. Nam quod Caius Caesar illud iubebat, quod Graecinum detrectaturum esse certe sciret, id per se ipsum malignum et crudele erat. Accedit, quod longo spatio post quam iussus est, interfectus est. Cf. Pp. 201. Ernestium vituperarunt Walchius inutili, Waltherus vero argumento.

sinu] dial. c. 28 *iam primum suus cuique filius ex casta parente natus, non in cella emptae nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur.*

indulgentiaque educatus, per omnem honestarum artium cultum pueritiam adolescentiamque transegit. Arcebat eum ab illecebris peccantium praeter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuit, locum graeca comitate et provinciali parsimonia mixtum ac bene compositum. Memoria teneo, solitum ipsum narrare se prima in iuventa studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac senatori, hausisse, ni prudentia matris incensum ac flagrantem animum coërcuisset. Scilicet sublime et erectum in-

1) honestarum *Γπ.* honestatis *Δ.* 2) culctum *Δ.* — pericіam *Γπ.* — arcebat tamen ab *Δ.* 5) habuit *ΔΓ.* habuerit *π.* *Enatum hoc videtur ex male intellecto compendio* hu͂it, *quod in ΔΓ legitur.* 6) mistum *ΔΓπ.* 7) prima in iuv. *Γ.* prima iuv. *Δ.* in prima iuv. *π.* 9) et flagr. *unus Walch.* 10) coërcuisset *Δ.* — erectum *ΔΓ Lips.* rectum *π.*

indulgentiaque] non h. l. notatur *mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus*, quae *nervos omnes et mentis et corporis frangit* (Quintil. I, 2, 6), sed *indulgentia* est *caritas* materna, quae nihil habet, quod in vitio ponatur. Sen. ad Helvid. 16 *Rutilia Cottam filium secuta est in exilium et usque eo fuit indulgentia constricta, ut mallet exilium pati quam desiderium.* de benef. IV, 17 *quomodo nulla lex amare parentes, indulgere liberis iubet.* Plin. ep. VIII, 11 *quum affectum tuum erga fratris filiam cogito, etiam materna diligentia molliorem.* Nep. Att. 1 *patre usus est indulgente.* Cic. de orat. II, 40, 168 *si ferae partus suos diligunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus?* ad Quir. post red. I, 2 *mihi vero et propter indulgentiam meam et propter excellens eorum ingenium* (liberi) *vita sunt mea cariores.*

per omnem honestarum artium cultum] Sen. de brev. vitae 17 *omni cultu studiorum liberalium.* Vell. Pat. II, 91 *omni scelerum conscientia mersus.* dial. 30 *in omni genere studiorum.* Plin. ep. III, 5 *omne studiorum genus.* Frequens apud Cic. *omne virtutum genus.*

per—cultum] c. 3 *per silentium.* c. 6 *per mutuam caritatem.* c. 29 *per lamenta.* Kritz ad Sall. Cat. c. 20.

peccantium] substantive. c. 41 *laudantes.* Liv. XXXIV, 32. 48 *liberantibus Graeciam.* Walth. ad dial. c. 6. Apud Graecos frequens hic usus. *ὁ δρῶν* Soph. Ant. 239. 319. 325. Aj. 1280. *ἡ τίκτουσα* Elect. 842. *ὁ παρών* Ant. 1192. Philoct. 939. Thucyd. I, 22.

bonam—naturam] *εὐφυής.* Recordare *bonitatem naturae* apud Cic. de off. I, 2, 5. III, 3, 14.

Massiliam] Conferunt Ann. IV, 44 *sororis nepotem seposuit Augustus in civitatem Massiliensium, ubi specie studiorum nomen exilii tegeretur.* Strabon. IV, p. 181 *ἐν τῷ παρόντι καὶ τοὺς γνωριμωτάτους Ῥωμαίων πέπεικεν ἡ Μασσιλία ἀντὶ τῆς εἰς Ἀθήνας ἀποδημίας ἐκεῖσε φοιτᾶν φιλομαθεῖς ὄντας.* Alia similis laus Massiliae apud Cic. pro Flacc. 26, 63.

mixtum] Hist. I, 10 *malis bonisque artibus mixtus.* Vellei. Pat. II, 98 *esse mores eius vigore ac lenitate mixtissimos.* Sall. Iug. 57 *taedam pice et sulphure mixtam.*

provinciali] Ann. III, 55 *simul novi homines e municipiis et coloniis atque etiam provinciis in senatum crebro adsumti domesticam parsimoniam intulerunt.* Plin. ep. I, 14, 4 *patria est ei Brixia ex illa nostra Italia, quae multum adhuc verecundiae, frugalitatis atque etiam rusticitatis antiquae retinet atque servat.*

studium ph. acrius — hausisse] Pp. 42. 45.

ultra quam concessum Rom. ac senatori] Pp. 45.

genium pulchritudinem ac speciem magnae excelsaeque gloriae vehementius quam caute appetebat. Mox mitigavit ratio et aetas, retinuitque, quod est difficillimum, ex sapientia modum.

Prima castrorum rudimenta in Britannia Suetonio Paulino, diligenti ac moderato duci, approbavit, electus, quem contubernio aestimaret. Nec Agricola licenter more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, [neque segniter] ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam rettulit: sed noscere provinciam, nosci exercitui, discere a peritis, sequi optimos, nihil appetere in iactationem, nihil ob formidinem recusare, simulque et anxius et intentus

1) excelsae magnaeque *π*. 3) retinuit *omisso* que *Δ*. 4) Britannia. *Sic fere ubique scribitur in codd. nonnullis tamen locis, uti hoc capite, in Δ* Brittannia *scriptum est.* 5) Paulino *ΔΓπ Lips.* Paullino *recentt.* 7) neque segniter *Γπ.* nec segniter *Δ. Vulgo sine uncis. Pp.* 133. 8) inscitiam *Γπ.* iustitiam *Δ.* 9) rettulit *π.* retulit *ΔΓ.* — provintiam *Γ.* 10) in iact. *ΔΓΤπ.* in *om. π*3. 11) simulque et anxius *ΔΓ.* simulque anxius *π.*

pulchritudinem ac speciem] Pp.46. *vehementius quam caute*] i. e. vehementer magis quam caute. *Quam cautius* si scripsisset (cf. Hist. I, 83, II, 24. IV, 40. 65. Germ. 36. Agr. 44), vix quidquam differre puto Latinis, nisi quod *quam caute* i. q. non caute, *quam cautius* i. q. haud caute videtur esse.

retinuitque — modum] Pp. 46.

Cap.5. *diligenti ac moderato duci*] Diligentia tum paterfamilias tum dux censetur, cui, si strenue imperatoris officium observat vel militibus prospiciendo (Caes. b. g. I, 40. Sall. Iug. 49) vel cavendo ab hostibus (b. g. III, 20. VI, 34. 36. b. civ. II, 32), cum maxime haec laus tribuitur, atque hoc ipso nomine Suetonius Paulinus Hist. II, 25 laudatur *cunctator natura et cui cauta potius consilia cum ratione quam prospera ex casu placerent.* Ceterum hoc loco illa verba non ad describendam Paulini indolem potissimum addita esse suspicor, sed ut significaretur, quantum fuerit quamque honestum Agricolae, tali duci probari, qui profecto a suis quoque exactam diligentiam requireret, idemque tam *moderatus* esset, ut non repentino quodam animi impetu favorem aliis impertiret. Similiter Cic. pro Cael. 30, 73 *quum paullum iam roboris accessisset aetati, in Africam profectus est Q. Pompeio proconsuli contubernalis, castissimo viro atque omnis officii diligentissimo.*

electus, quem contub. aestimaret] Pp. 133.

titulum tribunatus et inscitiam] Pp. 136.

in iactationem] non appetebat ultro ardua et periculosa, ut iis in se recipiendis fortitudinem iactaret.

et anxius et intentus] anxius est, qui in re aliqua aggredienda provide et diligenter ratiocinatur, num ea felicem eventum habitura sit, cauteque providet, ne in discrimina incurrat. Itaque non nimia virium suarum fiducia hostem contemnet, quod vitium apud Thucyd. I, 122 *καταφρόνησις* nominatur, *ἣ πλείστους δὴ βλάψασα, ἣ ἐκ τοῦ πολλοὺς σφάλλειν ἀφροσύνη μετωνόμασται.* Huic *καταφρονοῦντι,* qui *ἀμελέστερον παρεσκευασμένος* esse solet, opponitur II, 11 *ὁ δεδιώς* (*anxius*). Ibid. *πολλάκις τὸ ἔλασσον πλῆθος δεδιὸς ἄμεινον ἠμύνατο τοὺς πλέονας διὰ τὸ καταφρονοῦντας ἀπαρασκεύους γενέσθαι· χρὴ δὲ ἀεὶ ἐν τῇ πολεμίᾳ τῇ μὲν γνώμῃ θαρσαλέους στρατεύειν, τῷ δὲ ἔργῳ δεδιότας παρασκευάζεσθαι.* Idem *circumspectans sollicitusque omnia* (Liv. XXI, 34) ab insidiis cavebit. In tali autem cunctatione et sollicita diligentia ne ignavus et segnis, ne

agere. Non sane alias exercitatior magisque in ambiguo Britannia fuit. Trucidati veterani, incensae coloniae, intercepti exercitus; tum de salute, mox de victoria certavere. Quae cuncta etsi consiliis ductuque alterius agebantur, ac summa rerum et recuperatae provinciae gloria in ducem cessit, artem et usum et stimulos addidere iuveni, intravitque animum militaris gloriae cupido, ingrata temporibus,

1) exercitator *Δ*. 2) incensae col.] *Lips. coni.* incensa colonia. — intercepti *π*. intersepti *ΔΓ*. 4) et si *ΔΓπ*. 5) recuperatae *ΔΓπ*. reciperatae *Lips.* — Scrips. *Lips.* Priores *recuperatae.*

languidus et remissus dux videatur, opus est, ut *et intentus* appareat i.e. *intentus in omnem occasionem hostes adoriundi*, ut *armatus intentusque sit, neque occasioni suae desit* (Liv. XXII, 39). *Adesse gerendae rei fortunam haud diffidebat, cuius ne quod praetermitteret tempus, sollicitus intentusque erat* (Liv. XXI, 53). Apud eundem Livium saepissime coniuncta leguntur *intentus paratusque*. Frustra laborat Walchius in particulis *simulque — et — et*. Recte enim adnotavit Rothius, particulis *simulque* coniungi *nihil recusare* et *agere*; agebat autem *et anxius et intentus*. Non recte Waltherus verba *anxius* et *intentus* per epexegesin addita putat prioribus *nihil appetere* et *recusare*. Buchneri interpretationem „anxius futurorum, intentus praesentibus" vagam neque satis finitam dixerim.

exercitatior] non est *magis vexata* („heftiger bedrängt"), sed *magis agitata*, concitata (in grösserer aufregung und gährung). Ernesti confert Horat. epod. 9, 31 *Syrtes Noto exercitatas* (aufgewühlt), quod Virg. Georg. I, 356 exprimit: *freta ponti incipiunt agitata tumescere*. Buchnerus, qui recte interpretatur „magis erecta in spem recuperandae libertatis," *excitatior* legi malebat. Non puto hoc sic dici absolute. De ipsa re, quam Tacitus iterum attingit c. 16, cf. Pp 188.

in ambiguo] c. 41 *de hibernis legionum et possessione dubitatum.* Male Orelli: „in ambiguo Britannia, utrum maneret sub ditione Romana, an his expulsis libertatem recuperaret."

coloniae] Tres urbes ab hostibus excisae traduntur: Camulodunum, Verulamium, Londinium. Quarum quum unum Camulodunum (c. 16) *colonia*, Verulamium *municipium*, nec Londinium *coloniae cognomento insigne* esset (Ann. XIV, 33), recte Buchnerus *coloniae* cognomen laxius usurpatum esse monet, quum putide ista discernere hoc loco Tacito nihil attinere videretur. Walchius pluralem poetarum more substitutum ait. Ceterum itidem c. 32 *coloniae* commemorantur.

intercepti] obtriti, de medio sublati. c. 43 *veneno interceptus.* Flor. III, 4 *ita non fusus modo aut fugatus, sed omnino totus interceptus exercitus.* Ann. II, 71. 82. Quint. X, 1, 121. Bremi ad Corn. Iphicr. 2. Codicum scriptura *intersepti* non ferenda est. Hoc enim foret aut septo muniti, aut prohibiti, cf. Hist. III, 8 et 53.

mox de victoria] qui tum de salute pugnabant, mox rebus in melius mutatis de victoria certavere. Iustin. V, 6, 8 *tanta virtus animorum erat, ut quum paullo ante salutem desperaverint, nunc non desperent victoriam.*

artem et usum] Caes. b. g. IV, 1 *ratio atque usus belli.* II, 20 *scientia atque usus militum.* Vegetius de re mil. III, 9 *ad rem pertinet, utrum scientem rem bellicam an ex usu temere pugnantem hostem habeat.*

addidere] Ne cum Walchio zeugma in his inesse putes, cf. cum Walthero *constantiam addere* Ann. IV, 73. *spem metumque addere* Hist. I, 62. Agric. 25. *alacritatem* Hist. IV, 3. *fiduciam* H. I, 76. *vigorem* II, 4. *terrorem* V, 22. *animos* IV, 33. Graeci sic *προστιθέναι* Soph. Ant. 243. Praeterea *stimuli* a Latinis ne dicuntur quidem potissimum *addi*, usitatius est *subdi*, *admoveri*, *adigi*. Ceterum quod Lipsius in his additum volebat *tamen*, id equidem, si in libris legeretur, delerem, non magis hoc loco ferendum, quam Cic. Tusc. V, 12, 34. de Off. I, 22, 75.

quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.

6 Hinc ad capessendos magistratus in urbem digressus, Domitiam Decidianam, splendidis natalibus ortam, sibi iunxit; idque matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuit. Vixeruntque mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo, nisi quod in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae est.

Sors quaesturae provinciam Asiam, proconsulem Salvium Titianum dedit; quorum neutro corruptus est, quamquam et provincia dives ac parata peccantibus, et proconsul in omnem aviditatem pronus quantalibet facilitate redempturus esset mutuam dissimulationem mali. Auctus est ibi filia in subsidium simul et solatium; nam filium ante sublatum brevi amisit. Mox inter quaesturam ac tribunatum plebis atque ipsum etiam tribunatus annum quiete et otio transiit, gnarus sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit. Idem praeturae tenor et silentium;

3) digressus *Δπ*. degressus (i above e) *Γ*. 7) anteponendo *Γπ*. appetendo *Δ*. *Coni.* amplectendo *Bezzenberger*. 9) procõs. *Δ*. 11) et parata *Δ*. 12) quantilibet fęlicitate *Δ*. 14) simul et solatium *ΔΓ Brot.* et solatium simul *π*. 15) inter quaesturam et tribunatum *Δ*. inter praeturam quaesturam ac tribunatum *Γ*. inter praeturam quaesturam ac tribunatum *π*. *Vocem* praeturam *primus om. Rhen.* 16) ipsum etiam *ΔΓ Brot.* etiam ipsum *π*. — quietịs *Δ*. 17) transiit *Δ Rhen.* transit *Γπ*. 18) tenor *Rhen.* certior *ΔΓπ*. secretum *coni. Bezzenberger, male collato cap.* 22 *sub finem.*

periculum ex magna fama] Cf. c. 41 fin.

Cap. 6. *decus ac robur*] Pp. 125.

per mutuam caritatem] mutuo se amando. cf. c. 4 *per — cultum.*

nisi quod — culpae est] Pp. 121.

parata peccantibus] Ne cogita Asiam *omnibus libidinum illecebris repletam* (Liv. 34, 3. Cic. pro Mur. 5, 12). Recte Virdung: ubi provincialium plerique promptos se administros scelerum magistratibus praebent. Cic. ad Q. fratr. I, 1 *praeclarum est enim, summo cum imperio fuisse in Asia triennium sic, ut nullum te signum, nulla pictura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla forma cuiusquam, nulla conditio pecuniae, quibus rebus abundat ista provincia, ab summa integritate continentiaque deduxerit.*

dissimulationem] cf. ad c. 39.

auctus] Cic. ad Att. I, 2 *filiolo me auctum scito.*

in subsidium] Pp. 207.

inter quaesturam ac trib.] sc. annum Pp. 205.

transiit] Sall. Cat. 1. *ne vitam silentio transeant.*

inertia pro sapientia] Hist. I, 49 *ut quod segnitia erat, sapientia vocaretur.* Plin. ep. VIII, 14 *suspecta virtus, inertia in pretio fuit.*

idem tenor et silentium] Plin. pan-

nec enim iurisdictio obvenerat. Ludos et inania honoris medio rationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior. Tum electus a Galba ad dona templorum recognoscenda diligentissima conquisitione fecit, ne cuius alterius sacrilegium respublica quam Neronis sensisset.

1) *Verba* et silentium — obvenerat *in cod. Δ parenthesi inclusa sunt.* 2) medio rationis *Γ. Beck.* medio luxuriae *Δ.* modo rationis *π.* moderationis *Lips.* mediocris rationis *Mützell. Pp.* 171 . 3) proprior *Δ.* — templorum *ΔΓ. Riv. Rhen.* temporum *π.* 4) fecit *ΔΓπ. Coni.* effecit *Heinsius.* 5) cuius *Γπ.* cuiuis *Δ.*

eg. 91 *ita congruens tenor vitae.* Liv. IV, 10 *quinque consulatus eodem tenore gesti.* XXII, 15 *eodem consiliorum tenore.* XL, 12 *vitae nostrae tenore.* Qualis fuerit tenor, explicatur addito verbo silentium, cf. Pp. 170. Nihil illo tempore aut in curia aut in foro agere poterat.

iurisdictio] „non habebat iurisdictionem urbanam aut inter peregrinos, quae negotiosa erat, sed quaestionem, cuius exercendae rarae occasiones.“ ERN. Praeter urbanum et peregrinum sedecim illa aetate erant praetores, qui singulis quaestionibus videntur praefuisse, quamquam difficile sane erit, sedecim quaestionum genera indicare. (Pomponius L. 2 de origine iuris §. 32 (Dig. I tit. 2): *ita decem et octo praetores in civitate ius dicunt*) Cui quaestioni ac muneri Agricola praefectus fuerit, supervacuum est quaerere. Sed quod Fossius suspicatur, Agricolam alterum ex aerariis praetoribus fuisse, quos inter fiscum et privatos ius dixisse Brissonius monet, in eo illum affirmare ausim coniectura falli. Nam Neronem, sub quo Agricola praetor fuit, Tacitus dicit Ann. XIII, 29 (cf. etiam Suet. Claud. 24) aerarii praefectos non delegisse nisi *praetura perfunctos et experientia probatos.* Quod autem Hist. IV, 9 Tacitus dicit: *nam tum* [anno 823] *a praetoribus tractabatur aerarium,* id non iccirco transferre licet in annum 821, quo Agricola praetor fuit. Sed, quod caput est, praefectura aerarii erat, ut Plinius ait paneg. 91, *officium laboriosissimum et maximum,* ad quam admotus Plinius *omnibus advocationibus renuntiare* coactus est, *ut toto animo delegato sibi officio vacaret.* Ep. X, 20. Tale igitur tamque laboriosum munus si demandatum fuisset Agricolae, non ita contemtim de eius praetura Tacitus locutus esset, quasi praeter *ludos et inania* nihil ei commissum fuisset.

Ludos et inania honoris — duxit] Pp. 169. Quae ibi omissa sunt vocis *inania* exempla, addita sunt in Indice s. h. v.

uti longe — ita famae propior] Pp. 174.

Tum electus] eodem anno 821. Pp. 208.

dona templorum] Ann. XV, 45 (Nero) *spoliatis in urbe templis egestoque auro, quod triumphis, quod votis omnis populi Romani aetas prospere aut in metu sacraverat.* Sueton. Nero 32 *templis compluribus dona detraxit simulacraque ex auro vel argento fabricata conflavit, in his Penatium deorum, quae mox Galba restituit.* Dio Cass. LXIII, 11 *καὶ τὰ ἀναθήματα, ὅσα καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ ναῶν ἐσύλησεν, οὐδὲ ἐξαριθμήσειεν ἄν τις.* Haec igitur a Nerone rapta dona Galba, ut primum imperator factus est, Agricolam praetorem iussit, sicubi comparerent, *recognoscere* et quovis modo *conquirere.* Liv. XXXVIII, 38, 12 *si quid ablatum est, id conquirendi, cognoscendi repetendique item ius esto.* V 16 *biduum ad recognoscendas res datum dominis.* XXIV, 16 *quod intra dies triginta domini cognovissent.* III, 10 *suum quisque per triduum cognitum abduceret.* X, 20 *acciti domini ad res suas noscendas recipiendasque.* Idem apud Liv. XXV, 7, 5 *sacris conquirendis* significari putat Dukerus, quod explicat „dona conquisita recognoscere.“ Itidem apud Liv. XXIX, 18 et 19 de *conquisitis* pecuniis, quae ex templo Proserpinae sublatae fuerant, agitur.

fecit ne — sensisset] Pp. 150.

7 Sequens annus gravi vulnere animum domumque eius afflixit. Nam classis Othoniana licenter vaga, dum Intemelios (Liguriae pars est) hostiliter populatur, matrem Agricolae in praediis suis interfecit, praediaque ipsa et magnam patrimonii partem diripuit, quae causa caedis fuerat. Igitur ad solemnia pietatis profectus Agricola, nuntio affectati a Vespasiano imperii deprehensus ac statim in

[2]) Intemelios *Lips.* in templo *ΔΓπ.* in Temelium *Υ.* ...templum M. Intemelio *coni. H. Surita ad Antonin. Itin. ed. Wessel. p.* 296 *et Savilius.* Intemelium *coni. Franc. Pithaeus.* — pars est *ΔΓπ.* urbs est *Υ. Haec codicis Ursini scriptura probari non potest, quia nomen oppidi* Albium Intemelium *dicitur, et verba* dum — populatur, matrem Agricolae in p r a e d i i s suis interfecit, *a g r o s potius quam urbem cogitari iubent. Hist. II*, 13 Irritatus eo praelio Othonis miles vertit iras in municipium Albium Intemelium. *Plin. III*, 5, 48 flumen Rutuba, oppidum Albium Intemelium. *Strabo IV*, 6, 1. *p.* 202 *πόλις εὐμεγέθης Ἄλβιον Ἰντεμέλιον, καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἰντεμέλιοι. Fuerunt qui addita haec verba pro glossemate haberent. Forsitan non iniuria.* [4]) praediis] *in quasdam editt. recc. operarum vitio* praesidiis *irrepsit.* [6]) solemnia *Δπ.* solenͣia *Γ.* [7]) deprehensus e s t ac statim in partis transgressus *Δ. Illud Γπ.*

Cap. 7. *O t h o n i a n a*] Hist. II, 12 *maritimas tum Alpes tenebat procurator Marius Matutus, is concita gente arcere provinciae finibus Othonianos intendit.* Paullo ante: *non Italia adiri nec loca sedesque patriae videbantur, tamquam externa littora et urbes hostium u r e r e, v a s t a r e, r a p e r e.*

c a u s a c a e d i s] Hist. IV, 1 *initium id perfringendarum domuum, vel, si resisteretur, c a u s a c a e d i s.*

s o l e m n i a] Ann. XII, 49 *funeris solemne—celebratur.*

a f f e c t a t i] male interpretatur Walchius „in se tracti" („thronbesitznahme"). *Affectare* enim aliquid is dicitur, qui cupide aliquid appetit et suum facere studet, nach etwas greifen. Germ. 37 *etiam Gallias affectavere.* Hist. IV, 66 *Civilis proximas civitates affectare aut adversantibus bellum inferre statuit.* Sall. Iug. 66 *interim Iugurtha civitates, quae a se defecerant — affectare.* Vell. Pat. II, 39 *Gallias saepe et affectavimus et omisimus* (sic Kritz pro *amisimus*). Liv. XXIV, 25 *cum nequicquam palam atque aperte petitum regnum clam et dolore affectare conatus sit.* I, 50 *cui enim non apparere, affectare eum imperium in Latinos.* Livius igitur si 1, 46 dicit *neque ea res Tarquinio spem affectandi regni minuit,* videtur hoc eodem modo explicandum uti *defendendi cautio, intelligendi prudentia, crescendi accessio,* ut sit: spem affectantis regnum. XXIV, 32 *tutiorem ad opes affectandas ratus esse viam, si in praesentia tempori cessisset* explicandum erit: ut posthac opes affectare possêt, nunc tutiorem esse eam viam, ut in praesentia cederet. Non mirum est dici aliquem *spem affectare* Liv. XXVIII, 18. Ovid. Metam. V, 377. Sed ne quis dicat, Vespasianum non appetivisse tum regnum, sed potitum esse, memineris iam ante Calendas Iulias, quibus Alexandriae legiones imperium ad eum detulerunt, inter Vespasianum, Mucianum et Alexandrum, Aegypti praefectum, eiusmodi consilia agitata esse. Hist. II, 74. Sed, quod gravius est, si a legionibus illis imperator salutatus erat, non iccirco dici poterat rerum potitus. Tarde aliae ad sacramentum transgressae, ipsaque Roma exeunte demum anno a suis expugnata est.

d e p r e h e n s u s] „καταληφθείς" Walth. inopinatus enim erat nuntius.

s t a t i m] ut primum illo nuntius deprehensus est.

partes transgressus est. Initia principatus ac statum urbis Mucianus regebat, iuvene admodum Domitiano et ex paterna fortuna tantum licentiam usurpante. Is missum ad delectus agendos Agricolam integreque ac strenue versatum vicesimae legioni, tarde ad sacramentum trangressae, praeposuit, ubi decessor seditiose agere narrabatur: quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat, nec legatus praetorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio. Ita successor simul et ultor electus, rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos quam fecisse.

2) Mutianus *Γπ* . — admodum iuvene *π*. 5) vigesimae *Δ*. 6) ubi — narrabatur] *Haec mihi sic scribenda videntur:* [ubi decessor..] Seditiose ea agere narrabatur, quippe *cett. Pp.* 114. 9) ultor *π*. ulctor *ΔΓ*. 10) donos *Δ*.

statum urbis] Hist. IV, 11.

Domitianus] Hist. IV, 2 *nomen sedemque Caesaris Domitianus acceperat: nondum ad curas intentus, sed stupris et adulteriis filium principis agebat.* Sueton. Domit. 1. Cf. etiam Hist. IV, 39. Annum tum agebat duodevicesimum.

vicesimae] „vicesima legio victrix in Britannia inter Cornavios commorabatur Devae, nunc *Chester*. In itinerario Antonini p. 469 *DEVA LEG. XX VICTRIX.* Ibi adhuc plurima supersunt antiquitatis rudera. Vide Camden Britannia p. 538." BROT. Praeter legionem XX in Britannia erant leg. II. IX. XIV. Ex his legio II, cui Vespasianus sub Claudio praefuerat, facile ad sacramentum transgressa. Hist. III, 44.

legatis consularibus] Trebellio Maximo et qui eum secutus est Vettio Bolano Pp. 190.

nimia] Hist. IV, 23 *praeferoces initio et rebus secundis nimii.* III, 52 *quippe nimius iam Antonius.* Vellei. Paterc II, 32 *Pompeium nimium iam reipublicae.* Graece *περισσός*.

rarissima moderatione — fecisse] Nescio, quid in mentem venerit Walchio, ut cum Virdungo in his verbis inesse putaret illud Sallustii Iug. 45 *ita prohibendo a delictis magis quam vindicando exercitum brevi confirmavit.* Neque Orellius verborum sententiam assecutus mihi videtur dicens: „cum potestas ei concessa esset seditiosos puniendi, maluit auctoritate tantum usus eos coercere, qui ad turbas proni esse videbantur." Talem enim moderationem non erat cur Tacitus adeo efferret et *rarissimam* diceret. Tu adverte potius ad verba quae antecedunt *ita successor simul et ultor electus*, quae ne supervacua tibi videantur, recordare *moderationem* apud Romanos saepe dici eam magnanimorum virorum virtutem, qua cum omnino suas laudes suaque merita elevant (Liv. X, 13 *acuebat hac moderatione tam iusta studia*), tum prorsus alieni a vanitate eorum, qui ex decessorum et collegarum infamia gloriam quaerunt suaque merita prae illis efferunt, illorum malunt culpam tegere omniaque meliora se invenisse profitentur. Sic Camillus Liv. VI, 25 *permissoque ut ex collegis* (adiutorem) *optaret quem vellet, contra spem omnium L. Furium optavit: qua moderatione animi cum collegae levavit infamiam tum sibi ingentem gloriam peperit.* c. 27 *Camillus singulari adversus collegam patientia et moderatione insignis.* Sic Tempanius, qui, quum male pugnatum esset a consule et ipse fortitudine sua pugnam restituisset, accusatum consulem *oratione non suis vana laudibus, non crimine alieno laeta* in concione defenderat, *cum ingenti laude non virtutis magis quam moderationis di-*

8 Praeerat tunc Britanniae Vettius Bolanus placidius, quam feroci provincia dignum est. Temperavit Agricola vim suam ardoremque compescuit, ne incresceret, peritus obsequi eruditusque utilia honestis miscere.

Brevi deinde Britannia consularem Petilium Cerialem accepit. Habuerunt virtutes spatium exemplorum; sed primo Cerialis labores modo et discrimina, mox et gloriam communicabat: saepe parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copiis ex eventu praefecit. Nec Agricola unquam in suam famam gestis exsultavit; ad auctorem ac ducem ut minister fortunam referebat. Ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando extra invidiam, nec extra gloriam erat.

1) Vettius Bolanus *Δ*. *Lips.* Ve^rtius Volanus *ΓM.* Voctius Volanus *π*. (*c.* 16 Vectius Bol. *Δ*. Vectius Uol. *Γπ*.) 2) provinciae *π*. 5) Peretilium *π* (*c.* 17 Petilius *etiam π habet.*] — Cerialem *Δ*. Cerialem *Γ*. Cerealem *Mπ*. (c. 16 Cerealis *Δπ*. Caerealis *Γ*.) 7) modò labores *π*. 11) ac ducem *ΔΓ*. et ducem *π*. *quod auribus magis probatur quam codicum scriptura.* BECK. — fortunam *om. π, sed in margine adscriptum habet.* 12) ex̃ invidiam nec ex^a gloriam *Δ*.

missus est Liv. IV, 41. Haec autem adversus decessorem moderatio illud sane secum ferebat, ut militum delicta et dissolutum qui fuerat disciplinae ordinem dissimularet, neque poenis et suppliciis imperium auspicaretur, pudore potius eos ad modestiam traducturus. Neque nego hanc clementiam, qua milites tractaret,et ipsam moderationem dici. Hist. II, 29.

Cap. 8. *dignum est*] „non de Britannia, sed de quacunque alia feroci provincia intelligendum est.“ Dronk.

ne incresceret] „ne super Bolanum adsurgeret. Sueton. de illust. gr. 3 *post hoc magis ac magis et gratia et cura artis increvit*“ Walth. Nolebat igitur ardore et strenuitate ipse exsplendescens Bolanum obscurare. Pessime Walchius: *ne incresceret* sc. *ardor*.

utilia honestis] utile erat rerum gerendarum occasiones arripere, ut et famam pararet et reipublicae prodesset, honestum obsequi duci summo, quamvis is a rebus gerendis et ipse abhorreret et alios prohiberet, neque altercando cum illo eius segnitiem nudare aut auctoritatem subvertere. Utebatur igitur temperamento quodam inter ardorem et obsequii inertiam.

consularem] legatum consularem.

spatium exemplorum] spatium exempla edendi fortitudinis. Ann. XIII, 8 *videbaturque locus virtutibus patefactus.* Similia vide Pp. 167. Ad grammaticam rationem notandum est hoc exemplum, quippe quod unum maxime doceat, quomodo explicandae sint notae illae dictiones: *exemplorum eligendi potestas*, de quibus disserunt Haase ad Reisigii Schol. lat. p. 771. Kritz ad Sall. Iug. 81, 5. Graecorum exempla, quibus illud dicendi genus optime illustratur, nuperrime collegi in *Thucydideis* p. 4.

Nec Agricola] Cf. c. 5 *nec Agric.* cett. Pp. 137.

in suam famam] ut se suamque virtutem iactaret famamque ipse colligeret. c. 18 *nec Agricola prosperitate* rerum *in vanitatem usus.* c. 9 *ne famam quidem ostentanda virtute — quaesivit.* Non possunt illa verba nisi cum *exsultavit* iungi.

nec extra gloriam] ohne zugleich

Revertentem ab legatione legionis divus Vespasianus inter patricios ascivit, ac deinde provinciae Aquitaniae praeposuit, splendidae imprimis dignitatis admi- 9

²) ascivit π. adscivit ΔΓ. (c. 12. 29 aspici. ΔΓπ. *contra* adstruere ΔΓπ. c. 44.) — Aquitaniae Γ. aequitaniae Δ. aquitanniae π 1. — ³) proposuit Δ. — splendidȩ Γ. splendide Δ.

des ruhmes bar zu sein. Liv. III, 55 *quorum consulatus popularis sine ulla patrum iniuria, nec sine offensione fuit.* V. 22 *oppida oppugnata nec obsessa sunt.* Cf. Seyffert palaestra Cic. p. 136. Kritz ad Sall. Iug. 57. Passow ad Germ. 45.

Cap. 9. *revertentem*] male abutitur Walchius p. 322 hac voce, probaturus participium praesentis subinde poni pro participio perfectae actionis, quod secus est. Ac *revertens* quidem plane eodem modo dictum est, uti saepissime *decedens.* Uti *decedens* is dicitur, qui provinciam reliquit, sic *revertens* h. l. qui legatione se abdicavit. Cic. pro Planc. c. 41 *quum ad me L. Tubero — decedens ex Asia venisset.* c. 26 *at ego, quum casu diebus iis itineris faciendi caussa decedens e provincia Puteolos forte venissem.* Brut. c. 1 *quum e Cilicia decedens Rhodum venissem.* Liv. XXIII, 34 *quum A. Cornelius ex Sardinia provincia decedens rettulisset* cett. Ann. II, 69 *At Germanicus Aegypto remeans cuncta—cognoscit.* III, 11 *atque interim Drusus rediens Illyrico — urbem intravit.* Cf. Kritz ad Sall. Iug. 10.

inter patricios] Ann. XI, 25 *iisdem diebus in numerum patriciorum ascivit* (Claudius) *Caesar vetustissimum quemque e senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum gentium et L. Brutus minorum gentium appellaverant, exhaustis etiam, quas dictator Caesar lege Cassia et princeps Augustus lege Saenia sublegere.* Aurel. Vict. Caess. c. 9 *lectis undique optimis viris* (Vespasianus) *mille gentes* (patricias) *composuit, cum ducentas aegerrime repperisset exstinctis saevitia tyrannorum plerisque.* Gesner ad Plin. paneg. 9. Casaubonus ad Suet. Caes. 41. Dio Cass. LII, 42. Inscript. Orell. no. 733. 3135. 3042.

splendidae inprimis dignitatis] nodum in scirpo quaerunt plerique editores. Nam *provinciae Aquitaniae praepositus est,* non est *praepositus Aquitaniae terrae, quae est provincia Romana,* sed potius *nactus est provinciam administrandae Aquitaniae.* Satis notae sunt ex Livio frequentissimae illae dictiones: *cui classis provincia erat* (Liv. XLII, 48. XLIV, 1. XXX, 43), *cui Volsci provincia evenerat,* aut ubi copulantur: *praetores provincias sortiti sunt, Fabricius urbanam, Labeo peregrinam, Claudius Hispaniam, Manlius Siciliam, Porcius Pisas* (Liv. XXV, 3. XXXIII, 43. XXXIX, 8 alibi). Iam quoniam *provincia Aquitania* munus est administrandae Aquitaniae, nil omnino mirum est adiici *splendidae inprimis dignitatis* i. e. in quo munere magna erat dignitas. Ciceronem sane dicturum fuisse puto: *quae erat provincia splendidae inprimis dignitatis,* sed Tacitus in his genus solet omittere. c. 4 *mater Procilla fuit, rarae castitatis.* c. 16 *Trebellius segnior et nullis castrorum experimentis.* Mitto coniecturas, sed notandus est Ritterus, qui nuper scribere ausus est *splendidae inprimis dignitati.* Equidem sane legi: in consulatu, in senatorio ordine magnam inesse dignitatem, aut praeturae magnam esse dignitatem, aut consulatum esse amplissimum dignitatis gradum, at nunquam me legere memini, proconsulatum, praeturam esse aliquam dignitatem, eine staatswürde. Scilicet Tacitus non ea scripsit aetate, qua *Notitiae dignitatum — in partibus Orientis et Occidentis* conscriptae sunt, aut qua Callistratus (Dig. I, 18, 19) praesidem provinciae iussit *auctoritatem dignitatis ingenio suo augere.* Neque Hist. I, 1 *dignitas* Taciti *a Vespasiano inchoata, a Tito aucta* alia est atque dignitas senatoria.

administratione ac spe consulatus] „ea provincia [i. e. ea procuratio] magnam adferebat dignitatem tum propter administrationem i. e. magnitudinem rerum ibi gerendarum [Hist. III, 53 *Gallias Hispaniasque validissimam terrarum partem*] tum propter spem consulatus, quae cum hoc

nistratione ac spe consulatus, cui destinarat. Credunt plerique militaribus ingeniis subtilitatem deesse, quia castrensis iurisdictio secura et obtusior ac plura manu agens calliditatem fori non exerceat. Agricola naturali prudentia, quamvis inter togatos, facile iusteque agebat. Iam vero tempora curarum remissionumque divisa: ubi conventus ac iudicia

[2]) deesse *Γπ.* adesse *Δ. Eadem discrepantia invenitur c.* 42. [4]) fori non *Γπ.* foreñ *Δ.* [5]) temporis et curarum *Δ.*

munere coniuncta erat. ERN. Sic Galba (Suet. c. 6) *exin provinciae Aquitaniae anno fere praefuit: mox consulatum—gessit.*

cui destinarat] sc. Agricolam. Plin. ep. IV, 17 *hic ipse honor, cui destinatus est.* (Alias dicitur *destinare alicui provinciam* c. 40. Liv. XXVIII, 40. Aliter intelligendum Ann. III, 18 *quippe fama, spe, veneratione omnes destinabantur imperio.*) Facile quis suspicetur, haec verba supervacua esse, quia, si plerumque fieret, ut Aquitaniae legatus consul eligeretur, Agricolae quoque ea spes parata esset. At usus non lex est. Additis igitur illis verbis significat Tacitus, quod vulgo homines opinari solebant, id in Agricola certe eventurum erat, nam imperator vere eum consulatui destinarat. Alii explicant *spe consulatus* sc. eius, *cui destinarat* hanc provinciam. Male. Nam consul fiebat, qui functus erat illa provincia, non cui destinata esset. Praeterea tum *destinasset* dicendum erat.

secura et obtusior] non curat iureconsultorum formulas, cautiones, definitiones, argutias, ideoque his minus acuta, minus subtilis (oberflächlich) videtur. Communi potius sensu illi diiudicant, quid iustum sit, quae culpa sit.

manu agens] sine fori ambagibus celeriter res conficit noxios plectendo, nos: kurzen process machen, summarisch verfahren. Pomponius de orig. iuris §. 2 (Dig. I, 2) *et quidem initio civitatis nostrae populus sine lege certa, sine iure certo primum agere instituit omniaque manu a regibus gubernabantur.*

non exerceat] i. e. non acuat. Sen. ep. 109 *necesse est enim alienam virtutem exercendo exerceat et suam.* ibid. *in istis nos nihil aliud nisi acumen exercemus.* Peerlkamp confert Quintil. declam. CCCX *contemnunt militarem hominem nihil minus quam litibus idoneum.*

calliditatem fori] quanta cautione opus fuerit inter *leguleios cautos et acutos, cantores formularum, aucupes syllabarum* (Cic de orat. I, 55, 236), satis apparet ex iis, quae Cic de orat. I, 36, 166. 37, 168 affert.

inter togatos] *togatos* noli intelligere „caussidicos" aut „litigantes." *togatus* est h. l. is qui non militaris est, der civilist. Liv. III, 10 *nisi dum domi, dum togati sint, caveant.* III, 50 *immisti turbae militum togati.* XXII, 39 *et qui tantas iam turbas inter togatos ciet, quid inter armatam iuventutem censes facturum.* Iam in conventihus inter togatos habendis non militaris iurisdictio locum habebat, sed omni subtilitate iuris opus erat.

facile iusteque] „nempe ei iurisdictio nullam molestiam afferebat, facile se expediebat c caussarum tricis cett." ERN. Ceterum non de superatis difficultatibus maxime agitur, sed significatur ea celeritas ingenii, quae re facile perspecta quasi acu tangit, in quo res vertatur. Plin. ep. II, 13 *ad hoc ingenium excelsum, subtile, dulce, facile, eruditum in caussis agendis.* Sen. ep. 52 *quaedam ingenia facilia et expedita.* Cic. Brut. 48, 180 *fuit etiam facilis et expeditus ad dicendum et vitae splendore multo et ingenio* cett. Suet. Tib. 71 *quamquam alias promptus et facilis.* Ernesti confert Cic. de off. II, 19, 66 *diserti igitur hominis et facile laborantis.*

iam vero] i. e. praeterea, ferner. c. 21 *iam vero principum filios* cett. Hist. I, 2 *iam vero Italia* cett. Germ. 14 *iam vero infame* cett. Apud Ciceronem exempla ubique obvia.

divisa] i. e. separata inter se, non mixta (streng geschieden), ut, si negotia obiret, alienus a remissionibus, si remissionibus se daret, immemor esset negotiorum. Cic. pro Mur. 35, 74 *Romani homines, qui tempora voluptatis laborisque dispertiunt.* Liv. XXI, 4 *vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora.*

conventus] „conventus iuridici, in qui-

poscerent, gravis, intentus, severus; [et saepius misericors:] ubi officio satisfactum, nulla ultra potestatis persona. [Tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat] Nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas auctoritatem aut severitas amorem deminuit. Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre iniuriâ virtutum fuerit. Ne famam quidem, cui saepe etiam boni indulgent, ostentanda virtute aut per artem quaesivit, procul ab aemulatione adversus collegas, procul a contentione adversus procura-

[1]) [et saepius misericors] *vulgo sine uncis. Pg.* 106. [2]) nulla ultra potestatis persona *Rhen.* nullam ultra potestatis personam *ΔΓπ. Pp.* 89. — [trist. et arrog. et avar. exuerat] *vulgo sine uncis. Pp.* 104. [4]) facultas *Δ.* [5]) deminuit *Lips.* diminuit *ΔΓπ.* [6]) firtutum *deleto* f *et superscripto* v *Γ.* [7]) saepe etiam boni *Γ.* etiam saepe boni *Δπ.* etiam boni saepe *Beck.* — ostentanda virtute *Rhen.* ostentandam virtute *ΔΓπ.* (ostendandam *π* 1) *Pp.* 89. *Bosius coni.* ostentando virtutem. *Frustra.*

bus ius dicebatur. Sic teste Plin. N. H. III, 1 in Baetica erant *iuridici conventus quatuor, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, Hispalensis.*" BROT.

intentus] qui non obiter et oscitanter et aliud agens auscultat caussamque cognoscit, sed serio advertit animum contra morem eorum, qui quum praesident eiusmodi quaestionibus, animo et vultu prae se ferunt, celeriter se res transactas velle, parum ipsi animum attendentes.

facilitas auctoritatem] Broterius confert L. 19 de officio praesidis (Dig. I, 18) *observandum est ius reddenti, ut in adeundo quidem facilem se praebeat, sed contemni non patiatur; unde mandatis adiicitur, ne praesides provinciarum in ulteriorem familiaritatem provinciales admittant. Nam ex conversatione aequali contemptio dignitatis nascitur. — Et summatim ita ius reddi debet, ut auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat.*

integritatem atque abstinentiam] illa non corrumpitur in iure dicendo, haec non divitias quaerit avertenda publica pecunia aliorumve spoliis.

saepe etiam boni indulgent] Hist. IV, 6 *erant quibus appetentior famae videretur, quando etiam sapientibus cupido gloriae novissima exuitur.*

per artem] „hoc fit cum blandiendo precandoque aut largiendo etiam impetramus ab aliis, ut nos quantumlibet falso commendent ac laudent," Buchn. Idem confert Ann. XV, 20—22 unde apparet, quomodo proconsules et propraetores gratiarum actiones et falsam laudem a provincialibus expresserint. Talia iam ab Augusto vetita. Dio Cass. LVI, 25: *τῷ ὑπηκόῳ προσπαρήγγειλε μηδενὶ τῶν προστασσομένων αὐτοῖς ἀρχόντων μήτε τῆς ἀρχῆς χρόνῳ μήτε ἐντὸς ἑξήκοντα ἡμερῶν μετὰ τὸ ἀπαλλαγῆναι σφᾶς τιμήν τινα διδόναι, ὅτι τινὲς μαρτυρίας παρ᾽ αὐτῶν καὶ ἐπαίνους προσπαρασκευαζόμενοι πολλὰ διὰ τούτου ἐκακούργουν.*

collegas] vicinarum provinciarum praesides. (Hist. I, 10.) Ann. XIII, 53 Germaniae et Belgicae legati sibi obtrectant.

procuratores] „aut per triennium illud plures procuratores habuit aut universe accipiendum: contentionem adversus procuratores, qua plerumque provinciarum praepositi utantur, ab eo abfuisse." ERN. Sic Graeci *πρὸς παίδων θανεῖν* eum quoque dicunt, qui ab uno suo filio occisus est (Soph. Oed. Col. 970) et *ἕρκεσι κρυφθέντα γυναικῶν* (uxoris suae) Elect. 837. Sed tamen de procuratoribus doctrina nondum ad liquidum adducta videtur, ut dubitare liceat, num procuratores provinciae et procuratores rei privatae (Rationales Caesaris) semper iidem fuerint.

tores: et vincere inglorium et atteri sordidum arbitrabatur.

Minus triennium in ea legatione detentus ac statim ad spem consulatus revocatus est, comitante opinione, Britanniam ei provinciam dari, nullis in hoc suis sermonibus, sed quia par videbatur. Haud semper errat fama, aliquando et elegit. Consul egregiae tum spei filiam iuveni mihi despondit ac post consulatum collocavit, et statim Britanniae praepositus est adiecto pontificatus sacerdotio.

10 Britanniae situm populosque multis scriptoribus memoratos non in comparationem curae ingeniive referam,

1) acteri *Δ*. 6) aut semper erat fama *Δ*. *In eodem cod. haec verba parenthesi inclusa sunt.* 7) elegit *ΔΓπ*. eligit *Rhen*. *Cf. Pp.* 120. — egregiae *π*. grȩciȩ *Γ*. gratȩ M. grate *Δ*. *Etiam Liv. X*, 47. *XXXVI*, 6 egregia *et* grȩcia *confusa sunt.* 8) et post *Δ*. 11) ingeniive *Γπ*. ingemine *Δ*.

et vincere] sc. in tali cum procuratoribus contentione. Buchn.

atteri] non ipsa haec vox significat *vinci*, sed est: dignitatis iacturam facere, quod quoniam fit, si quis in contentione, praesertim cum inferiore, caussa cadit, propterea *atteri* breviter dictum est prò vinci cum ignominia sive attrita fama. Sall. Cat. 16 *ubi eorum famam atque pudorem attriverat*. Hist. I, 10 *attritis opibus*. Sall. Iug. 5 *Hannibal — Italiae opes maxime attriverat*. *Sordidum* igitur h. l. est quod ignominiam affert. Seneca de const. cap. 14 *fecit se adversarium, qui contendit, et ut vincat, par fuit*. Virdung citat Senecae dictum: *cum superiore contendere furiosum, cum pari anceps, cum inferiore sordidum*.

fama—aliquando et elegit] Verba haec suspecta sunt. Pp. 120. 152.

egregiae tum spei] Non displiceret *iam tum*, sed nihil mutatione opus; *tum* habet vim imperfecti (*quae tum erat*). Cf. Ann. II, 9 *duce tum Tiberio*, ubi vulgo male scribitur *duce Tiberio*. *Tum* cett. Putidum autem est, in eo speciem oppositi temporis posterioris quaerere, quasi inesse possit: *tum quidem* egregiae spei fuit, postea autem hanc spem frustrata est. Id nemini in mentem venire poterat, quia *egregiae spei* esse pueri tantum dicuntur et puellae, ideoque omnis interclusa est feminae comparatio. Agricola consul fuit anno 830 (Muratori Annali d'Italia Tom. I, p. 291), nata autem illa filia anno 818 (c. 6). Ergo annos tum nata erat duodecim. Cf. Plin. ep. V, 16 *Fundani filia — nondum annos quatuordecim impleverat, et iam illi anilis prudentia, matronalis gravitas erat—Iam electus nuptiarum dies* cett.

pontificatus] Hist. I, 77 *sed Otho pontificatus auguratusque honoratis iam senibus cumulum dignitatis adiecit*. Ann. I, 3 *Claudium Marcellum pontificatu—extulit*.

Cap. 10. *memoratos*] Germ. 34 *aliae gentes haud perinde memoratae*. Hist. I, 1 *dum res pop. Rom. pari eloquentia atque ingenio memorabantur*. Ann. I, 1.

in comparationem] „non ea de caussa referam, ut comparatio inde fiat mei ingenii et aliorum. ERN. Ann. I, 76 *metu comparationis*. Vellei. Pat. II, 9 *usque in Graecorum ingeniorum comparationem evecti*. Liberius etiam Ann. I, 10 *comparatione deterrima* (ein *pendant*) *gloriam sibi quaesivisse*.

curae] Peerlkampius non de diligentia in libro scribendo, sed de ipso libro intelligi vult. Ann. IV, 11 *quorum in manus cura nostra venerit*. Non adsentiar, nam Tacitus haud scio an tum *ingeniique* non *ingeniive* scripturus fuerit.

sed quia tunc primum perdomita est: ita quae priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. Britannia insularum, quas Romana notitia complectitur, maxima, spatio ac coelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem etiam inspicitur. Septentrionalia eius, nullis contra terris, vasto atque aperto mari pulsantur. Formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium eloquentissimi

[1]) tum primum *ΔΓπ. Hoc qui retinuerunt editores recentiores, debebant certe paullo post in hoc capite omnium librorum scripturam* tunc primum *mutare. Nihil plane differt alter locus ab altero, ut inconstantia illa non sit ferenda. Ann. II,* 43 tunc *scribitur, ubi* tum, *et c.* 44 tum, *ubi* tunc *scribendum mihi videtur.* — ita quae *Δ.* itaque (with quȩ superscript) *Γ (syllaba* que *transfixa est eique* quȩ *superscriptum)* itaque quae *π.* [2]) fide *Δπ.* fidẽ *Γ. sed circumflexus ille est rursus deletus.*

ita] c. 30 *ita proelium atque arma — tutissima sunt.*

percoluere] Thucyd. I, 21 *καὶ οὔτε ὡς ποιηταὶ ὑμνήκασι περὶ αὐτῶν ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμοῦντες.*

spatio ac coelo] Quamquam iam olim Beckerus recte fere haec explicavit, insecuti tamen editores denuo omnia intricarunt. Terrae quae sibi spatio obtenduntur sunt terrae, quae ita sese extendunt, ut e regione sibi sitae sint (sich gegenüber liegen, sich gegenüber strecken). Iam hoc fieri potest, ut aut hoc modo sitae sint: =, aut: ||, aut alio modo, : dummodo exadversum sitae sint. Quod igitur non satis definite notatum est, id prorsus definitur additis verbis *ac coelo.* Nam si non modo exadversum sibi, sed etiam sub eodem coelo (sub eadem geographica latitudine) sitae sunt, tum earum situs nullus esse poterit nisi ||. *Obtendi* legitur etiam Germ. c. 35 *Chaucorum gens, quanquam incipiat a Frisiis ac partem littoris occupet, omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur.* Plin. N. H. V, 20 *huic* (Libano) *par interveniente vallo mons adversus Antilibanus obtenditur.* Hist. II, 5 a *meridie Aegyptus obiacet.* VI, 17 *quaeque pars orienti adversa recta praetenditur spatio. Spatium* (die Ausdehnung) saepe est i. q. longitudo (geometrica), *μῆκος.* Plin. VII, 17 *Quod sit hominis spatium a vestigio ad verticem, id esse passis manibus inter longissimos digitos animadversum est.* Ovid. Met. III, 95 *dum spatium victor victi considerat hostis.* Claud. Stil. II, 290 *spatio summas aequantia fagos cornua.* Hinc Tacitus Ann. II, 61 *spatia* dicit mensuras, *πειρητῆρας.* Ablativi autem *spatio ac coelo* vices sustinent accusativi apud Graecos usitati. cf. c. 25 *mixti copiis.* Iam quomodo veteres animo informare potuerint, Britanniam mediam inter Germaniam et Hispaniam sitam esse, quae eadem opinio proditur c. 24 *siquidem Hibernia media inter Britanniam atque Hispaniam sita,* id bene explicuit Mannertus geograph. II, 2, p. 8 sq. Misso enim toto illo Galliae tractu, qui occidentem versus excurrit (la Bretagne), omne occidentale et septentrionale littus Galliae una cum littoribus Germaniae una rectaque linea esurgere putabant orientem versus ac septentriones. Ex altera parte Hispaniae littus alte escendere statuebant ad septentriones. Inter utrumque igitur hoc littus extendi opinabantur Britanniam, quam multo inferius sitam putabant.

etiam inspicitur] Gallis tam prope sita est, ut inde etiam conspici possit.

aperto mari] „h. e. mari sine insulis aut terris. Ann. IV, 67. II, 23.“ Walth. Caes. b. g. III, 12 *vasto atque aperto mari.*

Livius] libro CV.


Fabius Rusticus] Ann. XIII, 20. 61. XIV, 2. XV, 61. Admodum mirum mihi videtur Tacitum in iis scriptoribus, qui Britanniam descripserint, nullam facere Iulii Caesaris


auctores, oblongae scutulae vel bipenni assimilavere. Et est ea facies citra Caledoniam, unde et in universum fama est; sed immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam littore terrarum velut in cuneum tenuatur.

1) oblonga *Γ*. — scupulae *Δ*. — assimilavere *ΔΓ* *Lips.* (adsim. *Δ*.) assimulavere *π* *Ern.* 2) unde et in universum *Δ*. unde et universum *Γπ*. Al' unde et universis fama M. unde et in universam *Gronov.* *Ne coniicias* universim, *cf. c.* 11. *Germ.* 6 in universum aestimanti, *Germ.* 5 terra in universum horrida. *Plin. N. H.* 6, 17 Persae illos Sacas in universum appellavere. *Liv. IX*, 26 non nominatim — sed in universum. 3) fama est transgressus *Δπ*2. *π*3. fama est transgressis *Γπ*1. fama est transgressa *Rhen. p.* 131. — enorme *Rhen.* inorme *ΔΓ* innorme *π*. — pro currentium *Δ*.

mentionem, quem alibi commemorat (Germ. 28 *validiores olim Gallorum res fuisse summus auctorum divus Iulius tradit*). Neque in hunc cadit, quod initio huius capitis dicitur: *quae priores nondum comperta eloquentia percoluere.* Iam nolim equidem nunc eam suspicionem amplecti, quam olim viri quidam militares, nuper Anglus quidam in diario quodam (*United service magazin* 1849) protulit, omnes illos Caesaris qui ferantur commentarios subdititios esse neque ab ipso Caesare profectos, nam illorum librorum scriptorem ignarum esse regionum, in quibus res gerantur, atque artis belli ususque militaris, qualis quidem in summo duce inesse soleat, expertem. Haec igitur mittam equidem, sed num illa descriptio Britanniae b. g. V, 12—14 ab ipso Caesare composita sit, dubito equidem, praesertim quum ea non satis apto loco interiecta sit, et omissa ea narrationis perpetuitas non conturbetur.

oblongae scutulae vel bipenni] ab his non multum discrepant Strabo IV, 5, 1. Caes. b. g. V, 13. Pomponius Mela III, 6, 4. qui Britanniam (sc. citra Caledoniam) *triquetram et Siciliae maxime similem* (*τρίγωνος ἐστι τῷ σχήματι*) dicunt. Figuras igitur scutulae et bipennis hasce tibi finge:





Fama est] Liv. XXXIV, 31 *quales Carthaginienses esse fama est.* XXIV, 3 *fama est, aram esse in vestibulo templi.* XXXVI, 17 *ut quondam Lacedaemonios fama est.* XXI, 1, Plin. N. H. VII, 2.

procurrentium extremo iam littore] terrarum illarum, quae, ubi littus iam extremum est, denuo procurrunt, immensum et enorme spatium velut in cuneum tenuatur i. e. ita excurrit ut in cuneum tenuetur. Aber indem das land da, wo das gestade schon enden will (i. e. wo man schon das äusserste ende des nordgestades vermuthet, sc. am Firth of Clyde und Firth of Forth), von neuem sich vorstreckt, läuft ein unermesslicher landstrich (Caledonia) in form eines kegels aus. Extremo iam littore eodem modo dictum est uti Cic. de orat. I, 1 *decursu honorum et iam aetatis flexu* i. e. aetate se iam flectente. c. 18 *media iam aestate transgressus.* Ann. I, 49 *truces etiamtum animos cupido involat* cett. II, 21 *iamque sero diei subducit ex acie legionem.*

Hanc oram novissimi maris tunc primum Romana classis circumvecta insulam esse Britanniam affirmavit, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orcadas vocant, invenit domuitque. Dispecta est et Thyle, sed hactenus iussum et hiems appetebat. Mare pigrum et grave remi-

3) orchadas *π*. 4) dispecta *Γπ*. *Riv*. *Rhen*. despecta *Δ*. *Beroald*. — Thyle *Γπ*. Tyle *Δ*. Thule *Ern*. *vulgo*. Tyle quia hactenus iussum *Δ*. Thyle q̧ hactenus iussum *Γ*. Thyle quam hactenus nix *π*. *Pp*. 89. 5) appetebat *ΔΓπ*. abdebat *Rhen*. — Sed mare *ΔΓπ*. *Pp*. 90. — remigantibus *ΔΓ*. *Rhen*. remigrantibus *Δ*.

tunc primum] Dio Cass. LXVI, 20 *Γναῖος Ἰούλιος Ἀγρικόλας πάντα κατέδραμε, καὶ πρῶτός γε Ῥωμαίων, ὧν ἴσμεν, ἔγνω τοῦθ', ὅτι ἡ Βρεττανvία περίῤῥυτός ἐστι*. XXXIX, 50 *προϊόντος δὲ δὴ τοῦ χρόνου πρότερόν τε ἐπ' Ἀγρικόλου ἀντιστρατήγου καὶ νῦν ἐπὶ Σεβήρου αὐτοκράτορος νῆσος οὖσα σαφῶς ἐλήλεγκται*. Antea enim *ἐς ἀμφισβήτησιν, εἴτε ἤπειρος εἴτε καὶ νῆσος εἴη, ἀφίκετο*. Significatur autem expeditio praefecti classis, cui Agricola *circumvehi Britanniam* praecepit c. 38.

Orcadas] Quod quidam scriptores iam sub Claudio Orcadas insulas (the Orkney-isles) domitas esse tradunt, veluti Eusebius chronico p. 430 *Claudius de Britannis triumphavit*. Orosius VII, 5 *Orcadas etiam insulas ultra Britanniam in Oceano positas Romano adiecit imperio*. Eutrop. VII, 13 Nennius, Beda hist. eccles. 3. id recte monet Walchius imputandum esse historicorum adulationi, qui Claudii aetate res eius exaggerarint, quos reliqui temere secuti sint. Ceterum quod Walchius Iuven. Sat. II, 160 asserit cum Tacito facere, qui dicat *modo captas Orcadas*, non multum equidem tribuerim huic quidem temporis notationi. Quod Latini *modo* aut *nuper* evenisse aiunt, saepe longo temporis spatio remotum est. Cic. de off. II, 21 *modo enim hoc malum in rempublicam invasit* i. e. ante 70 annos. Cf. Gronov. Observ. IV, 18. *Incognitas ad id tempus* si Tacitus illas insulas dicit, non negat aliquam eorum famam Romam iam ante pervenisse, sed nemo eas adierat et praesens cognoverat. Confert Walchius Liv. XXVIII, 44 *ad hoc maior ignotarum rerum est timor*. *Bona malaque hostium ex propinquo ingressus fines aspicias*. V, 32 *gens longinqua eoque ignotior*.

dispecta est] „dispiciuntur, quae (longinqua) non sine magna oculorum contentione cernuntur" ERN.

Thyle] ea Thyle, quam dispexit Agricolae classis, fuerit forsitan una ex iis, quae dicuntur Shetlands-Inseln, veluti *Mainland*, quam Gosselin *Recherches* IV, p. 169 ante haec duo secula etiamtum *Thyl* appellatam esse refert. Illae enim, quia alte eminent ex mari, vere dispici possunt ex Orcadibus. De Pytheae autem insula *Thyle* quae existimarint veteres, quae recentiores, ea diligenter collegit Maximilianus Fuhr in libro: Pytheas aus Massilia. Historisch-kritische Abhandlung. Darmstadt 1842. Omisit autem commentationem bonae frugis plenam, in qua quae fabulosa videntur pleraque ad veritatis speciem referuntur, scriptam a Sven Nilsson, professore Lundensi: *Några commentarier till Pytheas' fragmenter om Thule*, quae legitur in *Physiographisca Säleskapets Tidskrift* I. Lund. 1837. lingua theodisca reddita a Schoemanno in Zimmermanni zeitschrift für alterthumswissenschaft. 1838 p. 921.

mare pigrum] haec desumta sunt ex narrationibus de maris prope Thylen natura, quod alii *concretum*, *cronium*, *pigrum ac prope immotum*, *Lebermeer*, *Lebersee* dicunt. Iis quos nominavit Fuhr p. 38 sq. adde Rosenkranz deutsche poesie im mittelalter p. 74. Quod Pytheas apud Strabonem VI, 5, 5 dicit *σύγκριμά τι πλεύμονι θαλασσίῳ ἐοικός*, eam imaginem Nilsson dicit desumtam esse a re Massiliensibus Pytheae popularibus nota, nam in mari mediterraneo tempestatum vi saepe ingentem multitudinem *πνευμόνων* i. e. pulmonum marinorum (Quallen, Medusen) in fretis et aestuariis coacervari. Huic moli admodum similem

gantibus perhibent ne ventis quidem perinde attolli, credo, quod rariores terrae montesque, causa ac materia tempestatum, et profunda moles continui maris tardius impellitur. Naturam Oceani atque aestus neque quaerere huius operis est, ac multi rettulere. Unum addiderim, nusquam latius dominari mare, multum fluminum huc atque illuc ferre, nec littore tenus accrescere aut resorberi, sed influere penitus atque ambire, et iugis etiam ac montibus inseri velut in suo.

11 Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint,

[1]) perhibent ne *Δ*. perhibent: ne *Γ*. perhibent. Ne *Rhen.* — perinde *Grotius. Ern.* proinde *ΔΓπ*. [4]) nec quaerere *Δ*. [5]) rettulere *π*. retulere *ΔΓ*. [6]) dominari *π*. dañari *ΔΓ*. dnari M. [7]) aut resorberi] *equidem haud scio an scribendum sit* ac resorberi. *Cf. c.* 12 nec occidere et exsurgere. [8]) et iugis etiam ac montibus *ΔΓ Brot.* etiam iugis atque montibus *π*. et iug. etiam atque mont. *Ern.* [10]) in Britanniam *π*. — quia mortales *Δ*.

esse mixtam quandam atque concretam glaciei ac nivis massam, quae hiemis tempore in maribus septentrionalibus prope littora fluctuetur.

perinde] exempla, in quibus *haud perinde* i. e. non magnopere, haud ita multum (nicht sonderlich, nicht recht) elliptice dictum videtur, collegerunt Bötticher lex. Tac. p. 353. Walther. ad Germ. c. 5. Ceterum ipsis Latinis nulla profecto in his ellipsis obversata est, ut, si quis Sueton. Octav. 80 *femore et crure sinistro non perinde valebat*, animo addi iusserit *ac dextro*, id illi putidum existimaturi fuerint. Graecos eodem modo dixisse *οὐχ ὁμοίως* testatur Plato Phaedone 63 C *ὥστε διὰ ταῦτα οὐχ ὁμοίως ἀγανακτῶ*, *ut haud magnopere aegre feram.* Thucyd. I, 49. Apud Thucydidem tamen plerique loci eiusmodi sunt, ut, quid scriptor additum velit animo, quovis in loco satis in promptu sit, I, 75. 99. IV, 29.

materia tempestatum] in quo tempestates vim suam exerceant. Conferri iubet Walchius Senecam quaest. nat. V, 13, ubi accuratius idem exponitur.

impellitur] Hist. V, 6 lacus *immenso ambitu—neque vento impellitur, neque pisces patitur.*

neque—ac multi] Suet. Vesp. 12 *mediocritatem pristinam neque dissimulavit unquam, ac frequenter etiam prae se tulit.* In quo loco minus quam nostro *neque—et* desiderabis.

fluminum] „meeresströmungen. Cf. Mela III, 3 *mare* (Codani sinus) *aquis passim interfluentibus ac saepe transgressis vagum atque diffusum facie amnium spargitur.*" WALCH. Flumina illa quia in mari huc atque illuc *feruntur*, propterea mare ea dicitur huc atque illuc *ferre.*

velut in suo] mare penitus in terram influens et iugis etiam ac montibus se inserens, dominatur in terris velut *in suo*, es schaltet und waltet wie in seinem reiche. Perverse Walchius: dominatur in terrae montes velut in suos. Contra quem recte monet Riglerus: Suis montibus non inseritur mare, sed superfunditur, ut fluctibus eos obruat. Roth apte confert Sen. Nat. Quaest. III, 30 *non vides, ut aestus fines suos transeat et in possessionem terrarum mare inducat.*

Cap. 11. Totum hoc caput cum dimidia parte capitis sequentis usque ad verba *universi vincuntur* transponendum est post verba *nondum ut serviant* capitis 13 ineuntis. Ita optime expediuntur difficultates eae, de quibus disputavi Pp. 144. Descriptionis igitur Britanniae partes hoc modo se exceperunt: *Britanniae situm populosque — velut in*

indigenae an advecti, ut inter barbaros, parum compertum. Habitus corporum varii, atque ex eo argumenta. Namque rutilae Caledoniam habitantium comae, magni artus Germanicam originem asseverant. Silurum colorati vultus, torti plerumque crines et posita contra Hispania Iberos veteres traiecisse easque sedes occupasse fidem faciunt. Proximi Gallis et similes sunt, seu durante originis vi, seu procurrentibus in diversa terris positio coeli corporibus

3) Caledoniam Δπ. Calydoniam *(expuncto y)* Γ. (*Cap.* 10 Caledonia ΔΓπ. cap. 25. 27 Calidonia ΔΓπ. c. 31 Caled. Δπ. Calid. Γ.) — arcus Δ — germanam Δ. 5) torti ΔΓ. *Beck.* et torti π. — Hispania *ex Mureti coni. recentt.* hispaniam ΔΓπ. Pp. 89.a (*Rhen. coni.* positu contra Hispaniam) — Iberos π. Iberas Δ. hiberos Γ. *Codices igitur* Iberas *poscunt. Quod Priscianus asserit VI,* 8 *p.* 249 *Hispanos dici Iberos, Colchios Iberes, Vossius contra de anal. II, p.* 676 *negat tale discrimen inveniri apud veteres.* 6) occupasse ΔMπ. hitasse Γ. *Pomp. Laetus igitur ipse delevit, quod festinanter scripserat, eiusque loco illud margini adscripsa.* 7) originis vi *Rhen.* originis usu ΔΓπ. *Enata est haec corruptela ex vocula sequenti* seu *male repetita.*

suo. *Caelum crebris imbribus — quam nobis avaritiam. Ipsi Britanni — nondum ut serviant. Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint — universi vincuntur. Igitur primus omnium Romanorum D. Iulius* cett.

inter barbaros] de originibus alicuius gentis quia non possumus nisi ab ipsa gente edoceri, propterea dicit, parum compertum illud fuisse inter barbaros.

habitus] Germ. 4 *unde habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem omnibus.*

magni artus] de asyndeto Pp. 101.

colorati] Virg. Georg. IV, 293 *coloratis Indis*, quod apud Tibull. II, 3, 55 *comitibus fuscis, quos India torret.* Sen. ep. 108 *qui in solem venit, licet non in hoc venit, colorabitur.* Nihil huc pertinere quod Caesar b. g. V, 14 tradit: *omnes vero se Britanni vitro inficiunt, quod caeruleum efficit colorem,* monuerunt iam alii. Vultus enim natura colorati et pigmentis atque stigmatis picti res sunt plane diversae, neque impedit quidquam, quominus natio colorata eadem vultus pigmentis inficiat. Non igitur quaerere debebat Mannertus Brit. p. 97, utrum Tacitus, an Caesar (cumque eo Plin. N. H. XXII, 1. Solin. 25. Herodian. III, 14, 13. Isidor. XIX, 23. Beda hist. eccles. p. 185 ed. Londin. Ovid. Amor. II, 16, 39) vera tradant. Luculentus in hac re Iornandes de reb. Gaeticis p. 81. ed. Lindenbr. qui postquam tradidit *Silurum colorati vultus, torto plerique crine et nigro nascuntur,* deinde praeterea refert: *ob decorem nescio an aliam ob caussam ferro pingunt corpora.*

proximi Gallis] Caes. b. g. V, 14 *ex his omnibus longe sunt humanissimi, qui Cantium incolunt, quae regio est maritima omnis, neque multum a Gallica differunt consuetudine.* Ceterum scribendum existimo: *proximi Gallis his et similes sunt.* Ne exempla afferas, quae similia nostro videantur, memento aliud esse, si scriptum esset: *Cantii proximi Gallis et similes sunt.*

in diversa] Ex opinione veterum, quam supra indicavimus, inferior Britanniae pars procurrebat inter meridiem et occidentem (südwestlich), Gallia contra escendebat inter septentriones et occidentem (nordöstlich). Itaque vergebant in diversa procurrentes illi tractus. Male plerique interpretes *diversa* explicant *exadversus.* Sane illa simul exadversus sita sunt, at non illa voce hoc significatur. Nec Ann. XIII, 57. XIV,

habitum dedit. In universum tamen aestimanti Gallos vicinam insulam occupasse credibile est. Eorum sacra deprehendas, superstitionum persuasiones, sermo haud multum diversus; in deposcendis periculis eadem audacia et, ubi advenere, in detrectandis eadem formido. Plus tamen ferociae Britanni praeferunt, ut quos nondum longa pax emollierit. Nam Gallos quoque in bellis floruisse accepimus; mox segnitia cum otio intravit, amissa virtute pariter ac libertate. Quod Britannorum olim victis evenit, ceteri manent quales Galli fuerunt.

12 In pedite robur; quaedam nationes et curru proeliantur. Honestior auriga, clientes propugnant. Olim re-

1) ȩstimanti *Δ Rhen.* estimati *Γ.* extimati *π.* 2) vicinam insulam *ΔΓ Dronk.* vicinam solum *π.* vicinum solum *Beroald. Rhen.* 3) persuasione *ΔΓπ. Pp.* 70. 5) detractandis *Δ.* — ea formido *Δ.* 9) victis evenit *Δπ.* evenit victis *Γ.* 11) In pedite *π.* impedite *Γ.* i(n)pedite *Γ.*

30 *diversa acies* propterea dicitur, quia spatio sibi exadversus stant, sed sunt acies eorum, qui diversa sequuntur. Hist. III, 13 *quas enim ex adverso legiones*, sunt legiones quae stant ab altera parte. dial. de orat. 1 *qui diversam quoque partem susciperet* est adversarius, qui oppositas partes defendit.

habitum] habitum suum, quod Graeci articulo designant. cf. c. 12 *naturam τὴν φύσιν.*

in universum aestimanti] dictum est ex imitatione Graecorum (Matthiae gr. gr. §, 388. b. c). Germ. 6 *in universum aestimanti plus penes peditem roboris.* Hist. IV, 17 *vereque reputantibus Galliam suismet viribus cecidisse.* V, 11 *turres mira specie ac procul intuentibus pares.* Liv. XXVI, 24 *urbium Corcyrae tenus ab Aetolia incipienti solum tectaque et muri Aetolorum essent.* XXXVII, 58, 8 *ceterum vere aestimanti Aetolicum magis bellum quam regium fuit*, quod idem est atque *si quis vere aestimet* (XXX, 22, 3) et *si quis vere aestimare velit* (VI, 11, 4). Cf. Roth p. 202.

formido] Caes. b. g. III, 19 *ut ad bella suscipienda Gallorum alacer ac promptus est animus, sic mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est.*

praeferunt] etiam Livius saepe praeferre dicit pro *prae se ferre*; Drakenb. ad Liv. XXVII, 34, 5. Wunder ad Cic. Planc. proll. p. LI.

Gallos quoque—floruisse] Germ. 28 *validiores olim Gallorum res fuisse, summus auctorum divus Iulius tradit.* Caes. b. g. VI, 24 *ac fuit antea tempus, quum Germanos Galli virtute superarent.* Sall. Cat. 53, 3 *facundia Graecos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse.*

pariter ac] *ἅμα—τε καί.*

quod Britannorum — evenit, ceteri] Walchius, qui post vocem *evenit* plene interpunxit, pariterque ii, qui *quod et Brit.* scribi voluerunt, horum verborum rationem et nexum non satis perspexerunt. Est autem graece: *ὅπερ τοῖς μὲν τῶν Βρεττανῶν, τοῖς πάλαι νικηθεῖσι, συνέβη, οἱ δὲ λοιποὶ* cett. Was zwar denjenigen unter den Britannern begegnet ist, die vormals (sub Claudio) besiegt worden sind, aber die übrigen cett. Cf. Pp. 48 sq.

Cap. 12. *curru*] Cf. Pp. 66.

honestior auriga] Alia ratio intercedit inter *παραβάτην* et *ἡνίοχον* apud Homerum, apud quem *ἡνίοχος* plerumque dicitur *θεράπων.* Gallos propius ad Graecorum quam ad Britannorum consuetudinem accessisse, desumi posse videtur ex Diod. V, 29 quem Walchius excitavit.

gibus parebant, nunc per principes factionibus et studiis trahuntur, nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt. Rarus duabus tribusque civitatibus ad propulsandum commune periculum conventus: ita singuli pugnant, universi vincuntur.

Coelum crebris imbribus ac nebulis foedum; asperitas frigorum abest. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram, nox clara et extrema Britanniae parte brevis, ut finem atque initium lucis exiguo discrimine internoscas. Quod si nubes non officiant, aspici per noctem solis fulgorem,

[2]) gentis *Δ*. [3]) utilius] *Haec vox vereor ne a glossatore addita sit. Pp.* 101. [4]) tribusque *Γπ*. tribusve *Δ*. *Pichena*, *Acidal. Pp.* 28. 30. [5]) ita singuli *ΔΓ*. *Beck.* ita dum singuli *π*. *Pp.* 50. [12]) hymbribus *Γ*. — fedum *Δ*. [7]) frigorum est *Δ*. [8]) et nox *π*. — Britanniae parte *Γπ*. parte Britanniae *Δ*. *Haec discrepantia facile possit suspicionem movere, ne* Britanniae *sit interpretamentum.*

factionibus et studiis trahuntur] *studiis trahi* dicuntur ii, qui diversis partibus animo dediti sunt. His autem *studiis* (partheigeist) non possunt non enasci *factiones* (partheiungen). Quod quoniam fit principum opera, qui diversi illos in suas partes trahunt, propterea *per principes trahuntur* (diversarum partium) *studiis et factionibus*. Sic fere EckSteinius. Secus Walchius et Doederlinus. *Factiones* illae forsitan similes fuerint iis, quas apud Gallos fuisse Caesar b.g. VI, 11 narrat. Heinsii coniectura *studiis distrahuntur* non puto opus esse, quamvis ipsa non sit improbanda. Cf. Ann. IV. 40 *si matrimonium Liviae velut in partes domum Caesarum distraxisset.* II, 43 *divisa et discors aula erat tacitis — studiis.*

adversus—gentes] i. e. pugnantibus nobis cum illis gentibus (diesen völkern gegenüber). c. 24 *idque etiam adversus Britanniam profuturum.* Sen. ep. 18 *satis adversus naturam placebas tibi, et multo magis postquam cum illa conseruisti manum.*

in commune non consulunt] Idem est *non in unum consulere* Hist. I, 68. IV, 78. *in medium consultare* Sall. Fragm. p. 990. *nihil salutare in medium consulebatur* Liv. XXVI, 12.

asperitas frigorum] Caes. b. g. V, 12 *loca sunt temperatiora quam in Gallia remissioribus frigoribus.*

nostri orbis mensuram] Plin. N. H. II, 75 *longissimus dies — in Italia quindecim, in Britannia* [Londini 16½, in Caledonia septentrionali plus quam octodecim horas] *septendecim horas.* Beda H. A. I, 7 *dies habet aestate horarum decem et octo, dies in hieme horarum sex.*

nox clara et—brevis] quia aestivis mensibus in illis regionibus crepusculum vespertinum paene continuatur matutino sive diluculo. Quo magis ad septentrionem terrae vergunt, eo lucidior est aestatis tempore noctium claritas, ut paullum differat a diurna claritate. Beda H. A. I, 1 *et quia prope sub ipso septentrionali vertice mundi* (insula) *iacet, lucidas aestate noctes habet, ita ut medio saepe tempore noctis in quaestionem veniat intuentibus, utrum crepusculum adhuc permaneat vespertinum, an iam advenerit matutinum, utpote nocturno sole non longe sub terris ad orientem boreales per plagas redeunte. Unde etiam plurimae longitudinis habet dies aestate, sicut et noctes contra in bruma.* Schol. ad Iuv. Sat. II, 161 (p. 69 ed. Cramer) *circa solstitium in Britannia prope nox nulla est, hac scilicet caussa, quia vicinus casus et ortus ibidem solis. Ex obliquo enim terrae margine lux redundat et proximam sibi insulam et noctibus et diebus illustrem reddit.*

adspici per noctem solis fulgo-

nec occidere et exsurgere, sed transire affirmant. Scilicet extrema et plana terrarum humili umbra non erigunt tenebras, infraque coelum et sidera nox cadit. Solum, praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta, patiens frugum; [fecundum] tarde mitescunt, cito proveni-

[1]).occidere *ΔΓ Rhen.* concidere *π.* — nec exurgere *Δ.* [3]) ac (et) sydera *Γ.* [5]) fecundum *Δ.* foecundum *Γπ. Vulgo sine uncis. Pp.* 99.

rem] Pomp. Mel. III, 6, 9 *quamquam ipse non cernatur, vicino tamen splendore proxima illustrat.* Quod de extrema Britannia Tacitus *affirmari* dicit, id magis cadit in regiones septentrionibus propiores, uti insulas Faroeeres. Quibus in regionibus occidit sane sol per aliquod tempus, sed tam paullum infra horizontem descendit, ut fulgorem diffundat, qui fere nihil differt a splendore, quo, cum ortus est finitoremque superavit, omnia collustrat. Atque fulgoris illius is est tractus, ut nocturnum solis iter, quod subter horizonte progrediens conficit, omne quasi oculis persequi locumque, in quo quovis momento versetur, divinare possis. Itaque *transire* sol videtur i. e. quasi ante oculos ab occidente orientem versus reverti. Germ. 45 *extremus cadentis iam solis fulgor in ortus edurat adeo clarus, ut sidera hebetet.*

extrema et plana terrarum—non erigunt tenebras] Vera quae sit caussa, posita illa maxime in aëris terrae circumfusi natura, nihil attinet hic quidem exponere; sed explicanda est scriptoris opinio. Quam quidem vix explanare poteris, nisi ita, ut Tacitum statuas terram non globum existimasse, sed orbem, in cuius extremo margine Britannia sita fuerit. Iam id quidem aegre credas, adeo rudem in his rebus Tacitum fuisse, ut quae non modo Graeci et Plinius, sed Cicero, Seneca nossent, ea illi incognita fuisse arbitreris; sed in his rebus physicis fere fieri solet, ut quamvis in summa rei ad meliorem intelligentiam profeceris, tamen alia, quae ex prioribus erroribus derivata sunt, partim retineas. Veluti nos hodieque dicimus *sol oritur, sol occidit*, quasi solem circa terram moveri etiamnunc putemus. Atque Plinius N. H. II, 10 similiter, ut Tacitus, *neque aliud* ait *esse noctem, quam terrae umbram.* Tacito igitur noctis tenebrae effici videntur umbra ea, quae, quum sol occidit, intercedente terra coelum versus iacitur. Haec igitur umbra, quae coni instar sursum cadit, eos quidem, qui in mediis terrae habitant, tenebris involvit, ut coelum adspicere nequeant, at qui in margine extremo eoque plano, ut ne montes quidem umbram facere possint, habitant, his nihil officit, quominus clarum coelum conspiciant. Umbra enim humilis est in margine terrae neque usque ad coelum erigitur, quia obliqua cadit; illis igitur *infra coelum cadit,* ut ad illud liber sit prospectus. Ad eundem umbrae conum referendum puto, quod Soph. Ai. 672 dicit, νυκτὸς αἰανῆς κύκλος, quod minus apte alii cum ἡλίου κύκλος contendunt. Cogita potius basin illius coni, quae basis circulus est. *Extrema non erigunt tenebras* poetarum modo dictum est, ut ex qua re aliquid erigitur, ea res illud erigere dicatur. Hist. V, 6 *praecipuum montium Libanon erigit* (Iudaea). (Cf. Germ. 46 *quidquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur.*) Quod Germ. 27 legitur *sepulcrum caespes erigit* et Virg. Aen. III, 576 *interdum scopulos avolsaque viscera montis erigit eructans* (Aetna), id simile quidem illis satis explicatur iis, quae Pp. 108 collegimus. *Nox cadit* idem est quod Plinius saepe dicit, *umbra cadit in meridiem, in contrarium* (Plin. II. 73. 74); Eumenii de eadem re verba supra Pp. 23 exscripta sunt.

praeter oleam et vitem] i. e. exceptis olea et vite. Caes. b. g. V, 12 *materia cuiusque generis ut in Gallia est praeter fagum atque abietem.* Mirus error est Walchii, quod Boadiceam apud Dion. Cass. (LXII, 5) Britanniae vitem ac vinum vindicare dicit. Contrarium potius regina illa significat.

patiens frugum] Germ. 5 *frugiferarum arborum impatiens.* Plin. ep. V, 6 *laurum tamen patitur atque etiam nitidissimum profert.*

unt: eademque utriusque rei causa, multus humor terrarum coelique. Fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victoriae. Gignit et Oceanus margarita, sed subfusca ac liventia. Quidam artem abesse legentibus arbitrantur: nam in rubro mari viva ac spirantia saxis avelli, in Britannia, prout expulsa sint, colligi. Ego facilius crediderim, naturam margaritis deesse quam nobis avaritiam.

Ipsi Britanni delectum ac tributa et iniuncta imperii 13

[1]) terrarumque Δ. [3]) victoria Δ. [4]) suffusa Δ. — liventa Δ.

fert aurum et argentum] idem testatur Strabo IV, p. 138 φέρει–καὶ χρυσὸν καὶ ἀργύριον καὶ σίδηρον, negat Cicero ad Att. IV, 16. Caes. b. g. V, 12. Cf. tamen Camden Britann. p. 692. 604. 741.

margarita] margaritarum Britanniae ex veteribus mentionem iniiciunt. Plin. IX, 85 *in Britannia parvos atque decolores nasci certum est.* Sueton. Iul. 47. Solin. c. 56. Origines in Matthaeum p. 210 sq. Iornand. p. 6. quos attulerunt Brotier et Lindenbrog ad Ammian. Marcell. XXIII, 6, 88. Cf. etiam Beda H. A. I, 1. Camden Brit. 597. 690. 752. Zimmermann Königreich England p. 742. Lappenberg p. 3.

artem abesse] magna est ars urinantium et ingens labor iis subeundus, praesertim quum mare, ubi praestantissimae conchae avelluntur, profundum sit ideoque frigidissimum. Quam Plinius N. H. IX, 35 et Isidorus Characenus afferunt fabulam, conchas, quum manum videant, sese comprimere et acie sua digitos abscindere, eam inanem esse monuit iam Salmasius exercitt. Plin. p. 825. — „Der taucher hat ein netz, um darin die muscheln zu stecken, um seine hüften gebunden, er verstopft seine ohren mit wachs, klemmt mit einem gespaltenen stück horn die nase zusammen und wird so an einem tau ins wasser gelassen, an dessen ende ein schwerer stein befestigt ist, damit er leichter auf den grund kommt; auf diesem steine stehend und am tau sich haltend, bricht er die muscheln los, aber er kann keine zwei minuten lang unter wasser sein, häufig sogar nicht länger als 40 secunden, dann schüttelt er das tau zum zeichen, dass die leute im boote ihn heraufziehen sollen. Bei warmer temperatur des wassers kann er 12—15mal täglich untertauchen. Die schönsten perlen im pers. meerbusen sind die von Borgo und Karrack, weniger tief ist das meer an den einträglichsten muschelbänken bei Bahrein." Chesney the expedition for the survey of the rivers Euphrat and Tigris.

in rubro mari] in sinu Persico, nam θάλασσα ἐρυθρά complectitur sinum et Arabicum et Persicum.

naturam] τὴν φύσιν, naturam eam, quam alias habent margaritae. cf. c. 11 *habitum dedit.*

avaritiam] avaritia nostra non cessatura fuisset, quominus eandem rationem adhiberet, qua in rubro mari utuntur. Ceterum quia Tacitus *deesse* dicit, non *abesse*, propterea nescio quis (*das Fegfeuer* p. 132) *naturam* intelligi vult non margaritarum ποιότητα, sed naturam rerum, quae quasi novercam se praebuerit margaritis britannicis, neque iis eam bonitatem indiderit quam persicis. Tum avaritia compararetur cum ministro consilia suppeditante, diceretur que: avaritia nostra nos non destituisset auxilio suo, sed rei expediendae viam subministrasset. Mihi quidem haec argutiora videntur, nec magnopere in verbo *deesse* offendendum arbitror. Nam margaritis, ut vere sint et habeantur margaritae, illa persicarum natura opus est. Cf. Cic. Brut. 80, 276 *aberat tertia illa laus, qua permoveret animos. — Hoc unum illi, si nihil utilitatis habebat, abfuit; si opus erat, defuit.*

Cap. 13. *ipsi Brit.*] Adhuc enim de terra agebatur. Germ. 2 *ipsos* Germanos indigenas crediderim. Haase ad Reisigii schol. lat. p. 364. Ceterum cf. ad cap. 11.

munera impigre obeunt, si iniuriae absint: has aegre tolerant, iam domiti ut pareant, nondum ut serviant.

Igitur primus omnium Romanorum divus Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas ac littore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Mox bella civilia et in rempublicam versa principum arma; ac longa oblivio Britanniae etiam in pace. Consilium id divus Augustus vocabat, Tiberius praeceptum. Agitasse Caium Caesarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio mobili poenitentia, et ingentes adversus Germaniam conatus frustra fuissent. Divus Claudius auctor iterati operis, transvectis legionibus auxiliisque et assumpto in partem rerum Vespasiano: quod initium venturae mox fortunae fuit.

8) iam in pace *Δ*. 9) praeceptum *TM Lips.* praeceptum .l. *Δ*. precipue *Γ*. praecipue *π*. — Agitasse Caium *Rhen.* agitasse. Caium *Δπ*. agitasse Caium *Γ*. (C. *pro* Cai·m *π*.) 10) velox ingenio mobili *Γ*. velox ingenii, mobilis *Δ*. velox ingenio, mobilis *π*. — poenitentia *π*. penitentiae *ΔΓ*. 12) auctoritate operis *ΔΓ*. auctor operis *π*. *Pp.* 55. *Illud, quod olim proposui, coniecit nuper etiam Doederlinus. Bezzenberger coni.* auctor tanti operis. *Halm* auctor tandem operis. 14) fuit. Domitae gentes *π*. fuit Domitiaé gentis *ΔΓ*.

munera] c. 18 *aequalitate munerum.*

Igitur] Descriptio Britanniae erat digressio. Iam transit ad id, quod magis proprium est huius libri. Ann. XV, 67 *igitur matre libertina ortus* cett. Cf. Kritz ad Sall. Iug. XIX, 7. Similis est huius particulae usus, ubi post additamentum parentheticum scriptor ad rem redit. Hand Tursell. III, p. 193.

ac longa] cf. ad c. 1. *ac plerique.* De Augusto et Tiberio cf. Pp. 183.

agitasse] Pp. 45 nota.

ni velox ingenio mobili poen.] Sic ex cod. *Γ* sanavimus hunc locum, quem corruptum alii aliter interpretabantur. Vulgo coniungebant: (Caesar) *velox ingenio,* quod nunquam apud Latinos est *praeproperus, praeceps,* sed *ingenii velocitas* insignis quaedam est ingenii virtus. Quinctil. V, 10, 123 *studio exercitata velocitas.* VI, 4, 8 *opus est igitur inprimis ingenio veloci, animo praesenti et acri.* Senec. de amicit. fragm. 2 *utamur animi velocitate.* Ovid. Met. VIII, 254 *sed vigor ingenii quondam velocis.* Plin. N. H. VII, 12 *quoniam velocitas cogitationum animique celeritas et ingenii varietas multiformes notas inprimit.* Neque differt *ingenii celeritas* Tusc. IV, 13, 31. de orat. I, 25, 113. Iam quod Caligulam aiunt praeproperum fuisse (Suet. Calig. 43 *expeditionis Germanicae impetum cepit.* ibid. *confecitque tam festinanter et rapide*), id scilicet h. l. inest in *ingenio mobili,* quae dictio frequens est apud Tacitum (Hist. I, 7. 24. II, 57. III, 85). Plin. ep. II, 11 *Est alioqui Regulo tam mobile ingenium, ut plurimum audeat, plurimum timeat.* Deinde laborabant in verbis *mobilis poenitentiae* sive *poenitentiâ,* nam neque attributivus casus neque caussalis satis aptus erit, quia eum, qui *mobilis* est, nunquam non poenitet prioris consilii. Supervacaneum igitur erat hoc attributum.

adversus Germaniam] Germ. 37. Hist. IV, 5. Sueton. c. 43. Dio Cass. LIX, 21.

fortunae] i. e. rerum prosperarum deinceps in Britannia gestarum. Multum enim

Domitae gentes, capti reges et monstratus fatis Vespasianus.

Consularium primus A. Plautius praepositus, ac sub- 14
inde Ostorius Scapula, uterque bello egregius: redactaque paullatim in formam provinciae proxima pars Britanniae. Addita insuper veteranorum colonia. Quaedam civitates Cogidumno regi donatae (is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit) vetere ac iam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et reges. Mox Didius Gallus parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis, per quae fama aucti officii quaereretur. Didium Veranius excepit, isque intra annum extinctus est.

[3]) Aulus *Γπ.* A. *Δ.* Aelianus *scripsit ed. Bipont. male collato Hist. IV,* 53. Plautius *Rhen.* (Cf. Dio Cass. 16, 19. Suet. Claud. 24) Plantius *ΔΓπ.* Plancius *habet index nominum in margine codicis Γ.* [7]) Cogidumno *Γ.* Cogidunno *Δ.* Cogiduno *π. In indice nominum ad marginem codicis Γ scribitur* Cogidūnus. *Cf. simile nomen* Togodumnus *apud Dion.* 60, 21. *et* Cogidubnus *in inscriptione quae Pp.* 187 *commemoratur.* [8]) ut vetere — consuetudine haberet *ΔΓπ.* ut *transposuit illo modo primus Rhen. Pp.* 89. [10]) et reges *Rhen.* et Regis *Γ.* et regis *π.* Regis (*om* et) *Δ.*

ad istam fortunam hoc valuit, quod Vespasianus huic expeditioni interfuit. Inde enim studio quodam amplecti coepit hos adversus Britanniam conatus, indeque factum, ut cum ipse rerum potitus esset, *magni duces, egregii exercitus* (c. 17) illuc mitterentur. Pessime plerique *venturam mox fortunam* ad Vespasiani imperatorium fastigium referunt. Ad hoc quidem pertinent ea demum, quae deinceps dicit: *et monstratus fatis Vespasianus.*

capti reges] Orelli Inscript. 715 TI. CLAV[DIO] — — SENATVS POPV[LVSQVE ROM. QVOD] REGES BRIT[ANNIAE] GENTESQVE PRIMVS IN DICIO[NEM P. R. REDEGIT.]

monstratus fatis] „i. e. monstratus a fatis“ Hertel. Hor. Od. I, 12, 49 *tibi cura magni Caesaris fatis data.* Liv. V, 15 *sed propior interpres fatis oblatus senior quidam Veiens. Monstratus* autem non est „destinatus a fatis“ sed est *conspicuus redditus*, in quem hominum oculi conversi sunt, ut magnum aliquando futurum. Germ. 31 *iamque canent insignes et hostibus simul suisque monstrati.* Hist. I, 88 *vetusto nomine et propinquitate Galbae monstratus.* III, 78 *consulem umbra honoris et sua vanitate monstratum.* Virg. Aen. VI, 870 *ostendent terris hunc magnum fata, neque ultra esse sinent.*

Cap. 14. *colonia*] Camulodunum (Colchester). Ibi legio XIV, *legio gemina Martia victrix* nominata, stativa habuit.

instrumenta servitutis] Virdung confert Liv. XLIV, 24 *populum Romanum regum viribus reges oppugnare; Attalo adiutore patrem suum oppressum, Eumene adiuvante Antiochum superatum, in se nunc et Eumenem et Prusiam armatos esse.* Hostilem regem id dicere apud Livium, non mirum; tu autem animum adverte ad Taciti animi magnitudinem, qui ipse Romanus hasce suorum machinationes contra populorum libertatem odio habeat. Non enim nimia suorum admiratione exstinctus in eo est humanitatis sensus, quem itidem prodit c. 21 *idque apud imperitos humanitas vocabatur, quum pars servitutis esset.*

aucti officii] Uti vox *provincia* plerumque latius patet (der wirkungskreis, das

Suetonius hinc Paulinus biennio prosperas res habuit, subactis nationibus firmatisque praesidiis: quorum fiducia Monam insulam ut vires rebellibus ministrantem aggressus, terga occasioni patefecit. Namque absentia legati re-
15moto metu, Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpretando accendere: nihil profici patientia, nisi ut graviora tamquam ex facili tolerantibus imperentur. Singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi, e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona

[2]) e quorum *Δ*. [3]) Monam *Γπ*. Nomam *Δ*. *Eadem discrepantia invenitur* c. 18. — vires *ΔΓ Rhen.* viros *π*. [7]) patientia *Γπ*. sapientia *Δ*. [8]) imperā tur *Δ*.

amt), ita vicissim *officium*, id est administratio, h. l. pro administrata terra, provincia dictum videtur. Confert Walchius Caes. b. c. III, 5 *toti tamen officio maritimo Bibulus praepositus.* Ulpianus de off. proc. 4 (Dig. I, 16) *si quid uxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerunt.*

subactis nationibus] de his ablativis vide Pp. 175.

firmatisque praesidiis] Uti Latini dicunt *castra communire* pro: munita castra ponere Liv. XXI, 32. XXII, 18. XXIII, 46. 18. XLII, 58. Ann. I, 51 fin. itidem *urbem communire* i. q. urbem moenibus circumdatam exstruere Liv. XXXIV, 62. *praesidium communire* II, 49. et *mediam aciem firmare* pro firmam mediam aciem *constituere.* infra c. 35. Liv. XXII, 46. XXIII, 29. Hist. IV, 33. (Alibi sane legitur vulgari significatione. Liv. XXI, 56 *media Afrorum acie, quae gallicis auxiliis firmata erat.* IV, 37. 40 *non subsidiis firmata acie.* Corte ad Sall. Iug. 23.), ita h. l. *praesidia firmare* i. q. firma praesidia ponere. Ann. XIII, 41 *nec id nobis virium erat, quod firmando praesidio et capessendo bello divideretur.* Alii maluerunt intelligi *nationes praesidiis firmatas* i. e. regiones illarum nationum praesidiis firmatas. Conferunt c. 23 *quod tum praesidiis firmabatur.* Sall. Iug. 23 *turres exstruit easque praesidiis firmat.* Non probaverim, nam ut patiantur hoc verba, tamen Tacitum puto tum dicturum fuisse *subactis nationibus praesidiisque firmatis.*

Monam] *Anglesey*, quam nunc quoque indigenae *Monam* appellant. Erat ea primaria sedes Druidarum, ideoque opibus et copiis abundans.

vires] Liv. XXXV, 12 *Aetolos ad vincendum vires praebuisse* Hist. III, 2 *nec procul Germaniam, unde vires.*

occasioni] c. 18 *quum hostes ad occasionem verterentur* Liv. IX, 27 *si qui motus occasionem aperiret* IV, 31. *aperuerunt ad occasionem locum hosti.*

Cap. 15. *agitare — conferre*] agitantur, quae omnes norunt, conferuntur, quae singulis nota cum reliquis communicantur. Liv. III, 34. *versarent in animis secum unamquamque rem, agitarent deinde sermonibus, atque in medium, quid in quaque re plus minusve esset, conferrent.* Cic. ad fam. VI, 21 *utinam liceat aliquando inter nos conferre sollicitudines nostras, quas pertulimus.* ad Att. I, 20 *coram inter nos conferemus.*

interpretando accendere] Ann. I, 23 *incendebat haec fletu.* 69 *accendebat haec onerabatque Seianus.* II, 82 *hos vulgi sermones audita mors adeo incendit.* Liv. IV, 58 *haec sua sponte agitata insuper tribuni plebis accendunt.* Similiter poeta noster: *die mit falscher deutung jede that vergiften.*

ex facili] amant Tacitus, Seneca et Livius hoc modo adverbia componere, veluti *ex insperato, ex inopinato, ex aperto, ex pari, ex toto, in facili, in difficili* cett.

saeviret; aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subiectis exitiosam. Alterius manum, centuriones alterius vim et contumelias miscere. Nihil iam cupiditati, nihil libidini exceptum. In proelio fortiorem esse, qui spoliet: nunc ab ignavis plerumque et imbellibus eripi domos. Abstrahi liberos, iniungi delectus, tamquam mori tantum pro patria nescientibus: quantulum enim transisse militum,

2) manum *Δ*. manum *Γ*. manus *π*. *Pp.* 119. alterius manum centurionis, alterius servos vim *ΔΓ*. alterius manus centurionis: alterius vim *π*. Servos *additum est etiam in cod. Ursini.* alterius manus, centuriones alterius vim *Gronov.* alterius manus, centuriones, alterius servos vim *scribi volunt Peerlkamp et Odofr. Müllerus, quibus Dronke, Orelli, alii adstipulantur. Pp.* 117. 5) imbellibus *Δπ*. imbecillibus *Γ*. — eripi] *Heinsius coniecit* diripi. *Frustra. Vulgo interpungitur:* eripi domos, abstrahi liberos *cett.* 7) quantulum *ΔΓ Brotier.* quantum *π*.

saeviret] alii explicant *ut saeviret*, alii *legatum — saevire.* Equidem quia re multum pensitata intellexi, grammaticis rationibus hac de re decerni non posse, non detineam legentes supervacua in utramque partem disputatione. Alterum, *ut saeviret,* quia acerbius dictum est, praefero.

in sanguinem] Pp. 119

aeque — aeque] et discordia praepositorum exitiosa est et concordia, et aeque quidem utraque. Recte Hand Tursell. I, p. 195 „sive discordes sunt praepositi, sive concordes, aeque exitiosum est subiectis. (*Aeque — atque* cum dicitur, alterum tanquam norma et mensura adhibetur.) Conferunt *pariter — pariter* apud Hor. Ep. I, 1, 25, minus apte alia, nam alibi hoc, uti *simul — simul*, ea denotat, quae eodem tempore fiunt. Ovid. Metam. XII, 36. Trist. IV, 1, 18. Plin. VIII, 23.

miscere] Hist. III, 33 *non dignitas non aetas protegebat, quominus stupra caedibus, caedes stupris miscerentur.* c. 74 *minas adulationesque miscet.*

libidini exceptum] Seneca de const. sap. c. 9 *dum sapiens iniuriae excipitur.* Virg. Aen. IX, 270 *clipeum cristasque rubentes excipiam sorti.* Sed tamen haud scio an *libidini* et *cupiditati* h. l. subiectum contineant hac sententia: cupiditas et libido Romanorum omnia invadit, neque quidquam ea excipit.

in proelio fortiorem esse qui] haec quasi redolent germanicam dictionem: im kampfe sei es der stärkere, der beraube. Dicit igitur, si quis in proelio victus spolia victori et fortiori concedere debeat, id aequo animo ferendum esse, at semet nunc ab ignavis et imbellibus spoliari, id enimvero non ferendum esse.

eripi domos] Heinsium, qui *diripi* coniiciebat, refutare sibi videbantur Walchius et Walther allato Ann. XIV, 31 *quippe in coloniam Camulodonum recens deducti* (veterani) *pellebant domibus, exturbabant agris, captivos, servos appellando.* At dubito equidem, num *eripere alicui domum*, quae immobilis res est, Latini dicant. Equidem sic potius statuo, quoniam Tacitus dicit *rapere terram* (Ann. XIII, 6 *prorupisse rursus Parthos et rapi Armeniam allatum est.* IV, 32 *adhuc raptabat Africam Tacfarinas.* Lucan. III, 99 *creditur, ut captae rapturus moenia Romae.* Hist. II, 12 *urbes hostium urere, vastare, rapere*), forsitan, uti *exspoliare, evastare,* etiam *eripere* dixerit. Liv. XL, 22 *rapiendo enim passim villas deinde quosdam etiam vicos evastarunt.*

Abstrahi liberos] Maiori interpunctione haec a reliquis seiungenda putavi. Illa enim a singulis perpessi sunt, delectus autem ab imperio Romano imponitur. De *delectu* cf. c. 31.

tanquam — nescientibus] si quae alia, haec maxime oratio aculeos habet ad stimulandos et instigandos animos. Romani, inquit, adeo nos despiciunt, ut quum nos ad

si sese Britanni numerent? Sic Germanias excussisse iugum, et flumine, non Oceano defendi. Sibi patriam, coniuges, parentes, illis avaritiam et luxuriam causas belli esse. Recessuros, ut divus Iulius recessisset, modo virtutem maiorum suorum aemularentur. Neve proelii unius aut alterius eventu pavescerent: plus impetus, maiorem constantiam penes miseros esse. Iam Britannorum etiam Deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent; iam ipsos, quod difficillimum fuerit, deliberare: porro in eiusmodi consiliis periculosius esse deprehendi, quam audere.

16 His atque talibus invicem instincti, Boudicea, generis regii femina, duce (neque enim sexum in imperiis discer-

4) virtutem *ΔΓ Beck.* virtutes *π.* 5) emularentur *ΔΓ.* 12) Boudicea] Voaduca *Δ.* Voadicca *ΓM.* Voadica *π. Cf. Walth. et Orelli ad Ann. XIV,* 31. 13) nec enim *Δ.*

militiam cogunt et armant, plane non eam cogitationem suscipiant, fieri posse, ut arma, quae nobis praebent, contra ipsos vertamus.

Germanias] Germaniae terras, rhetorice dictum. Quamquam Romani superiorem et inferiorem Germaniam discernebant, id tamen dividere non satis convenit Britanno.

sibi patriam] Liv. III, 39 *experirentur, quanto fortior dolor libertate sua vindicanda, quam cupiditas iniusta dominatione esset.* Seneca de clem. I, 12 *acerrima virtus est, quam ultima necessitas extundit.*

divus Iulius] acerba in his inest cavillatio. Si, quem illi admirantur et inter deos rettulerunt, Iulius terga vertere coactus est, multo minus alii eorum duces quidquam apud nos valebunt. Cf. Ann. I, 59 *quae quando exuerint, irritusque discesserit ille inter numina dicatus Augustus, ille delectus Tiberius, ne imperitum adolescentulum, ne seditiosum exercitum defenderent.* Frustra hariolantur Walchius et Waltherus.

plus impetus, maiorem constantiam] Pp. 100.

relegatum] Ern., Walchius „per contemtum“ dictum aiunt. Minime vero. Ut, si quis relegatur, id populiscito et legibus decernitur, ita illi deorum quodam decreto immissaque poena in illa insula detinentur. Cf. c. 32 *clausos quodammodo ac vinctos Dii nobis tradiderunt.*

quod difficillimum] c. 12 *rarus duabus tribusque civitatibus ad propulsandum periculum conventus.*

porro] magnopere fallitur Walchius, qui *porro* idem esse dicit quod *denique.* Immo hac particula plerumque enuntiatae alicui sententiae alia additur, qua, quid illa sibi velit, magis illustretur (*Nun aber* cett.). *Deliberamus,* ait, hoc autem quantum sit, consideretis velim, *nam qui deliberant, desciverunt* (Hist. II, 77). Non integra amplius res est, deliberando adiistis iam maximum periculum, ut non possitis servari nisi audendo. Cic. pro Planc. c. 33, ubi de ingrato animo loquitur, ait: *quae potest esse iucunditas vitae sublatis amicitiis? quae porro amicitia potest esse inter ingratos?* Wie kann nun aber freundschaft unter undankbaren gedacht werden? pro Mil. 9, 25 *occurrebat ei, mancam ac debilem praeturam suam futuram consule Milone: eum porro summo consensu pop. Rom. consulem fieri videbat.* ibid. 6, 15 *quid porro quaerendum est?* Plin. paneg. 56, 10. ep. III, 18, 4. Cf. Madvig ad Cic. de Fin. II, 8, 25. Hand Turs. IV, p. 484.

Cap. 16. *invicem instincti*] est participium Medii graeci. Hist. IV, 24 *his*

nunt) sumpsere universi bellum; ac sparsos per castella milites consectati, expugnatis praesidiis ipsam coloniam invasere, ut sedem servitutis: nec ullum in barbaris saevitiae genus omisit ira et victoria. Quod nisi Paulinus cognito provinciae motu propere subvenisset, amissa Britannia foret. Quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit, tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et proprius ex legato timor agitabat, ni, quamquam egregius cetera, arroganter in deditos et, ut suae cuiusque iniuriae ultor, durius consuleret. Missus igitur Petronius Turpilianus, tamquam exorabilior et delictis ho-

[4]) omisit *ΔΓ Rhen.* amisit *π*. — Paulinus cognito *ΔΓπ*1 *π*2 *Brotier.* Paulinus co cognito *π*3. *Inde Rivius* Paulinus eo cognito. [7]) plerisque *Γπ.* plerique *Δ.* [8]) proprius *Rhen.* propius *ΔΓπ. confusione admodum frequenti. Pp.* 35. — ni, quamquam] nequaquam *ΔΓ.* neq̃ *M. Haec nota marginis pertinet ad priorem syllabam, quod e virgula cognoscitur in textu appicta. Ergo non* nequam *significat, sed* nequamquam. *Pessima correctione π substituit* Hic quum, *Walchii amicus et Walther* ne, quamquam *coniecerunt. Mire interpungitur in codd.:* nequaquam egregius. Cetera *cett. Pp.* 35. 42. [9]) ut suae eiusque *ΔΓ.* ut suae quoque *π. Pp.* 36. [10]) Missus igitur Petr. *ΔΓπ.* missus Petr. *ex Beroaldi coni. recentiores. Totus igitur locus vulgo sic scribebatur:* Quam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit: tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis et propius ex legato timor agitabat. Hic quum egregius cetera, arroganter in deditos et, ut suae quoque iniuriac ultor, durius consuleret, missus Petronius Turpilianus tanquam exorabilior, et delictis hostium *cett. Pp.* 35.

inter se vocibus instinctos flammavere insuper allatae a Vespasiano litterae. c. 37 *collecti.* c. 40 *turbae servientium immixtus est.* Saepissimi sic *dediti.* Infra *arroganter in deditos consuleret.* Ann. XIV, 38 *clementer deditis consulturum.* Liv. XXIX, 33. XXIV, 1. XXXVI, 28.

sumpsere—bellum] Hist. III, 43 *bellum sponte sumebant.* IV, 66 *non ideo bellum sumpsimus.* II, 42 *proelium acriter sumpsere.* IV, 34. Ann. II, 45. XIII, 34. XV, 7. Kritz ad Sall. Iug. 20. Utrum haec dictio a *sumptis armis* repetenda sit, uti Graeci et *ὅπλα ἄρασθαι* dicunt et *πόλεμον*, an sit aggredi, amplecti bellum, vix evincas. Cf. Ann. II, 26 *petendae pacis consilia sumere.* Rebellio ista evenit anno 814. Pp. 188.

sedem servitutis] Liv. XXVIII, 32 *ubi Hannibal sit, ibi caput atque arcem totius belli esse.* III, 57 *tribunal, castellum omnium scelerum.*

ira et victoria] Cic. pro Marcello 6, 17 *eos Martis vis perculit, non ira victoriae.*

ex legato timor] Ann. I, 29 *ex duce metus.* II, 38. XI, 20, Hist. I, 64. II, 67. IV, 39.

ni—consuleret] Pp. 47.

exorabiliorem] Ann. XI, 18 *magnis delictis inexorabilem.*

stium novus eoque poenitentiae mitior, compositis prioribus nihil ultra ausus, Trebellio Maximo provinciam tradidit. Trebellius, segnior et nullis castrorum experimentis, comitate quadam curandi provinciam tenuit. Didicere iam barbari quoque ignoscere, vitiis blandientibus, et interventus civilium armorum praebuit iustam segnitiae excusationem. Sed discordia laboratum, cum assuetus expeditionibus miles otio lasciviret. Trebellius fuga ac latebris vitata exercitus ira indecoris atque humilis, precario mox praefuit: ac velut pacti, exercitus licentiam, dux salutem. [et seditio sine

1) novus *Γπ*. novis *Δ*. 2) ausis *Δ*. 6) segnitiae *Γπ*. sevitię *Δ*. — excusationem *Γπ*. accusationem *Δ*. 8) lasciveret *Δ*. 9) indecoris *ΔΓ* *Beck*. indecorus *π*. *Displicet* indecorus, *quia non de re aliqua* non decora *agitur*, *sed de homine*, *qui omne decus abiecit*. *At enim sic* indecor *scribendum erat*, *uti* degener, bicorpor. *Sane quidem Servius ad Aen. VII*, 231 *et Priscianus VI*, 9, 47 *vocabulorum* indecores *et* indecorem *apud Virg. Aen. XI*, 423. 845. *XII*, 25. *VII*, 231 *nominativum non* indecoris *sed* indecor *formari affirmant*. *Sed horum quidem grammaticorum auctoritas*, *qui Tacitum neque viderunt neque legerunt*, *in nostra re nulla est*, *tum praeponderatur contraria Nonii sententia*, *qui illum nominativum ex Accii Athamante excitat:* cuius sit vita indecoris, mortem fugere turpem haud convenit. *Ne dicas*, *apud Accium nomini feminini generis illam formam adiunctam esse*, *tu contra recorderis*, *et Tacitum et alios scriptores terminatione adiectivorum* -is *subinde uti*, *ubi masculinis nominibus adiuncta sunt*. *Sic* celebris (Arminius) *Ann. II*, 88. *XIV*, 19. *XIII*, 47. *Cf. Zumpt. gr.* §. 100. *Non igitur ausim codicum scripturam mutare*. — praefuit *Γπ*. fuit *Δ*. 10) pacti] Al' facta exercitus licentia, ducis salute *M*. — salutem *π*. salute *Δ*. salutẽ *Γ*. — et seditio *ΔΓ*. haec seditio *π*. *Uncos ego addidi*. *Pp*. 115.

poenitentiae] poenitentibus. Cic. pro Mil. 16, 43 *Quid? quod caput est*, *audaciae*, *iudices*, *quis ignorat maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem?* Hic igitur Cic. locus, si quis alius, sanus, quem mireris ne Madvigium quidem a suspicionibus vindicasse.

compositis] Ann. I, 45 *compositis praesentibus haud minor moles supererat.*

nullis experimentis] Ann. I, 19 *Blaesus multa dicendi arte.* 13 *divitem, promptum, artibus egregiis et pari fama publice.* 29 *Drusus, quamquam rudis dicendi, nobilitate ingenita.* Cf. ad c. 9.

curandi] Sall. Iug. 60 *nam is in ea parte curabat.* Cf. Kritz ad Sall. Cat. 59. Cic. pro Planc. 5 *te gubernare non posse.* ad fam. XV, 5 *domi, foris pari industria administrare.*

vitiis blandientibus] hos non dativos esse, sed ablativos vidit Walchius.

velut pacti] Pp. 116.

precario] Hist. I, 52 *precarium seni imperium et brevi transiturum.* Ann. I, 42 *meque precariam animam inter infensos trahere.* Germ. 44 *unus imperitat nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi.* Liv. III, 47 *et non orare precariam solam opem, sed pro debita poscere.* Sen. de const. sap. 5 *unius enim in possessione virtutis est, ex qua depelli nunquam potest: ceteris precario utitur.* ep. 88 *non est autem ars sui iuris, cui precarium fundamentum est.*

sanguine stetit.] Nec Vettius Bolanus manentibus adhuc civilibus bellis agitavit Britanniam disciplina. Eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum; nisi quod innocens Bolanus et nullis delictis invisus caritatem paraverat loco auctoritatis.

Sed ubi cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam 17
reciperavit, magni duces, egregii exercitus, minuta hostium spes. Et terrorem statim intulit Petilius Cerialis, Brigantum civitatem, quae numerosissima provinciae totius perhibetur, aggressus. Multa proelia et aliquando non incruenta: magnamque Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello. Et Cerialis quidem alterius successoris curam famamque obruisset ** sustinuitque molem Iulius Frontinus, vir magnus, quantum licebat; validamque et pugnacem Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorum quoque difficultates eluctatus.

1) Vettius Bol. *cf. ad c.* 8. 2) Eadem *Γπ*. et eadem *Δ*. 3) hostis *Δ*. 7) reciperavit *Lips.* recuperavit *ΔΓπ*. 8) Cerialis *cf. ad c.* 8. — 9) Brigantum *π*. Bregantum *ΔΓ* (*paullo post* Bregantium *Δ*. c. 31 Brigantes *ΔΓπ*). 10) perhiberet *Δ*. — agressus *Δ*. 11) Brigantum *π*. Bregantium *Δ*. Bregantum *Γ*. *nam terminationis* ium *littera* i *deleta est.* 12) amplexus est *ΔΓ Beck.* est *om. π*. — et Cerealis *ΔΓ*. et cum Cerealis *π*. 13) obruisset. Sustinuitque *ΔΓ*. obruisset, sustinuit quoque *π*. (Substinuitque *Δ*) *Pp.* 91. *Lacunam h. l. statuendam esse nuperrime vidit etiam Ritterus.* 14) validasque *π*1. validansque *π*2 *π*3. 16) locorum quoque *Γ Rhen.* (locorum q̊ *Γ*.) locorumque *Δπ*.

disciplina] durch kriegerische haltung. Liv. XXXIX, 1 *is hostis velut natus ad continendam Romanis militarem disciplinam erat; nec alia provincia militem magis ad virtutem acuebat.*

inertia] c. 8 *placidius praeerat.*

Cap. 17. *reciperavit*] Quum hic non de recuperata, sed de recepta cum cetero orbe Britannia agatur, *reciperare* h. l. pro *recipere* (übernehmen) dictum puto. Ann. XIII, 9 *ire praefectum cohortis et recipere obsides iubet.* Liv. XXIII, 11 *recipere civitates.* Sic is, qui e tutela dimittitur, *rem suam recipere* dicitur. An reciperatum a Vespasiano orbem propterea dicit, quia Vitellius non comparandus sit cum prioribus Caesaribus, ut imperium alienis manibus contrectatum et pollutum nunc redeat ad legitimum imperatorem? Cf. Hist. II, 76 *a contumelia quam a laude propius fuerit post Vitellium eligi.* Suet. Vesp. 1 *rebellione trium principum et caede incertum diu et quasi vagum imperium suscepit firmavitque tandem gens Flavia.* In hanc sententiam discedere nunc video Orellium: „indignis principibus, qui eum praecesserant, suo veluti iure ademptam sibi acquisivit."

amplexus] „quae victoria amplexus est, ea obtinuit, quae bello, ea percucurrit tantum ac vastavit." Buchner. c. 25 *amplexus civitates trans Bodotriam sitas.*

eluctatus] Hist. III, 59 *nives eluctantibus.*

18 Hunc Britanniae statum, has bellorum vices media iam aestate transgressus Agricola invenit, cum et milites velut omissa expeditione ad securitatem, et hostes ad occasionem verterentur. Ordovicum civitas haud multo ante adventum eius alam in finibus suis agentem prope universam obtriverat, eoque initio erecta provincia; et quibus bellum volentibus erat, probare exemplum ac recentis legati animum opperiri: cum Agricola, quamquam transvecta aestas,

[4]) verterentur *Δπ Walch.* uterentur *Γ. Eadem confusio formarum* u'terentur (*i. e.* verterentur) *et* uterentur *invenitur Ann. XVI,* 27. [6]) et quibus *ΔΓ Brot.* ut quibus *π.* [7]) ac recentis *ΔΓπ Dronk.* aut recentis *π.* [8]) cum Agricola *ΔΓ Dronk.* Tum Agricola *π.* — transvecta *ΔΓπ.* transacta *Rhen.*

Cap. 18. *cum et milites*] saepe Latini *cum* dicunt, ubi exspectaveris ablativos absolutos. Cic. Lael. 1 *quum et ego essem una et pauci admodum familiares.* Non haec notassem, nisi Waltherus verba male interpunxisset.

et milites ad securitatem et hostes ad occasionem verterentur] non est in his zeugma, quod Walchius putat; nam *cum milites ad securitatem verterentur* non est: „cum milites ad securitatem se converterent," sed *verti* a d *aliquid* est cogitare de aliqua re, animum vertere ad aliquid. Hist. V, 11 *Romani* (milites) *ad oppugnandum versi — poscebant pericula,* — sed aliam rationem dux ineundam putavit. Itaque etiam Ann. XIV, 38 *sed nihil aeque quam fames adfligebat serendis frugibus incuriosos et omni aetate ad bellum versa, dum nostros commeatus sibi destinant*: *ad bellum versa* videtur esse omnes cogitationes in bello defixas habebant, neque agros arandos curabant. Illi igitur milites non de bello cogitabant hoc anno, sed *praesumpta illius anni quies*, ut paullo post narratur, atque (Ann. I, 16) *lascivire, otium cupere, disciplinam et laborem aspernari.* Similiter *ad occasionem verti* erit i. q. *intenti in occasionem.* Liv. II, 11. XLI, 2 *occasionibus imminere*; *in occasionem imminere* (Liv. XXIII, 16. XXV, 20. Frontin. II, 5, 22). Vides igitur, quomodo utrumque apte ab eodem verbo pendeat. De altera scriptura *uterentur* indignum est disputare. *Velut omissa expeditione* sunt ablativi absoluti. Hist. II, 20 *Caecina, velut relicta post Alpes saevitia ac licentia, modesto agmine per Italiam incessit.* Ann. XI, 12 *velut translata iam fortuna.* Agitur autem de expeditione *huius anni*, non in universum de domandae Britanniae opere, quod Walchius putat.

agentem] Hist. I, 74 *easque quae Lugduni agebant copias.* Ann. II, 17 *Chauci inter auxilia Romana agentes.*

erecti] Liv. XXIV, 37 *ad hanc defectionem erecti sunt et aliarum civitatium animi.*

volentibus erat] ex imitatione Graecorum (Matth. gr. gr. §. 388. e) dictum. Exempla collegit Kritz ad Sall. Iug. c. 84. Hist. III, 43 *in verba Vespasiani adigi volentibus fuit.*

ac rec. leg. animum opperiri] Noli particulam *ac* in *at* vel *aut* mutare, aut adversativam ei vim tribuere. Pessime Walchius duo genera hominum distinguit, quorum alterum belli suscipiendi ardore flagraverit, alterum cautum et providum oppertum sit recentem legatum. Qui exemplum illius civitatis probabant, iidem opperiebantur legati animum, arma sumpturi, si ignavus esset. Itaque in probando illo exemplo et in opperiendo ducis animo eadem inerat rebellandi proclivitas. Suspensos subito opprimit Agricola. Arcte igitur copulanda sunt sequentia: *cum subito Agricola* cett. Vidit hoc etiam Dronkius in altera edit.

transvecta] Hist. II, 76 *abiit iam et transvectum est tempus.* Rhenani coniectura *transacta* non modo supervacanea, sed etiam minus apta est. Tempus enim *transigitur* agendo, cessanti et nihil agenti *transvehitur* sive *praeterlabitur.*

sparsi per provinciam numeri, praesumpta apud militem illius anni quies, tarda et contraria bellum inchoaturo, et plerisque custodiri suspecta potius videbatur, ire obviam discrimini statuit; contractisque legionum vexillis et modica auxiliorum manu, quia in aequum degredi Ordovices non audebant, ipse ante agmen, quo ceteris par animus simili periculo esset, erexit aciem; caesaque prope universa gente non ignarus, instandum famae, ac, prout prima cessissent,

²) incohaturo *Δπ.* incoaturo *Γ.* ⁵) degredi *Acidal.* digredi *ΔΓπ.*

numeri] Hist. I, 6 *multi ad hoc numeri e Germania ac Britannia revocaverat.* I, 87 *reliquos — in numeros legionum composuerat.* Plin. ep. X, 38 *quod sacramento militari nondum distributi in numeros erant.* ep. 39 *quod nondum per numeros distributi sunt.* Sueton. Vesp. c. 6 *revocatis ad officium numeris*, ubi Torrentius adnotat: est militare vocabulum non solum pro catalogo seu breviculo militum, quam etiam *matriculam* vocant, sed pro ordinibus ipsis turmisque et cohortibus militum. Sozomenos hist. Eccles. I, 8 τὰ 'Ρωμαίων τάγματα, ἃ νῦν ἀριθμοὺς καλοῦσι." Walth.

praesumpta] Plin. ep. IV, 15 *rerum, quas adsequi cupias, praesumtio ipsa iucunda.* Ann. XI, 7 *ut aeternitatem famae spe praesumat.* (Aliter Hist. I, 62) Caes. b. c. III, 87 *ac iam animo victoriam praecipiebant.* Liv. X, 26 *tanta laetitia fuit, ut praeciperetur victoria animis.*

tarda et contraria] Non modo apud Tacitum et Livium, sed etiam apud Ciceronem (cf. Madvig. ad Cic. de fin. II, 23, 75) inveniuntur eiusmodi appositiones, quae non ad unam vocem, sed ad totam sententiam ante pronunciatam referendae sunt: Cic. de Orat. II, 19, 79 *rem sane non reconditam.* Orat. 16, 52 *rem difficilem atque omnium difficillimam.* Liv. III, 37 *rem intermissam.* IV, 17 *rem incredibilem.* IV, 34 *rem aeque difficilem atque incredibilem.* Tac. Ann. XVI, 8 *inania simul et falsa.* XI, 11 *fabulosa et externis miraculis adsimilata.* VI, 10 *rarum in tanta claritudine.* I, 39 *rarum etiam inter hostes.* 56 *rarum illi coelo.* 74 *inevitabile crimen.* VI, 37 *auspicium prosperi transgressus.* Diversum est aliud appositionum genus, de quo vide Pp. 110. *Tarda* quod dicit, quae moram adferunt, id fieri potuit in illa constructione, quia neutrum adiectivi substantivi abstracti vices gerit, ex quo universe morae notio desumenda est. Aliter Ann. I, 28. III, 66 *tarda sunt, quae in commune expostulantur.*

potius] male Walchius pro adverbio habet; est adiectivum.

contractisque legionum vexillis] qui paullo ante dicebantur *sparsi per provinciam numeri*, sive cohortes (Ann. XIV, 38 *cohortes alaeque novis hibernaculis locatae*), sive manipuli (Ann. I, 20 *manipuli Naupactum missi vexilla convellunt*). Tales numeri a vexillo, *sub quo mittuntur* (Caes. b. g. VI, 36. 40), ipsi *vexilla* nominantur. Ann. II, 78 *vexillum tironum* in Asiam euntium. Hist. II, 11 *equitum vexilla.* I, 70 *praemissis Gallorum cohortibus et Germanorum vexillis.* 53 *vexilla inferioris Germaniae.* Non igitur agitur h. l. de *vexillariis*, de quibus Hertelius et Walchius disputandum putarunt. Ceterum Gronovius interpretatur Agricolam singula vexilla, non integras legiones contraxisse eo consilio, ut per castra et praesidia eadem summa legionum constaret, ne Britanni occasioni terga patefacta cogitarent. Non hoc probaverim, nam non tot erant in Britannia legiones.

erexit aciem] militaris dictio, admodum frequens apud Livium. C. 36 *erigere in colles aciem coepere.*

instandum famae] Hist. V, 15 *Civilis instare fortunae.* — Curt. VIII, 8, 15 *fama enim bella constant, et saepe etiam quod falso creditum est, veri vicem obtinuit.*

terrorem ceteris fore, Monam insulam, cuius possessione revocatum. Paulinum rebellione totius Britanniae supra memoravi, redigere in potestatem animo intendit. Sed, ut in dubiis consiliis, naves deerant: ratio et constantia ducis

[1]) terrorem ceteris fore *ΔΓ Beck.* fore universa *π* (*codices non addunt* universa, *quod falso traditur a Dronkio*). — Monam *Γπ.* Nomam *Δ.* — a cuius poss. *Bipont.* [3]) in potestate *Δ.* [4]) naves deerant *parenthesi includit Δ.*

terrorem ceteris fore] exspectaveris id, quod Puteolanus substituere ausus est, *fore universa.* Sic Hist. II, 20 *gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore.* Liv. XIV, 31 *praetor Romanus, quia prima successerunt prospere, fortunam totius rei principia secuturam esse ratus.* XXI, 29 *hoc principium simul omenque belli, ut summae rerum prosperum eventum — portendit.* Cic. ad Att. X, 18 *ut male posuimus initia, sic cetera sequentur.* Verum Tacitus, imitatus in eo Thucydidis exemplum et brevitatem, generi amat substituere speciem, nam quia prosper eventus ceterorum in eo maxime cernebatur, ut nationes terrerentur, propterea breviter dicit *terrorem ceteris* (sc. nationibus) *fore.* Ann. XII, 31 *ille gnarus, primis eventibus metum aut fiduciam gigni.*

cuius possessione revocatum] Fuerunt, qui scribi vellent *a cuius poss. revocatum,* atque quae exempla quidam editores contulerunt (omitto Walchium, qui prorsus futilia affert), profecto non ea sunt, quae scrupulum illis eximant. Quaeritur id unum, num verba, quae, non dico cum praepositione aliqua, sed cum particula *re* composita sunt, cum simplici ablativo coniungi possint. Potest hoc fieri, si a loco aliquo removeri aliquis dicitur, non itidem, si quis ab agendo revocatur. Itaque nihil offensionis habet Virg. Georg. IV, 88 *ubi ductores acie revocaveris ambo.* Ovid. Met. IX, 700 *thalamoque recessit.* II, 316 *temone revulsus axis.* XI, 554 *Athon Pindumve revulsos sede sua.* XII, 281 *limen tellure revulsum.* Horat. Od. I, 2, 14 *retortis littore Etrusco violenter undis.* Vellei. II, 32, 5 *remotoque mari loco.* Suet. Tib. 42 *quasi civitatis oculis remotus.* Apud Ovidium quoque Metam. III, 645 *meque ministerio scelerisque artisque removi,* apte dices obversari illi gubernaculum, ubi adhuc sedebat. At Cic. Orat. c. 2 Orelli (ed. 1830) laudat Lambinum, quod scripserit *sed ne artifices quidem se ab artibus suis removerit,* idque ab illo non ex coniectura, sed ex codd. repositum videri, quia Cicero semper adiiciat praepositionem. Verr. V, 31, 80 *amoeno sane et ab arbitris remoto loco.* Pro dom. §. 22 *M. Catonem tribunatu tuo removisses,* est *tribunatu* ablativus instrumentalis. Humani quid accidit Kritzio, si ad Vellei. II, 32, 5 Tac. Ann. II, 50 adfert: *ut exemplo maiorum propinquis suis ultra ducentesimum lapidem removeretur,* nam propinqui sunt ii, quibus hoc perficiendum est. Cf. Petitum legg. Att. p. 263 et Waltherum ad Ann. l. l. Itaque hoc loco putaveris omnino scribendum fuisse *a cuius possessione* i. e. a qua possidenda sive occupanda *revocatus.* At rationem defendendae librorum scripturae excogitavit Riglerus, qui *revocatum* absolute dictum ait, ut sit in qua possidenda revocatus ideoque prohibitus, impeditus est. Cf. Ann. I, 39 *Plancum dignitas fuga impediverat.* XVI, 7 *prohibendo Cassium officio exequiarum.* XVI, 24 *Thrasea occursu prohibitus.*

ut in dubiis consiliis] Gronovius et Ernesti coniecerunt *subitis consiliis.* Hos refutaturi Walchius, Waltherus, alii Agricolae consilium Monae in potestatem redigendae ante subactos Ordovicas *dubium* ac suspensum ab illius expeditionis eventu fuisse aiunt. Ego vereor, ne Agricola tum de Mona nullam omnino cogitationem susceperit, ergo consilium illud, quia non erat, ne dubium quidem esse poterat. Post Ordovicas demum superatos Monam in potestatem redigere primum animo intendere coepit. Tu igitur, ne Gronovii coniectura opus esse videatur, *dubia consilia* noli ad Monam potissimum referre, sed *in dubiis consiliis* universe dictum puta; *quum dubia* i. e. incerta *sunt belli consilia,* ubi nulla stat certa belli ratio. Media iam aestate adveniens, non poterat rationem inire, quae hoc anno suscipienda et amplectenda essent; ne Ordovicas quidem

transvexit. Depositis omnibus sarcinis lectissimos auxiliarium, quibus nota vada et proprius nandi usus, quo simul seque et arma et equos regunt, ita repente immisit, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui naves, qui mare exspectabant, nihil arduum aut invictum crediderint sic ad bellum venientibus.

Ita petita pace ac dedita insula, clarus ac magnus haberi Agricola: quippe cui ingredienti provinciam, quod

1) transvexit. Depositis *π*. tranvex̃ depositis *Γ*. tranare extra depositis *Δ*. 2) proprius] prius *ΔΓ*. patrius *π*. *Saepissime* prius *confunditur cum* propius (*cf. Zumpt ad Curt. p.* 330), *haec autem fere constans est corruptela pro* proprius. 4) naves *π*. navis *ΔΓ*. 7) potita *Δ*.

ex meditato, sed ex tempore aggressus est. Iam *ut* i. q. *utpote* (ὡς) est: *quod facile intelligitur fieri*, quod facile exspectatur, cf. c. 11 *ut inter barbaros*. Germ. 22 *crebrae ut inter vinolentos rixae*. Liv. XL, 22 *ubi summa penuria erat, ut in regione, quam ab omni parte solitudines clauderent.* XXX, 11 *cum Laelius et Masinissa in Numidiam pervenissent, Massyli laeti, ut ad regem diu desideratum, concessere.* XXIII, 14 *ceterum haec, ut in secundis rebus, segniter otioseque gesta.* VIII, 30 *magister equitum, ut ex tanta caede, multis potitus spoliis.* XLI, 2 *clamor in portis, ut ubi nulla esset statio, quae sustineret impetum, audiebatur.* XXIV, 45 *fama per totam urbem vulgata tumultum, ut principe omisso, fecit.* X, 41 *ad nutum omnia, ut ex ante praeparato, fiunt.* Germ. c. 2 *quidam, ut in licentia vetustatis, plures deo ortos — adfirmant.* Agric. 11 *ut inter barbaros parum compertum.* Nota sunt illa: *doctus ut Graecus* et similia. Cf. Kritz ad Sall. Iug. 107. Kühner ad Cic. Tusc. I, 8, 15. Dubia autem et incerta quum sunt belli consilia, non ea solent parari, quae deinceps opus sunt. Hinc deerant naves, quibus iam opus erat.

quibus nota vada] Germanos maximeque Batavos designari ait Virdung; Germanos enim *fluminibus suetos* dici Hist. V, 14, de Batavis narrari Hist. IV, 12 *erat et domi delectus eques, praecipuo nandi studio arma equosque retinens integris turmis Rhenum perrumpere.* Ann. II, 8 *Batavique dum insultant aquis artemque nandi ostentant turbati et quidam hausti sunt* (Dio Cass. LXIX, 9). Contra monent Becker et Peerlkamp: „vada illius terrae non poterant nota esse Batavis, nisi si aliquamdiu ibi fuissent versati, quod Tacitus adnotasset. Sunt igitur Britanni, quos in exercitu suo habebat *longa pace exploratos* (c. 29. 32).“ At si Britannis hoc consuetum erat, qui tandem poterant illius regionis Britanni hac re obstupefacti admirari hostes sic ad bellum venientes? Itaque *vada* equidem non intelligo illius potissimum regionis vada, sed universe dictum puto, Batavis et Germanis vada quaecunque nota i. e. usu et consuetudine cognita (συνήθεις) fuisse. Eodem enim modo explicandum erit, quod Hist. V, 14. 15 Germani dicuntur *fluminibus sueti* et *notis vadis persultasse*, quum Romanus *nandi pavidus* aqua hauriretur. *Nota* igitur alicui dicuntur, quae ei consueta sunt. Horat. Od. I, 2, 10 *nota quae sedes fuerat columbis.* IV, 2, 6. Virg. Aen. VI, 221 *velamina nota.* XI, 195 *munera nota.*

proprius] dial. 29 *propria et peculiaria huius urbis vitia.* Plin. VII, 25 *Caesari proprium et peculiare.*

mare exspectabant] si prospicerent quae futura essent, nihil cogitabant nisi classes, naves, mare, sie dachten nur an flotte, schiffe, meer. Exspectare igitur h. l. est exspectantem futura aliquid cogitare. Hostem non per vada sed per mare magnum navibus adventurum credebant.

clarus ac magnus haberi] cf. ad cap. 1.

tempus alii per ostentationem et officiorum ambitum transigunt, labor et periculum placuisset. Nec Agricola prosperitate rerum in vanitatem usus expeditionem aut victoriam vocabat victos continuisse: ne laureatis quidem gesta prosecutus est; sed ipsa dissimulatione famae famam auxit, aestimantibus, quanta futuri spe tam magna tacuisset.

19 Ceterum animorum provinciae prudens simulque doctus per aliena experimenta, parum profici armis, si iniuriae sequerentur, causas bellorum statuit excidere. A se suisque orsus primum domum suam coercuit, quod plerisque haud minus arduum est, quam provinciam regere. Nihil per libertos servosque publicae rei; non studiis privatis,

1) et officiorum ΔΓ. aut off. π. 4) nec laureatis quidem Δ. 8) experimenta Δπ. exempla experimenta Γ. — iniuriae π. incuriae ΔΓ. 9) excidere ΔΓπ. exscindere *Aldus*. *Lips*. 10) primum Δ. *Gronov*. *Ryckius*. primam Γπ. — coercuit ΔΓ *Rhen*. (cohercuit ΔΓ.) coerāt π1. coerant π2 π3. coerceāt *Beroald*. 12) libertos π. liberos ΔΓ. — privatis π. privatis Γ. privatius Δ.

officiorum ambitum] C. 40 *vitato amicorum officio*. Ann. VI, 50 *per speciem officii manum complexus*. I, 24 *Druso appropinquanti quasi per officium obviae fuere legiones*. Hist. V, 1 *comitate et alloquiis officia provocans*. Plin. ep. IX, 37 *non tuae naturae est, tralatitia haec et quasi publica officia a familiaribus amicis exigere*. Suet. Tib. 12 *vitans praeternavigantium officia*. De officiis illis in excipiendo provinciae praeside conferri iubet Walchius L. 4 de off. procos. et legati (Dig. I tit. 16).

ne laureatis quidem] „solebant enim, qui res laetas nuntiabant, Romam nuntios cum hastis laureatis litterisque lauro involutis mittere. Hist. III, 77. Caes. b. c. III, 71. Liv. V, 28. XLV, 1. Plin. N. H. XV, 30. Fronto ep. ad amicos I, 7 *qui laureatas Romam attulit epistolas*.

aestimantibus] cf. supra ad c. 11 *in universum aestimantibus*.

C. 19. *animorum prudens*] Hist. II, 25 *Celsus doli prudens repressit suos*.

experimenta] Ann. XII, 14 *quia experimentis cognitum est, barbaros malle Roma reges petere, quam habere*. dial. orat. c. 34 *eruditus et adsuefactus alienis experimentis*. Sall. Iug. c. 46 *Sed Metello iam antea experimentis cognitum erat*.

primum] scripsi *primum*, quia non, quos primos *coercuerit*, sed quod primum *fecerit*, quaeritur.

domum] complectitur omnes, quorum opera in rebus gerendis et administrandis utebatur. Cf. Pp. 76. 78.

nihil per libertos] sc. agere. Walch. confert Cic. Philipp. IX, 2 *ut igitur alia, sic hoc C. Pansa praeclare, quod* cett. Philipp. I, 2 *atque haec omnia communiter cum collega; alia porro propria Dolabellae*. ibid. *mutata omnia, nihil per senatum, multa et magna per populum*. Liv. XXI, 24 *et per nuntios quidem haec, ut vero reguli* cett. Liv. V, 43 *adversus quos Romani nihil temere nec trepide*. Ann. I, 43 *melius et amantius ille, qui ferrum mihi obtulit*. IV, 38 *melius Augustum qui speraverit*. Hist. I, 84 *vos quidem istud pro me: sed* cett. Germ. 19 *melius quidem eae civitates, quae* cett. Cf. Beier ad Cic. de off. T. II. p. 103. 269.

nec ex commendatione aut precibus centurionem militesve ascire, sed optimum quemque fidelissimum putare; omnia scire, non omnia exsequi; parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare, nec poena semper, sed saepius poenitentia contentus esse. Officiis et administrationibus praeponere potius non peccaturos, quam damnare, cum peccassent. Frumenti et tributorum exactionem aequalitate munerum mollire, circumcisis, quae in quaestum reperta ipso tributo gravius tolerabantur. Namque per ludibrium assidere clausis horreis et emere ultro frumenta ac luere pretio cogebantur, devortia itinerum et longinquitas regionum in-

1) centurionem milites nescire *ΔΓ.* centurionum milites ascire *π. Pp.* 75. 2) fidelissimum *π.* fidissimum *ΔΓ. Pp.* 78. 5) praeponere potius non peccaturos *T. idem coniecit Muret. Opp. Vol. IV. p.* 168. potius non peccaturos praeponere *ΔΓ Brot.* potius non peccaturos *π* (*omissa voce* praeponere). *Quod Ursinus praeterea adnotat: „alius liber habet praeficere“, ea sine dubio coniectura fuit viri alicuius docti.* 7) exactionem] auctionem *Γπ.* Al' exactionem *M.* ëxactionem *Δ. In margine cod. Δ notatur* .. auctionem. *Ergo codicis Δ scriba invenit in cod. suo* .. auctionem. *Id coniectura explevit scripsitque recte* exactionem. *Idem coni. Lips. Acidal. Eadem discrepantia invenitur Ann. XIII,* 51. — aequalitate *π.* in aequalitate *ΔΓ* (*Falso notat ex cod. Γ Dronk.* in aequalitatem). — munerum *Δ.* mVnerum *Γ.* numerum *π.* numerorum *Riv.* 8) circumcisis, quae in quaestum reperta *Rhen.* circumcisisque in quaestum reperta *ΔΓ.* circumcisis in quaestum reperta quae *π.* 10) horreis *Δπ.* hordeis *Γ.* — luere] ludere *ΔΓ.* vendere *π. Pp.* 80. 11) devortia *Lips.* divörtia *ΔΓπ.*

exsequi] ulcisci, punire. „Suet. Iul. 67. Vesp. 40. Calig. 12. Liv. III, 13. 25. V, 11.“

commodare] quod alias dicitur *adhibere.* Cic. Tusc. IV, 27, 59 *alia est lugenti, alia invidenti adhibenda medicina.* Brut. §. 96 *consolationem adhibere.* Liv. I, 28 *disciplinam adhibere.* Quintil. I, 13, 15 *metum adhibere pueris.* Bene Walther: mit etwas dienen.

nec poena semper] mireris interpretes in his laborare. Ernesti supplere vult *uti*, Walchius adeo a sequenti voce *contentus esse* suspensum esse vult, quod nullo modo ferri potest. Immo est: *nec (tamen) poenā semper severitatem commodare*, i. e. neque tamen semper poenā severitatem exercuit. Secutus igitur est Ciceronis praeceptum de Off. I, 11, 33 *est etiam ulciscendi modus, atque haud scio an satis sit, eum qui lacessierit iniuriae poenitere.* Vell. Pat. II, 114, 3 *non sequentibus disciplinam, quatenus exemplo non nocebatur, ignovit; admonitio frequens, interdum et castigatio, rarissima vindicta.*

officiis] Pp. 77.

non peccaturos] i. e. quos sperari poterat non peccaturos. Ann. I, 31 *daretque se legionibus vi sua cuncta tracturis.* Cic. pro Mil. 18, 47 *quippe si ille obvius ei futurus omnino non erat.* Liv. V, 43 *hostes nequidquam tot cladibus territos nec flexuros ad deditionem animos, ni* cett.

aequalitate munerum] Pp. 80, ubi totus locus explicatus est. Cum *clausis horreis* confer *aperta horrea* Ann. II, 59.

dicebatur, ut civitates, proximis hibernis, in remota et avia deferrent, donec (quod omnibus in promptu erat) paucis lucrosum fieret.

20 Haec primo statim anno comprimendo egregiam famam paci circumdedit, quae vel incuria vel intolerantia priorum haud minus quam bellum timebatur. Sed ubi aestas advenit, contracto exercitu multus in agmine, laudare modestiam, disiectos coercere, loca castris ipse capere, aestuaria

[1]) proximis hibernis *ΔΓ*. a proximis hibernis *π*. *Pp.* 82. [2]) (quod omnibus in promptu erat) *parenthesis signa ego addidi*. *Pp.* 83. [5]) incuria vel intolerantia *ΔΓ Dronk.* in curia intolerantia *π*. incuria vel tolerantia *Riv. Rhen.* [7]) multus *Υ Brot.* multus^{m} *Γ*. multũ *Δ*. multum *π*. militum *Rhen. Ursin.* [8]) cohercere *ΔΓ*.

Cap. 20. *circumdedit*] „dial. 37 *Catilina et Milo et Verres hanc illi famam circumdederunt.* Hist. IV, 11 *qui principatus inanem ei famam circumdarent.*" Dronk.

intolerantia] insolentia, superbia. Hertel confert Cic. pro Cluent. 40, 112 *quis eum cum illa superbia atque intolerantia ferre potuisset.* Agrar. II, c. 13 *perspicite, quanta potestas permittatur, non privatorum insaniam, sed intolerantiam regum esse dicetis.* Ann. XI, 10 *atque eo ferocior et subiectis intolerantior.* Suet. Tib. 51 *intolerantia morum.* Pessime Walchius cum Rivio scripsit *tolerantiam*, quam interpretatur *conniventiam.* Cur non unum exemplum adtulit, ubi *tolerantia* hanc vim habet? *Toleramus*, quae nobis ipsis imponuntur, non quae aliis inferuntur. Conniventiam autem illam, qua per ministros nostros aliis iniuriam inferri patimur, eam Latini cum Tacito dicunt *incuriam.*

timebatur] Ann. XII, 33 *qui pacem nostram metuebant.*

sed ubi] ἐπεὶ δὲ. Transit ad bellicos conatus.

multus in agmine] *multus* et πολὺς non unum numerale nomen est, sed attributivum, non enim quantitatem modo (die vielheit), sed densitatem (dichtheit, fülle) designat, ideoque ad intentionem et assiduitatem in agendo transfertur. (cf. Kritz ad Sall. Iug. p. 513.) Sall. Iug. 84 *Marius multus atque ferox instare*, cf. Thucyd. IV, 22 πολὺς ἐνέκειτο. Demosth. de cor. 294 πολὺς τοῖς συμβεβηκόσιν ἔγκειται. Sall. Iug. 96, 3 *in operibus, in agmine atque ad vigilias multus adesse.* Flor. IV, 2, 50 *multus in eo proelio Caesar fuit, mediusque inter imperatorem et militem.* Similiter dicunt *frequentem adesse* Ann. IV, 55. XIII, 35. Hist. IV, 69. Liv. III, 24. XXXIX, 53. Agric. 37. Cic. de off. II, 13, 46 et *rarus* in aliquo loco Ann. II, 57. XIV, 56.

in agmine] „bei dem zuge" Roth. Sall. Iug. 45 *ne miles gregarius in castris, neve in agmine servum aut iumentum haberet.* ibid. 85, 47 *egomet in agmine, in proelio consultor idem et socius periculi vobiscum adero.* c. 45 *item in agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse, ne quisquam ordine egrederetur.* Ann. XIII, 35 *in agmine, in laboribus frequens adesse.* Hist. V, 1 *ac plerumque in opere, in agmine gregario militi mixtus.* Liv. XXIII, 27 *nec iam aut in agmine aut in castris ullo imperio contineri.*

modestiam] qui strenue disciplinae ordinem servarent. Ann. I, 29. 35. 49. Hist. I, 60.

disiectos] qui ab agmine discederent et praedantes per agros palarentur.

aestuaria — praetentare] sc. ubi per vada transiri possent (c. 38 *transire aestuaria.* Ann. II, 8 *prima aestuaria nondum adcrescente unda intrepidi transiere*). Ann. IV, 73 *igitur proxima aestuaria aggeribus et pontibus traducendo graviori agmini firmat; atque interim repertis vadis alam — circumgredi hostium terga iubet.* Liv. XXIV, 45 *vadis pervagatus stagnum.* X, 2 *stagna irrigua aestibus maritimis.*

ac silvas ipse praetentare, et nihil interim apud hostes quietum pati, quominus subitis excursibus popularetur; atque ubi satis terruerat, parcendo rursus invitamenta pacis ostentare. Quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus iram posuere, et praesidiis castellisque circumdatae, et tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae nova pars, illa illacessita transierit.

21 Sequens hiems saluberrimis consiliis absumpta. Namque ut homines dispersi ac rudes eoque in bella faciles, quieti et otio per voluptates assuescerent, hortari privatim, adiuvare publice, ut templa, fora, domos exstruerent, laudando promptos et castigando segnes. Ita honoris aemu-

[1]) praetentare *Δ*. praetemptare *Γπ*. — hostis *Δ*. [2]) popularēt *Δ*. [3]) invitamenta *coni. Acidal. probatum Lipsio et Buchnero* irritamenta *ΔΓπ* *Pp*. 72. [6]) et tanta *ΔΓπ*. *om*. et *Rhen*. *Pp*. 52. [7]) nova pars illacessita transierit *ΔΓπ* *Pp*. 52. *Alii vel* sic *vel* ita *vel* aeque *vel* pariter *ante* illacessita *excidisse coniiciunt*. [8]) saluberrimus *Δ*. — absumpta *π*. adsumta *ΔΓ*. [9]) in bella *Bosius*. in bello *ΔΓπ*. bello *Rhen*. *Lips*. [11]) domos *ΔΓ*. domus *π* *vulgo*. *Supra c*. 15 domos *omnes scribunt*. — extruerent *ΔΓ*. [12]) emulatō *Δ*.

nihil interim — quietum pati] i. e. continuo agitavit, exercuit hostes. Explicatius Livius XXXIX, 1 *hostis, qui nullum tempus, nullum locum quietum aut securum sineret*. Cf. Sall. Iug. 88 *nihil apud se remissum, neque apud illos tutum pati*. c. 66 *prorsus nihil intactum, neque quietum pati, cuncta agitare*. Liv. XXI, 7 *nec quidquam satis tutum munientibus pati*.

quominus — popularetur] ad sententiam i. q. sed populatus est. Pp. 177.

ex aequo egerant] i. e. nondum in potestate Romanorum fuerant, sed sui iuris, liberae. ERN. ἐλεύθεροι καὶ αὐτόνομοι. Hist. IV, 64 *integer et servitutis oblitus populus aut ex aequo agetis, aut aliis imperitabitis*. Plin. N. H. VI, 17, 19 *multitudo populorum innumera et quae cum Parthis ex aequo degat*. VI, 25, 29 *pertinent ad Scythas, cum quibus ex aequo degunt*. Tales populi, si *ex aequo in amicitiam veniunt* pop. Romani (Liv. VII, 30), alias *aequum foedus* sibi pacisci solent, quo iis licet liberis ac suis legibus vivere. Hi, quia obsides dant, videntur in ditionem Romanorum sponte concessisse, uti Falerii apud Liv. V, 27 *dedimus nos vobis, rati melius nos sub imperio vestro, quam legibus nostris victuros. — Mittite, qui arma, qui obsides, qui urbem patentibus portis accipiant*. Hinc dicuntur *nova pars* sc. veteris provinciae (Ann. III, 74). De variis foederum generibus cf. Liv. XXXIV, 57. L. 7 de captivis (Dig. XLIX, 15). In devia aberravit Walchius.

circumdatae] Pp. 53.

transierit] Liv. XXVI, 12 *ut qui civis Campanus ante certum diem transisset, sine fraude esset. nec ulla facta est transitio. — ceterum quemadmodum nemo privato consilio transibat* cett. XXV, 16 *neque transire ipse, neque trahere ad defectionem Lucanos*. Hist. III, 61 *ad transitionem adhortari*.

Cap. 21. ***in bella***] Latini quum saepe dicant *pronus, promptus, paratus in aliquid*, itidem dixisse videntur *facilis in aliquid*. Hor. ep. I, 18, 10 *in obsequium plus aequo pronus*. Hist. IV, 76 *neminem adeo in arma pronum*. Ann. XV, 25 *promptus in pavorem*. 61 *promptum in adulationes ingenium*. Agr. 35 *promptior in spem*. Hist. IV, 32 *paratus in res novas*.

latio pro necessitate erat. Iam vero principum filios liberalibus artibus erudire, et ingenia Britannorum studiis Gallorum anteferre, ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent. Inde etiam habitus nostri honor et frequens toga, paulatimque discessum ad delenimenta vitiorum, porticus et balnea et conviviorum elegantiam: idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars servitutis esset.

22 Tertius expeditionum annus novas gentes aperuit, vastatis usque ad Tanaum (aestuario nomen est) nationibus:

[6]) delenimenta *Dronk.* deliniamenta *ΔΓ.* delinimenta *π.* *Cf. Drakenb. ad Liv. XXXIX,* 11, 2. — balnea *π.* bal^i^nea *Γ.* balneas *Δ.* *Cf. Drakenb. ad Liv. XXIII,* 18, 12. [9]) gentis *Δ.* [10]) Tanaum *ΔΓ.* Taum *Mπ.* *Exteriori margini cod. Γ (in indice nominum propriorum) adscriptum est:* Taus sive Tanaus. *Pp.* 191.

iam vero] cf. ad c. 9.

anteferre] Ne mireris *anteferre*, quod videtur unum iudicandi verbum esse, cum *erudiendi* actione copulatum, memineris *anteferre* non solum esse: animo iudicare aliquam rem esse alia praestantiorem, sed esse simul: hanc sententiam pronuntiare. Itaque si Agricola palam apud Britannos profitebatur, ipsorum ingenia multo praestantiora esse Gallis, qui studio et diligentia omnia assequi deberent, hac laudatione effecit, ut excitarentur Britanni et ad capessenda artium studia stimularentur. Quae Galli, aiebat, studiis ac labore assecuti sunt, ea vos melius et facilius assequemini propter ingenii praestantiam. Atque plus in his valet ingenium et laetiores fert fructus. Locum iam olim recte interpretatus est Buchnerus, sed fastidivit ea Walchius ut nimis perspicua, suisque ambagibus in devia abduxit Waltherum et Orellium. Apud Cic. de orat. I, 13, 58 *dicant vel Graeci Lycurgum aut Solonem scisse (haec) melius quam Hyperidem aut Demosthenem, vel nostri decemviros anteponant in hoc genere et Serv. Galbae et C. Laelio* itidem *anteponant* est i. q. *dicant scisse melius.*

habitus] Liv. XXIX, 17 *nihil in eo est Romani civis praeter habitum vestitumque.* Cf. ibi Gronov.

abnuebant] ne cum Ernesti *abnuerent* exspectes, reputes, universos significari: so dass sie, die vorher etc. Illud foret: so dass diejenigen, die vorher cett.

discessum] „virtus una est, vitia admodum varia, in quae pro sua quisque natura discesserunt“ Walth. Non puto Tacitum hoc voluisse. In vocula dis hoc loco nihil inest nisi quod a virtutis via aberrarunt. Cic. de off. I, 10, 32 *magisque ille ab officio discedat, qui* cett. III, 20, 79 *sed a fide iustitiaque discessit.* Walchius confert Vellei. II, 1 *a virtute descitum, ad vitia transcursum.*

balnea] Peerlk. conferri iubet Boudiceae verba apud Dion. LXII, 6 *εἴγε καὶ ἄνδρας χρὴ καλεῖν ἀνθρώπους ὕδατι θερμῷ λουομένους.*

quum pars esset servitutis] Cf. quae supra ad c. 14 adnotavimus. Cave autem, ne Tacitum putes Agricolae id vitio vertere voluisse, quod reipublicae Rom. rationes flagitarent. Similiter Hist. IV, 64 Germanorum legatum dicentem facit; *instituta cultumque patrium resumite, abruptis voluptatibus, quibus Romani plus adversus subiectos quam armis valent.*

Cap. 22. *annus*] *annus* dicit, non *aestas*, quia hoc anno etiam per hiemem bellum gestum est.

novas] quae antea Romanis *invisitatae atque inauditae* fuerunt (Liv. V, 37. 45). Cf. c. 34. 38.

aperuit] Germ. 1 *nuper cognitis quibusdam gentibus et regibus, quos bellum aperuit.* Liv. XXXVI, 17 *omnia usque ad ortus solis ditissima regna imperio Romano aperturus.* Cf. Passow ad Germ. 1.

qua formidine territi hostes quamquam conflictatum saevis tempestatibus exercitum lacessere non ausi; ponendisque insuper castellis spatium fuit. Adnotabant periti, non alium ducem opportunitates locorum sapientius legisse: nullum ab Agricola positum castellum aut vi hostium expugnatum, aut pactione ac fuga desertum; [crebrae eruptiones] nam adversus moras obsidionis annuis copiis firmabantur. Ita intrepida ibi hiems, et sibi quisque praesidio, irritis hostibus eoque desperantibus, quia soliti plerumque damna aestatis hibernis eventibus pensare, tum aestate atque hieme iuxta pellebantur. Nec Agricola umquam per alios gesta avidus intercepit: seu centurio seu praefectus incorruptum facti testem habebat. Apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur: ut erat comis bonis, ita adversus malos iniu-

3) castellis *ΔΓπ*. telis *YM*. 5) aut vim *π*. 6) aut fuga *Δ*. — crebrae eruptiones *vulgo sine uncis Pp*. 131. 7) moras obsidionis *Δπ*. moras eruptionis obsidionis *Γ*. 8) praesidio *Δπ*. pressidio *Γ*. 9) soliti *Δπ*. soluti *Γ*. 12) avidus *Γπ*. avidius *Δ*. 13) conviciis *π*. conuiuiis *Γ*. conuiuiis *Δ*. 14) ut erat comis bonis *ΔΓ Hertel*. ut erat bonis comis *π*. ut bonis comis *Rhen*. — iniocundus *Γ*.

conflictatum] i. e. quotiens conflictatus est, quod adnotamus, ne cum Walchio *conflictantem* substituas.

Adnotabant] Hist. III, 67 *adnotarunt periti, nusquam antea* cett. Ann. XIII, 3 *adnotabant seniores* cett. XV, 41 *fuere qui adnotarent*. Aliter Plin. ep. III, 16. VIII, 6. paneg. 56.

annuae copiae] i. e. commeatus et frumentum in annum. Hist. III, 15 *specie parandarum copiarum*. IV, 22 *parum provisum, ut copiae in castra veherentur*. Kritz ad Vellei. p. 470. Herzog ad Caes. b. g. I, 31.

irritis hostibus] Ann. III, 21 *irritum fessumque Romanum impune ludificabantur*. I, 59 *irritusque discesserit — Augustus*. XIV, 7 *legati revertere irriti bellumque propalam sumtum*. Hist. IV, 32 *ille ut irritus legationis redit*.

pensare] Ann. II, 26 *laetus animi, quod adversa maris expeditione prospera pensavisset*.

Nec Agricola cett.] Mireris Tacitum haec de moribus Agricolae hoc loco interposuisse, quae vix suo loco admixta iudicabis.

avidus intercepit] i. e. avidus ὢν intercepit. Cf. 42 *non iam obscuri — pertraxere*. aviditatem intellige laudis et gloriae. *avidus* absolute dictum; cf. Ann. I, 51. 68. Hist. II, 24. IV, 65. Bentlei. ad Hor. Od. I, 28, 18. Serm. I, 4, 126.

seu centurio seu praefectus] ille peditum, hic equitum ductor. Cic. pro Marc. 2, 7 *nihil sibi ex ista laude centurio, nihil praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit*. *Alarum praefecti* nominantur Hist. II, 22. 59. III, 12. 79. IV, 18. 49. V, 21. Liv. VIII, 7. Suet. Aug. 38. Ritterus ad Ann. XII, 35 *praefectos cohortium socialium* intelligit, quos et ipsos *praefectos* dici solitos esse, non negandum erit.

iniucundus] confert Orelli Cic. ad Att. I, 20 *asperius atque iniucundius*. Horat. Sat. I, 3, 85 *Quod nisi concedas, habeare insuavis*.

cundus. Ceterum ex iracundia nihil supererat, secretum ut silentium eius non timeres. Honestius putabat offendere quam odisse.

23 Quarta aestas obtinendis quae percurrerat insumpta, ac si virtus exercituum et Romani nominis gloria pateretur, inventus in ipsa Britannia terminus. Namque Clota et Bodotria diversi maris aestibus per immensum revectae, angusto terrarum spatio dirimuntur. Quod tum praesidiis firmabatur, atque omnis propior sinus tenebatur, summotis velut in aliam insulam hostibus.

24 Quinto expeditionum anno navi in proxima transgres-

2) ut silentium *ΔΓ Beck.* et silentium *π*. vel silentium *Halm.* 3) hodisse *Γ*. 4) percurrerat *Δ*. percucurrerat *Γ*. praecurrerat *π*. 5) nominis gloria *Γπ*. *om.* gloria *Δ*. 6) Namque *ΔΓ*. nam *π*. — Clota *ΔΓπ*. Glota *π*3. 7) aestibus *ΔΓπ*. aestus *et deinde* revectae *Rhen.* 9) proprior *Δ*. — sinus tenebatur *Δπ*. sinus sinus tenebatur *Γ*. 11) navi in proxima] nave prima *ΔΓπ Pp.* 85.

nihil supererat] nihil recondebat animoque servabat.

secretum ut silentium] so dass man bei ihm ein verschlossenes schweigen (geheimen groll) nicht zu fürchten hatte. Puteolani corruptela *secretum et silentium eius* ferri nequit. Hoc enim aliter explicari non poterit nisi: seine verschlossenheit und sein schweigen brauchte man nicht zu fürchten. At non silebat Agricola, quod modo narratum est. Contra *secretum* si adiectivum est, tum poteris animo *τὶ* addere: *κρυφαίαν τινὰ αὐτοῦ σιγήν*. Praeterea Tacitus profecto dixisset *silentium et secretum*, addita enim voce *secretum* explicatum foret, quale *silentium* cogitandum esset. Nunc illa vox, si *et* scribimus, prorsus ex supervacaneo addita foret. Doederlinus interpungit: *nihil supererat secretum, ut silentium eius non timeres.*

offendere] quod Terentius Ad. V, 2, 10 *laedere os* dicit, derbheiten ins gesicht sagen.

Cap. 23. *obtinendis*] praesidiis ponendis.

pateretur] Pp. 47. Poterat iam in ipsa Britannia terminari expeditio, si virtus Romana terminum pateretur.

Nam Clota cett.] His explicatur, quam dicat ipsam Britanniam.

diversi maris] ab altera parte Oceanus, ab altera mare, quod inter Hiberniam et Caledoniam fluens pars est atlantici maris. Liv. XXI, 30 *terrae eae, quas duo diversa maria amplectuntur* i. e. mediterraneum et atlanticum. XL, 22 *diversa inter se maria* dicuntur *hadriaticum et ponticum mare.*

revectae] quarum aquae per immensum in terram aestu revectae sunt, sive aestu retortae in terram se insinuarunt. *Revectae* dici videntur, quia aquae fluviorum apud aestuaria in mare influentes ab aestu retorquentur. Plin. ep. IV, 30, 8 *an ut flumina, quae in mare deferuntur, adversantibus ventis obvioque aestu retorquentur, ita est aliquid, quod huius fontis excursum repercutiat?*

omnis propior sinus] luculente demonstravit Passovius ad Germ. c. 1, *sinus* non modo dici maris partem, sed etiam sinuosa littora terrae. *Propior* autem *sinus* sunt littora isthmo propiora, ubi sinus penitus in terram se insinuat. Agricola igitur non satis habuit ipsum isthmum praesidiorum serie a Clota usque ad Bodotriam (a *Falkirk* usque ad *Kilpatrik*) firmare, sed etiam utrimque sinus littorum partem adiacentem munivit, ut in occidentali parte usque ad *Dumbarton*, orientem versus ad ripam fluvii *Forth* et usque ad *Carriden* et *Abercorn* munimenta continuarentur.

sus, ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis proeliis domuit, eamque partem Britanniae, quae Hiberniam aspicit, copiis instruxit in spem magis quam ob formidinem: siquidem Hibernia, medio inter Britanniam atque Hispaniam sita et Gallico quoque mari opportuna, valentissimam imperii partem magnis invicem usibus miscuerit. Spatium eius, si Britanniae comparetur, angustius, nostri maris insulas superat. Solum coelumque et ingenia cultusque hominum haud multum a Britannia differt. Aditus portusque per commercia et negotiatores cogniti. Agricola expulsum seditione domestica unum ex regulis gentis exceperat ac specie amicitiae in occasionem retinebat. Saepe ex eo audivi, legione una et modicis auxiliis debellari obtinerique Hiberniam posse, idque etiam adversus Britanniam profuturum, si Romana ubique arma, et velut e conspectu libertas tolleretur.

Ceterum aestate, qua sextum officii annum inchoabat, 25

1) gentis *Δ*. 3) instruxit *Δπ*. intruxit *Γ*. — ob form. *Γπ*. in form. *Δ*. 9) differt. In melius aditus *ΔΓπ Walth.* differunt. melius aditus *Rhen. Lips. Brot.* differt. eius aditus *coni. Danesius.* differunt. eius aditus *coni. Rhen. Pp.* 132. 10) per comm. *Γπ*. et comm. *Δ*. 12) et specie *Walch.* 17) inchoabat *π*. incohabat *Γ*. cohabat *Δ*.

Cap. 24. *aspicit*] Pp. 193.

medio inter Brit. et Hisp.] cf. ad c. 10.

opportuna] Ann. III, 38 *ut teneretur insula, neque Macedoniae neque Thraciae opportuna.* XII, 62 *quae loca transmeantibus terra marique ducibus exercitibusque, simul vehendo commeatu opportuna forent.* Liv. 24, 13 *urbem cum opulentam tum maritimam et in Macedoniam opportune versam.*

miscuerit] *μίξειεν ἄν*, sc. si expugnata fuerit.

a Britannia] de hac brevitate in comparando vide viros doctos, quos nominat Ellendt ad Cic. de orat. I, 4. De eodem Graecorum usu cf. Matth. gr. gr. §. 453. Nitzsch ad Od. *β*, 120 p. 186. Kiessling ad Theocrit. II, 15.

differt] ne in singulari offendas, conferri iubet Walther Ann. II, 69. 71. IV, 49. Hist. II, 78. Germ. 27. Cic. Tusc. III, 3, 5 *quum ad corporum sanationem multum ipsa corpora et natura valeat.* Prolegomenis p. 132 adde aliam ellipsin, excogitatam ab Orellio: „melius quam interiora insulae aditus cogniti." At Tacitus illa non dixerat incognita esse, sed *haud multum differre.*

in occasionem] „ut caussam et contextum praeberet invadendae Hiberniae, sicut antea Claudius invaserat Britanniam obtentu Berici exulis restituendi." Virdung.

ex eo audivi] saepe ego ex Agricola audivi. Haud recte Passovius (verm. schrift. p. 60) *ex eo* ad regulum illum refert. Simili errore ductus ed. Bip. scripsit: *audivit.*

Cap. 25. *Ceterum*] i. e. sed, c. 22. 43, uti saepissime apud Livium et Sallustium (cf. Kritz ad Iug. 2). Quum Agricola quinto anno *in proxima* transgressus esset i. e. in terras trans Clotam invasisset, exspectares eum illas regiones bello amplexum inde in media Caledoniae penetraturum esse, *sed* sexta aestate civitates trans Bodotriam aggressus est.

amplexus civitates trans Bodotriam sitas, quia motus universarum ultra gentium et infesta hostilis exercitus itinera

[1]) amplexus *ΔΓ Brot.* amplas *π.* [2]) hostilis exercitus *ΔΓΥπ.* hostili exercitu *coni. Rhen.*

amplexus] sc. bello. c. 17 *magnam Brigantum partem aut victoria amplexus est aut bello.* Flor. IV, 12, 48 *inde partito exercitu amplexus Cantabriam.* Er zog sie in den bereich seines operationsplanes. Est fere idem, quod Livius dicit XXI, 6 *totum in HispaniamHannibalemque intendebant bellum.* XXVIII, 41 *eo bellum intendis, ubi Hannibal est.* Iam cur Agricola illam regionem bello amplexus sit, caussa subiicitur: *quia motus — timebantur.* Agricola igitur non audebat per isthmum in mediam Caledoniam invadere, quia insidias timebat et universarum gentium motum, malebatque ex orientalis littoris terris in eam progredi omninoque ita in eam penetrare, ut et sinistrum latus et dextrum ante tutum praestitisset. Hinc quinto anno terras trans Clotam, hoc sexto trans Bodotriam regiones occupat et firmat. Iam vero ne, dum in his terris bellum gerit, a reliqua Britannia intercluderetur, alteram hanc cautionem adhibebat, ut portus classe exploraret eamque in partem virium adsumeret. Ita enim et copias, commeatum, alia subvehere et, si male res gereretur, pericula in redeundo subterfugere poterat. Terrestres copiae, quibus illic res gerebat, — discernuntur enim eae paullo post a copiis navalibus — videntur secundum littora comitatus *Perth (propiorem sinum)* et *Fife* incessisse. Plerique editores *amplexus* secus interpretantur: *animo et cogitatione amplexus*, et propter hoc consilium animo designatum Agricolam putant portus classe explorasse, *quia* cett. Mihi primaria actio videtur *amplexus, quia* cett. secundaria: *exploravit portus*, quod quidem illo tempore fiebat, quo terras trans Bodotriam bello amplectebatur. Saepe autem primarium verbum participii formam induit, aliaque actio, quae in idem tempus incurrit vel insecuta est, una serie grammatica cum illa continuatur. Cf. c. 16 *missus igitur Petronius — tradidit.* Liv. V, 28 *cum in urbem redisset, eius verecundiam non tulit senatus, quin sine mora voti liberaretur, donumque Apollini Delphos legati qui ferrent missi — haud procul freto Siculo a piratis excepti devehuntur Liparas.* Ceterum *portus classe exploravit* videtur breviter dictum esse pro *ad portus animum intendit* eosque classe exploravit.

infesta hostilis exercitus itinera] vastas de hoc loco adnotationes legentem recreat Waltheri et Peerlkampii circumspectio, licet non totam eorum probaverim adnotationem. Itinera et viae *infestae* dicuntur, quae difficiles et periculosae sunt transeuntibus cum propter naturam loci tum quia aptae sunt insidiis. Liv. 44, 6 *hic locus tam suapte natura infestus.* Ann. II, 23 *insulas saxis abruptis aut per occulta vada infestas.* Liv. XXXIX, 1 *itinera ardua, angusta, infesta insidiis.* „Talia itinera, ait Peerlkamp, ut exercitus amicus sine periculo perficit, ita *hostilis* eadem habet maxime adversa et infesta.“ *Hostilis exercitus* igitur intelligendus est quivis exercitus hostilis, igiturque ita dici poterat etiam exercitus Romanus. Non iccirco Waltherus, qui Romanum exercitum significari intelligebat, dicere debebat: „*hostilis* ex barbarorum mente dicitur.“ Quid enim huc pertinet mens et cogitatio Britannorum? Iam vero bene omnia se habere dicit Peerlkampius, si scribatur *hostili exercitui.* Defendendus igitur erit genitivus. Satis constat *iter* apud Latinos non modo viam significare, sed etiam den marsch, die reise, quae duae significationes ita coaluerunt, ut vix seiungi possint. (Idem usu venit in voce *praesidium.* Cf. Liv. IV, 58 *duo praesidia occisione occisa et cum periculo retineri.*) Hinc *iter infestum* eodem modo dicitur ut *fugam infestam Samnitibus fecit* Liv. X, 44. *equi maxime infestum agmen faciebant, qui — consternabantur* 21, 33. Iam Latini non solum dicunt *alicui iter infestum reddere*, sed etiam *alicuius iter infestum reddere.* Liv. XLIV, 8 *hoc flumine Perseus septum iter hostis credens.* Agr. 33 *iam pridem mihi decretum est, neque exercitus neque ducis terga* (i. e. fugam) *tuta esse.* Sic non solum *aditum alicui* intercludere dicunt, sed etiam *aditum alicuius.* Hinc apud Cic. Tusc. V, 9, 27 Metrodorus, quum se *fortunae aditus interclusisse* gloriatur, *occupavi te,* inquit, *fortuna, omnesque TUOS aditus interclusi, ut ad me adspirare non posses.* Itaque

timebantur, portus classe exploravit, quae ab Agricola primum assumpta in partem virium, sequebatur egregia specie. Cum simul terra simul mari bellum impellitur, ac saepe iisdem castris pedes equesque et nauticus miles, mixti copiis et laetitia, sua quisque facta, suos casus attollerent, ac modo silvarum ac montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa, hinc terra et hostis, hinc victus Oceanus militari iactantia compararentur (Britannos quoque, ut ex captivis audiebatur, visa classis obstupefaciebat; tam-

[1]) timebantur *π*. timebant *ΔΓ*. — portus *ΔΓπ Ern.* prius *Rhen.* [2]) sequebatur. Egregia spẽ *ΔΓ*. sequebatur: egregia specie *π*. [3]) impellitur *ΔΓπ*. impelleretur *vulgo ex Rhen. coni. Totus locus vulgo sic interpungebatur:* Quae — sequebatur egregia specie, cum simul terra simul mari bellum impelleretur, ac — compararentur. Britannos quoque — clauderetur. Ad manus et arma *cett. Pp.* 32. [4]) mixti *Γπ*. misti *Δ*. [6]) ac montium *ΔΓ*. et montium *π*. [7]) victus *ΔΓ Lips.* auctus *π*.

verte locum: weil man befürchtete, es möge der marsch eines feindlichen heeres dort gefahren ausgesetzt sein. Rhenani coniectura *hostili exercitu* id vitii habet, quod quae ab hostibus timendae essent insidiae, eas non *exercitus hostilis*, sed singula agmina sive manus hostium struxissent. Quamquam Sellingius non hoc asserere debebat, „barbarorum agmina omnino exercitus nomine appellari non posse." De quo errore cf. Pp. 65.

assumpta in partem virium] non satis apte conferuntur c. 23 *assumpto in partem rerum Vespasiano.* Hist. I, 11 *in partem curarum vocatus.* Liv. V, 21 *in partem praedae vocatos.* Nam non cum classe communicantur vires. Nec Ann. XIV, 33 *comitantes in partem agminis acciperet* omnino simile est, quoniam illi auxilium orantes in agminis tutelam et praesidium accepti sunt. Est illud potius: classis assumpta est, ut esset pars virium. Liv. XXVIII, 28. XXIX, 19 *in praesidium missa legio.* Liv. XXIII, 11 *mittere pecuniam in stipendium.* Dictio *pars virium* nota est ex Livio XXII, 24 *locis natis ad equestrem pugnam, qua parte virium invictus erat.* XXI, 54 *omnem equitatum, ferox ea parte virium, eduxit.* XXII, 15 *in praelium rediit, omni parte virium impar.* XXIII, 26 *neutri parti virium* (neque navibus neque terrestribus copiis) *satis fidens.* — *Britannicae classis* in bello contra Batavos adhibitae mentio iniicitur Hist. IV, 79.

mixti copiis et laetitia] Graecorum more ii, quorum copiae (c. 22) et laetitia mixtae, i. e. inter se communicatae, mutuo impertitae erant, ipsi mixti dicuntur copiis et laetitia. Hist. I, 9 *sed longis spatiis discreti exercitus, quod saluberrimum est ad continendam militarem fidem, nec vitiis nec viribus miscebantur* (Cf. exempla similia apud Kritz ad Sall. Cat. 53, 6). Vorräthe und heiterkeit theilend. Virg. Georg. I, 300 *mutuaque inter se laeti convivia curant.*

victus Oceanus] i. e. superatus. c. 33 *superasse tantum itineris.* Liv. XXXIII, 8 *victa naturali difficultate locorum.* Sed *victus* pro *superatus* h. l. dictum esse, minus mirum est, quia non solum ad *Oceanum* et *terram*, sed etiam ad *hostis* referendum est. Cf. Pp. 60. Supra c. 17 dicebatur: *locorum quoque difficultates eluctatus.* Suet. Claud. 17 *traiecti et quasi domiti Oceani insigne.* Pericula in transeundo Oceano superanda exponuntur Ann. II, 23. 24.

quam aperto maris sui secreto ultimum victis perfugium clauderetur): ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi paratu magno, maiore fama, uti mos est de ignotis, oppugnare ultro castellum adorti, metum ut provocantes addiderant; regrediendumque citra Bodotriam et excedendum potius, quam pellerentur, ignavi specie pru-

2) Caledoniam *T Riv. Rhen.* Calidoniam *ΔΓπ. cf. cap.* 11. — incolentes *Tπ.* incolentis *ΔΓ.* 3) uti mos est *parenthesi includit Γ.* 4) oppugnare *T. idem coni. Rhen. Bipont. Engel.* oppugnasse *ΔΓπ.* — castellum *T Beck.* castella$^{\text{um}}$ *Γ.* castella *Δπ.* — adorti *ΔΓπ.* adorsi *T.* 6) ignavi specie prud. *ΔΓ Brot.* specie ignavi prud. *π.* specie prud. ignavi *Micyllus. Lips.*

aperto maris secreto — perfugium clauderetur] Non ita locuturus fuerit Cicero, quia metaphorae partes parum inter se concinunt (Cf. Hand Lehrb. §. 53). Scilicet Taciti aetate haec non amplius figurate et per metaphoram dicta existimanda sunt; *claudere* enim nunc nihil est nisi intercipere, intercludere.

paratu magno maiore fama] Liv. IV, 13 *rem utilem pessimo exemplo peiore consilio est aggressus.* III, 72 *orare, ne pessimum facinus peiore exemplo admitterent.* Est igitur: magnus erat Caledonum paratus, sed maior erat eius fama, quia mos est, ut quae ignota sunt fama in maius referantur. Ann. III, 44 *cuncta, ut mos famae, in maius credita.* XIV, 58 *vana haec more famae credentium odio augebantur.*

oppugnare — adorti] frequens haec apud Livium dictio, VI, 2. 8. 36. VIII, 29. XXII, 9. XXIV, 41. XXVIII, 3. XXXV, 51. XXXVII, 5. 32. XL, 22. XLIII, 21. XLIV, 11. 12. 39. Curt. III, 1, 6. IX, 4, 6. Nepos Thrasyb. 2. Idem cum aliis infinitivis coniunctum legitur: Liv. XXIII, 35 *adorti sunt rem Cumanam suae ditionis facere.* Nep. Dio 6 *quod fortuna demergere est adorta.* Aen. VI, 397 *thalamo deducere adorti.* Quod autem cod. Ursini habet *adorsi*, id omnino damnandum, neque recte Drakenb. ad Liv. XXXV, 51, 8 illis locis hoc vult substitui. Ab *adorior* illud derivandum esse, evincitur primum exemplis, quibus praesens tempus legitur, Cic. de orat. II, 51, 205 *si convellere adoriamur ea, quae non possint commoveri.* Lucret. III, 515 *commutare animum quicunque adoritur et infit.* Lucil. apud Priscian. X, 2, 478 Kr. *conturbare animum potis est, quicunque adoritur.* Deinde saepissime illius loco eadem prorsus sententia scriptum est *aggredi.* Liv. XXXVI, 9 *oppugnare moenia est aggressus.* Caes. b. c. III, 80 *oppidum oppugnare aggressus.* Ann. XII, 31 *munimenta perrumpere aggreditur.* dial. 17 *arcere littoribus et pellere aggressi sunt.* Nullo denique loco vox *adordior* invenitur. Cf. Bremi ad C. Nep. Thrasyb. 2. Zumpt ad Curt. III, 1, 6.

ultro] est militaris vox, *die offensive ergreifend.* Propterea paullo post dicuntur *provocantes.* Exempla ubique obvia. c. 26 *ultro quin etiam erupere.* Hist. III, 2 *ac si inferre arma ultro velint.* Liv. IV, 27 *illud eximium consilii animique specimen et neutiquam vulgatae laudis, quod ultro ad oppugnanda castra hostium — misit.* XXI, 1 *Romanis indignantibus, quod victoribus victi ultro inferrent arma.* Caes. b. c. III, 37 *ultro universi in hostes impetum fecerunt.* 69 *ultro in nostros impetum faciebat.* Curt. IV, 14, 21 *modo Graecis bellum ultro inferebamus, nunc propulsamus illatum.*

metum addiderant] i. e. iniecerant. Cf. ad c. 5.

potius quam pellerentur] Ann. I, 35 *at ille moriturum potius quam fidem exueret clamitans.* Cf. Görenz ad Cic. de fin. IV, 14, 39. Kritz ad Sall. Iug. 106. Liv. VI, 15. VII, 30. IX, 26.

dentium admonebant: cum interim cognoscit, hostes pluribus agminibus irrupturos; ac, ne superante numero et peritia locorum circumiretur, diviso et ipse in tres partes exercitu incessit.

Quod ubi cognitum hosti, mutatō repente consilio uni- 26
versi nonam legionem ut maxime invalidam nocte aggressi, inter somnum ac trepidationem caesis vigilibus irrupere. Iamque in ipsis castris pugnabatur, cum Agricola iter hostium ab exploratoribus edoctus et vestigiis insecutus, velocissimos equitum peditumque assultare tergis pugnantium iubet, mox ab universis adiici clamorem; et propinqua luce fulsere signa. Ita ancipiti malo territi Britanni, et Romanis rediit animus, ac securi pro salute de gloria certabant. Ultro quin etiam erupere, et fuit atrox in ipsis portarum

[1]) cum interim *ΔΓπ*. *In quibusdam edd. recc.* at cum interim *scriptum et deinceps vocula* ac *omissa est. Incuria sua id factum esse fatetur Dronkius. Post punctum* Cum interim *pariterque* Diviso *cett. scribitur in Δ*. — hostes *π*. hostis *ΔΓ*. [2]) irruptŏros *Γ*. [3]) *ex coni. Lipsius* circumirentur *scripsit*. — tres *Γπ*. tris *Δ*. [6]) noctē aggressi *Δ*. [7]) irrupere *Δπ*. irrumpere *Γ*. [8]) pugnabatur *ΔΓ Beck*. pugnabant *π*. [12]) Britannii *Δ*. [13]) redit *ΔΓπ* (*Cf. c.* 6 *ubi* transiit *Δ*. transit *Γπ*). — securi de salute pro gloria *Acidal. Ern. Frustra.* [14]) erupere *ΔΓ Acidal. Ern.* irrupere *π*. *Pessime.*

superante] c. 35 *superante hostium multitudine.* Drakenb. ad Liv. V, 38, 4. In verbis *numero et peritia* noli cum Walthero hendiadyn statuere. Satis seiuncta sunt: *quum hostes et numero et locorum peritia superiores essent.*

Cap. 26. *nonam legionem*] Pp. 193.

propinqua] appropinquante, appetente luce.

fulsere] Hist. III, 18 *ad quartum lapidem fulsere legionum signa.*

territi et rediit] Pp. 53.

securi pro salute de gloria] Ne cum Acidalio coniicias: *de salute pro gloria* confert Walchius Hist. IV, 58 *nunquam apud vos verba fecit aut pro vobis sollicitior aut pro me securior.* Ovid. Met. I, 182 *non ego pro mundi regno magis anxius illa tempestate fui.* Seneca de const. sap. 2 *pro ipso quidem Catone securum te esse iussi.* Addit Walther: „illi *de gloria* certabant non *pro gloria* i. e. ad gloriam parandam, non ut paratam tuerentur.“ Liv. XXI, 41 *non de possessione Siciliae et Sardiniae, de quibus quondam agebatur, sed pro Italia vobis est pugnandum.* Ita Graeci *περί* et *ὑπέρ* coniungunt. Demosth. Olynth. I. §. 5 *ὅτι νῦν οὐ περὶ δόξης οὐδ' ὑπὲρ μέρους χώρας πολεμοῦσιν.* Cf. ibi Franke et Maetzner ad Lycurg. 7.

erupere] Non satis recte Waltherus: „de conatu erumpendi accipiendum est.“ Non enim eventum illa vox significat, sed ipsam erumpendi actionem. Liv. XXIX, 33 *erumpere iubet.* XXIII, 18 *cohortes duae*

angustiis proelium, donec pulsi hostes, utroque exercitu certante, his, ut tulisse opem, illis, ne eguisse auxilio viderentur. Quod nisi paludes et silvae fugientes texissent, debellatum illa victoria foret.

27. Cuius conscientia ac fama ferox exercitus nihil virtuti suae invium et penetrandam Caledoniam inveniendumque tandem Britanniae terminum continuo proeliorum cursu fremebant; atque illi modo cauti ac sapientes prompti post eventum ac magniloqui erant. Iniquissima haec bellorum conditio est: prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur. At Britanni, non virtute, sed occasione et

[2]) his, ut tulisse *π*. his intulisse *ΔΓ*. [3]) texissent *Γπ*. rexissent *Δ*. [5]) conscientia *ΔΓ Lips.* constantia *π*, *quia secus intellexit codicum compendium* consci̅a. *Eadem confusio invenitur Cic. Phil. 1,* 15. [6]) et penetr. *ΔΓ Beck.* *om.* et *π*. penetrandam Caled. *π*. penetrandum Caled. *ΔΓ*. penetrandum in Caled. *scribendum suspicatur Dronkius.* — Calidoniam *ΔΓ*. [7]) proeliorum *Rhen.* praelium *ΔΓπ*. [10]) vindicant *Δπ*. vendicant *Γ Alciatus.* — uni *ΔΓ Riv. Rhen.* cum *π*.

ingenti cum tumultu erumpunt. ibid. *ultro erumpentes.* Non satis habebant illi intra portas in gradu stare hostemque prohibere, ne in media castra progrederetur totaque expugnaret, sed veluti qui cincti ab hostibus iter ferro sibi aperiunt, ita illi ultro in hostem invaserunt, ut per portas eum repellerent, ne eguisse auxilio viderentur.

debellatum] Liv. II, 16 *praelioque uno debellatum est.* XXIII, 40 *debellatumque eo praelio in Sardinia esset, ni* cett. IX, 19 *uno praelio victus Alexander, bello victus esset.* XXX, 35 *non praelio modo se sed bello victum.* Curt. IV, 14, 15 *bello vicerimus, si vicimus praelio.*

Cap. 27. *Conscientia ac fama*] illud ad militum ipsorum de se opinionem, hoc ad aliorum iudicium referendum; ex illa fiducia sui, ex altera gloria progignitur. Plin. ep. V, 1, 11 *tuli fructum conscientiae non modo, verum etiam famae.* I, 8, 14 *praeterea meminimus, quanto maiore animo honestatis fructus in conscientia quam in fama reponatur.* Ann. VI, 26 *fateri postremo grave conscientiae, grave famae suae, si proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret.* Vell. Pat. II, 115 *ante conscientiae quam famae consultum.*

penetrandam Caledoniam] Quod libri habent penetrandum Caledoniam significaret *penetrandum per interiectas terras usque ad Caledoniam,* in quo ferri sane poterit praepositionis defectus (cf. Ann. II, 59 *proficisci Aegyptum.* Liv. XLV, 10 *navigare Aegyptum pergit.* Ann. VI, 44 *propinqua Seleuciae adventabat.* Haase ad Reisigii scholas p. 694), at illi, quum in limite Caledoniae agant, non iam de assequenda sed de penetranda Caledonia loquuntur. Optio igitur data videtur, ut aut scribas *penetrandum in Caledoniam,* aut cum Puteolano *penetrandam Caledoniam.* Hoc quidem ferocibus illis et grandiloquis aptius mihi videtur, praesertim quum addatur *inveniendumque tandem Britanniae terminum.* Vell. II, 40 *penetrata Media.* Ann. IV, 44 *penetrata Germania.* De constructione vocis *penetrare* cf. Drakenb. ad Liv. IV, 9, 5. X, 41, 14. Zumpt ad Curt. IV, 3, 26.

arte ducis ** rati, nihil ex arrogantia remittere, quominus iuventutem armarent, coniuges ac liberos in loca tuta transferrent, coetibus ac sacrificiis conspirationem civitatum sancirent; atque ita irritatis utrimque animis discessum.

Eadem aestate cohors Usipiorum, per Germanias con- 28
scripta et in Britanniam transmissa, magnum ac memorabile facinus ausa est. Occiso centurione ac militibus, qui

[1]) ducis rati *ΔΓπ.* arte ducis irati *coni. Rhen. Alii aliam vocem excidisse suspicantur:* arte ducis victos rati *Lips.* arte ducis se victos rati *Brot.* arte vicisse rati *Ern.* arte usos rati *Bipont.* se — arte ducis elusos rati *Walch.* non virtute victos se, sed occ. et arte ducis rati *Halm.* arte eludi se rati *Weissenborn.* ut non virtute, sed occ. et arte ducis superati *vel* strati *vel* fracti *Gruter. Acidal.* non ut virtute sed — — superati *Lips.* non virtutem, sed occasionem et artem ducis rati *scil.* esse, qua vicerint *Freinshem. At haec ellipsis ferri non potest. Itaque hoc non minus mancum est, quam librorum scriptura. Ego vereor, ne integra linea potius quam una vocula exciderit. Mützell excidisse suspicatur* Romanos prospere dimicasse rati. [3]) cetibus *Δ.* — civitatium *Δ (h. l. et cap.* 29). [6]) et in Brit. *ΔΓ Brot.* et *om. π.*

*arte ducis ** rati*] Qui in verbis a Broterio suppletis acquiescunt, iis, ut similes, hosce locos commendo: Hist. II, 44 *praetorianus miles non virtute se, sed proditione victum fremebat.* II, 76 *Ne Othonem quidem ducis arte aut exercitus vi, sed praepropera ipsius desperatione victum.* Caes. b. g. VII, 29 *non virtute neque in acie vicisse Romanos, sed artificio quodam et scientia oppugnationis.* I, 40 *dispersos subito adortum magis ratione ac consilio quam virtute vicisse.* Mihi non liquet. Quamcunque vocem substituere conarer, semper hoc mirum videbatur, Britannos de *occasione* conqueri, quum ipsi potius ad occasionem versi illam opportunitatem Romanis praebuissent. Cuique igitur alii magis quam Britannis conveniebat, militibus Romanis haec exprobrare: non virtute sed occasione et arte ducis vicistis. Pertinere igitur haec putaveris magis ad antegressam sententiam *prospera omnes sibi vindicant.* Equidem igitur aut lineam potius quam unum vocabulum excidisse suspicor, aut illa verba delenda censeo tanquam glossema, quod prioribus olim appositum fuerit, ut id unum relinquatur: *At Britanni irati* cett.

nihil ex arrogantia remittere] Cic. Phil. I, 5 *remisisset profecto aliquid de severitate cogendi.* Caes. b. c. III, 28 *non ex pristina virtute remittendum aliquid putaverunt.* Hist. III, 55 *nihil ex solito luxu remittens.* *Arrogantia* videtur esse temeraria audacia, vermessenheit. Cic. ad fam. XI, 18 *quos ipsi adhuc satis arroganter Allobroges — sustinebant.*

quominus] Pp. 178.

Cap. 28. *eadem aestate*] non opus est explicatione, sed tamen confer, quae collegit Ritter ad Ann. I, 53.

Cap. 28. *Usipii*] alibi Usipetes nominati, Ukerto Germania p. 356 ad fluvios Yssel et Lippe, aliis ad fluvios Sieg et Lahn habitasse videntur. Recte Broterius suspicatur, illam cohortem ex iis copiis fuisse, quibus ea pars Britanniae, quae Hiberniam adspicit, praesidiis firmabatur. (c. 24).

qui — habebantur] quos habebant rectores et exemplum. Cf. Kritz ad Sall. Cat. 1,4. An militarem h. l. habet significationem? *Haberi* enim in aliquo loco dicuntur milites, qui ad tempus in eo agunt. *Agere* dicuntur in hibernis, *haberi* in aestivis. Ann. I, 16 *castris aestivis tres simul legiones habebantur.* c. 31 *nam iisdem aestivis in finibus Ubiorum habebantur.* XIII, 30 *praefectus remigum, qui Ravennae haberentur.*

ad tradendam disciplinam immixti manipulis exemplum et rectores habebantur, tres liburnicas adactis per vim gubernatoribus ascendere: et uno morigerante, suspectis duobus eoque interfectis, nondum vulgato rumore ut miraculum praevehebantur. Mox ab aqua atque victu laborantes cum plerisque Britannorum sua defensantium proelio congressi; ac saepe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum inopiae venere, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos vescerentur. Atque ita circumvecti Britanniam, amissis per inscitiam regendi navibus, pro praedonibus habiti, primum a Suevis, mox a Frisiis intercepti sunt. Ac fuere, quos per commercia venumdatos et in nostram usque ripam mutatione ementium adductos indicium tanti casus illustravit.

1) immixti *π*. inmistis *ΔΓ*. 2) tris *Δ*. 3) morigerante] remigante *ΔΓ*. remigrante *π*. *Pp*. 56. *Mützell* renavigante *coni*. 5) praevehebantur *ΔΓ*. provehebantur *π*. prebe. Al'. *M*. — mox ad aquã. Atque ut illa raptis secum plerisque *ΔΓπ* [ad aquam atque *π*2*π*3]. mox hac atque illa rapti et cum plerisque *Rhen*. *vulgo*. *Pp*. 61. mox ab aqua hac atque illac rapti *Bosius*. mox ad aquam atque utilia rapienda cum plerisque *Selling*. mox ad aquam atque utilia rapturi secum, plerisque *Walth*. mox ad aquam atque utilia raptum ire *Heinisch*. mox ad aquam atque utilia dilapsi et cum plerisque *coni*. *Bezzenberger*. mox autem aquam atque utensilia raptantes cum plerisque *Selling*. mox ob aquam atque utensilia separati cum plerisque *Ritter*. 6) sua defensantium] ut sua puto *M*. 7) pulsi. Eo *ΔΓ*. 9) ita circumvecti *ΔΓπ*. *om*. ita *quidam editt*. *recc*. 10) primum *Γπ*. p'modum *Δ*. 11) Suevis *Δπ*2*π*3. Suebis *Γπ*1. — mox *Γπ*. mo4 *Δ*. — Frisiis *Γπ*. Phrisiis *Δ*. 12) comertia *ΔΓ*. commertia *π*. — venundatos *ΔΓπ*. 13) iudicium *Δ*.

praevehebantur] i. e. praetervehebantur. Liv. I, 45. V, 26. XXVIII, 30. XXIX, 32. Ann. II, 63 *praefluit*. Walth. ad Ann. II, 6.

primum a Suevis mox a Frisiis] vix aliter haec explicari poterunt, quam ut *primum — mox* interpreteris *οἱ μὲν — οἱ δέ*. An veram scripturam retinuit cod. *Δ*, in quo quod scriptum est *p'modum*, forsan sit *propemodum* legendum? Praeterea mirum, si amissae sunt naves, quomodo diversis locis pro praedonibus haberi potuerint. Num *II navibus* legendum?

Suevis] Una igitur Suevorum gens usque ad Oceani littus sedes promoverit necesse est. Non recte Walchius excitat Nordsuavos, quo nomine apud Moeserum (Osnabrückische Geschichte I. p. 182) Saxones ad Oceani littus habitantes nominentur. Hoc enim nomen referendum est ad colonias Suevorum quarto et quinto seculo in illam regionem missas, unde illud littus nomen invenit littus Saxonicum. Cf. Warnkönig Flandrische staats- und rechtsgeschichte I. p. 91.

nostram — ripam] sinistram Rheni ripam.

Initio aestatis Agricola domestico vulnere ictus anno 29
ante natum filium amisit. Quem casum neque ut plerique fortium virorum ambitiose, neque per lamenta rursus ac moerorem muliebriter tulit; et in luctu bellum inter remedia erat.

Igitur praemissa classe, quae pluribus locis praedata magnum et incertum terrorem faceret, expedito exercitu, cui ex Britannis fortissimos et longa pace exploratos addiderat, ad montem Graupium pervenit, quem iam hostis insederat. Nam Britanni, nihil fracti pugnae prioris eventu et ultionem aut servitium exspectantes, tandemque docti, commune periculum concordia propulsandum, legationibus et foederibus omnium civitatum vires exciverant. Iamque

[2]) neque — neque *Γπ*. nec — nec *Δ*. [4]) merorem *Δ*. [6]) predata *Δ*. predata^u^m *Γ*. [9]) Graupium *Δ*. Graupi^u^am *Γ*. Grampium *π*. Graupius mons *item habet margo codicis Γ in indice nominum*. — hostis insederat *ΔΓ Beck*. hostes insederat *π*1. hostes insederant *π*2*π*3. [12]) commune periculum *Δπ*. periculum commune *Γ* (*c*. 12 commune periculum *ΔΓπ*). [13]) civitatium *Δ*.

Cap. 29. *initio aestatis*] sc. sequentis. Dubitant Broterius et Ernesti, num Tacito hoc omittere licuerit. Itaque vocem *sequentis* aut numerum excidisse suspicantur. Thucydides certe semper ait *τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους*, ad secundam tantum aestatem transgrediens simpliciter dicit *τοῦ δὲ θέρους εὐθὺς ἀρχομένου*. At ibi antecessit: *καὶ διελθόντος* (*τοῦ χειμῶνος*) *πρῶτον ἔτος τοῦ πολέμου ἐτελεύτα*. Similiter nostro quoque loco verbis *atque ita — discessum* prioris aestatis finem quodammodo indicatum dixeris, ut errare certe legentes non possent.

vulnere ictus amisit] Non contulerim hoc participium cum iis, de quibus Pp. 176 disputatum est. Est illud pro additamento adverbiali: cum magno suo dolore. Sin vulnus illud premis ex amisso filio enatum esse, pleneque interpretari vis: filium amisit, ita ut vulnere domestico iceretur, tum conferas notam illam graecorum et latinorum poetarum quam dicunt prolepsin, cuius exempla collegerunt Doederl. ad Soph. Oed. Col. 1194. Lobeck ad Ai. 517. Iahn ad Virgil. Georg. I, 320., ne prosaicis quidem scriptoribus inusitatam. Cf. Franke ad Demosth. Olynth. I, 28. II, 5. Fritzsche quaest. Lucian. p. 40 sq. Heindorf ad Plat. Protag. p. 527. Liv. XXV, 18 *inde ingens ferocia superbae suopte ingenio genti crevit* i. e. *μέγας ηὐξήθη*. Infra c. 32 *nostris illi dissensionibus ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui trahunt*.

ambitiose] mit affectirter gleichgültigkeit. Multi sunt veteres, inprimis Seneca, in deridenda ambitione philosophorum, qui quia conspici cupiunt, omnia ad ostentationem referunt et sapientiae studium habitu corporis aut notabili genere vitae prae se ferunt. Itaque qui fortitudinis famam aucupantur, ambitiose duros se ostentant, fortitudinem suam et animi robur nulla re vinci posse ostentaturi, veluti is, qui nuntiata morte filii nihil motus, *sciebam*, inquit, *me genuisse mortalem*.

rursus] Ann. I, 80 *neque enim eminentis virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat*. Hist. I, 1 *mox libidine assentandi aut rursus odio adversus dominantes*. Walth. ad Ann. XIII, 14. Kritz ad Sall. Iug. 53, 5.

super triginta milia armatorum aspiciebantur, et adhuc affluebat omnis iuventus et quibus cruda ac viridis senectus, clari bello et sua quisque decora gestantes: cum inter plures duces virtute et genere praestans, nomine Calgacus, apud contractam multitudinem proelium poscentem in hunc modum locutus fertur.

30 „Quotiens causas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est, hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis totius Britanniae fore. Nam et

1) milia *ΔΓπ*. millia *recentt.* 2) ac viridis *ΔΓπ*. virēs *M*. et viridis *Walchii typotheta.* 3) et sua *ΔΓπ*. ac sua *Rhen.* 4) Calgacus *ΔΓMπ Brot.* Galgacus *Alciat. Rhen.* (*In Γ primitus* Galgacus *scriptum fuit, sed mutatum in Calgacus.* 5) contractam *ΔΓ Riv.* contracta *π*. 7) intuero *Δ*. 8) consensumque *Γπ*. consensusque *Δ*. 9) totius *π*. toti *ΔΓ*. *Pp.* 61.

cruda ac viridis] Virg. Aen. VI, 304 *sed cruda deo viridisque senectus.* Plin. ep. I, 12 *quoad viridis aetas.* Horat. epod. 18, 4 *dumque virent genua.*

decora] praemia ob virtutem bellicam accepta Ernesti, spolia interfectis hostibus detracta intelligebat Walchius. Recte Waltherus haec non tam accurate distinguenda iudicat, illaque decora dicit sive avita ob generis nobilitatem sive ob virtutem tributa sive ex interfecto hoste rapta. Nescio, quid huc faciat Diodor. V, 29, quem Walchius excitat, qui spolia hostium a Gallis domibus affixa narrat. Tu confer potius *Gallum torque atque armillis decoratum* apud Gellium IX, 14 et Cic. de off. III, 31, 112 et Liv. XXIV, 42 *et spolia plurima Gallica fuere, aurei torques armillaeque, magnus numerus* et ante omnia *Boudiceam* aureo torque insignem apud Dionem LXII, 2 et quae ibi collegit Reimarus.

Cap. 30. *caussas belli*] die beweggründe. c. 15 *sibi patriam, coniuges, parentes, illis avaritiam et luxuriam caussas belli esse.* Ann. XIV, 35 *si copias armatorum, si caussas belli secum expenderent, vincendum illa acie vel cadendum esse.*

necessitatem nostram] qua aut serviendum nobis est aut gladio decertandum. Aliud effugium non datur. Liv. XXI, 43 *hic vincendum aut moriendum, milites, est, ubi primum hosti occurristis, et eadem fortuna, quae necessitatem pugnandi imposuit, praemia vobis ea victoribus imposuit, quibus* cett. 44 *omnibus inter victoriam mortemve certa desperatione abruptis, aut vincere, aut, si fortuna dubitabit, in praelio potius quam in fuga mortem oppetere.* IV, 28 *virtute pares, necessitate, quae ultimum ac maximum telum est, superiores estis.* Ann. I, 67 *temporis ac necessitatis monet: unam in armis salutem.* Curt. IV, 14, 22 *Ceterum etiam si spes non subesset, necessitas tamen stimulare deberet: ad extremum perventum est.*

magnus mihi animus est] i. e. confido. Eodem modo Graecam vocem *θαῤῥῶ* subinde suspensa enuntiatio excipit. Ant. 668 *καὶ τοῦτον ἂν τὸν ἄνδρα θαρσοίην ἐγὼ καλῶς μὲν ἄρχειν, εὖ δ᾽ ἂν ἄρχεσθαι θέλειν.* Philoct. 596 *οὗτος γὰρ πλέον τὸ θάρσος εἶχε θἀτέρου, δράσειν τάδε* i. e. plus confidebat, se hoc perfecturum esse.

Nam et universi servitutis expertes] duas affert caussas, quibus ad decertandum et vincendum impellantur, prima, quia nemo servire sustinebit, altera, quia nullus locus est fugae, nam fuga praecisa est, quum nullus sit locus, quo fugiant. *Expertes servitutis* sunt non contacti servitute, nam *oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habent,* itaque insoliti sunt serviendi, *ἀήθεις τοῦ κατακούειν τινός* Demosth. Ol. I, 23. Non multum differt *cedere nescius,* *οὐκ ἐπιστήσεσθε δουλεύειν* Demosth. de Chers. §. 60. Neque vero iccirco contulerim *expers litterarum, expers bellorum* Ann. II, 52. Num idem sit *integri ac indomiti,* potest dubitari.

universi servitutis expertes, et nullae ultra terrae, ac ne mare quidem securum imminente nobis classe Romana. Ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt. Priores pugnae, quibus adversus Romanos varia fortuna certatum est, spem ac subsidium in nostris manibus habebant: quia nobilissimi totius Britanniae, eoque in ipsis penetralibus siti nec servientium littora aspicientes, oculos quoque a contactu dominationis inviolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit:

6) manibus *Γπ*. navibus *Δ*. 7) eoque] *Scribendum suspicor* ei'que *i. e.* eiusque. *Codd. praebent* eóque. *Pp*. 62. 8) contactu *ΔΓ Rhen*. contractu *π*.

securum] Liv. XXXIX, 1 *hostis, qui nullum tempus, nullum locum quietum aut securum esse sineret.*

ita proelium] pro itaque. c. 10 *ita quae priores* cett. c. 12 *ita singuli pugnant* cett. c. 31 *ita sublata spe veniae tandem sumite animum.*

fortibus honesta] quae fortibus videntur honesta, i. e. quae sumere fortibus honestum videtur, die zu ergreifen dem tapferen die ehre gebietet.

eadem etiam ignavis tutissima] Liv. XXXIV, 14 *quod pulcherrimum, idem tutissimum est, in virtute spem positam habere.* Ne *etiam* per pleonasmum additum putes, explica: tutissima eadem sunt non modo fortibus, sed etiam ignavis. Vide quam caute et transeundo tantum ignavorum mentionem iniiciat. Similiter infra c. 31 *sumite animum, tam quibus salus, quam quibus gloria carissima est.*

priores pugnae] quum priores pugnae pugnarentur. Simile hoc est ei dicendi generi, quo poetae maximeque orientales tempori et loco attribuunt ea, quae eo tempore et loco facta sunt. Cf. Guil. Gesenium ad Iesaiam I. p. 354. Ann. I, 28 *noctem minacem et in scelus erupturam.*

spem - habebant] i. e. positam habebant. Liv. III, 50 *nisi spem ulciscendae mortis eius in auxilio commilitonum habuisset.*

oculos quoque] c. 10 *Gallis in meridiem etiam inspicitur.* Servitutis ita expertes et intacti eramus, ut oculos quoque inviolatos haberemus.

terrarum ac libertatis extremos] „qui in extremis terris habitant et eorum, qui libertatem servarunt integram, ultimi.“ Walth. Ut satis apte illi genitivi copulati videantur, tenendum est, *libertatem* esse hoc loco complexum terrarum, quae non pareant Romanis, das gebiet der freiheit. Quo magis progrediuntur Romani et *famulatus orbis terrarum* (c. 31) propagatur, eo magis *libertas* circumciditur et in arctiores fines compellitur. Huius multum iam coarctatae libertatis Caledones sunt extremi, ultimi.

recessus ipse ac sinus famae] missa interpretum adnotatione tu mecum lege Senecam ep. 103 *quantum autem potes, in philosophiam decede, illa te sinu suo proteget: in huius sacrario eris aut tutus aut tutior.* Cic. Tusc. V, 2, 5 *in philosophiae sinum quum a primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque nos compulisset, his gravissimis casibus in eundem portum — confugimus.* Plin. paneg. 56 *gestum consulatum non in hoc urbis otio et intimo sinu pacis, sed iuxta barbaras gentes.* ibid. c. 6 *confugit in sinum tuum concussa res publica.* Ex his vides *sinum* per metaphoram pro praesidio dici, ut alibi *portum* aut *umbram*. Liv. XXXIV, 8 *erant etiam eo tutiores, quod sub umbra Romanae amicitiae latebant.* Iam validum praesidium praebet cum maxime fama et hominum existimatio, ut qui fortis et validus fama celebratur, eum alii non au-

nunc terminus Britanniae patet, atque *omne ignotum pro magnifico est.* Sed nulla iam ultra gens, nihil nisi fluctus et saxa, et infestiores Romani, quorum superbiam frustra per obsequium ac modestiam effugeris. Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae, et mare scru-

[1]) atque *ΔΓπ.* atqui *Rhen. Walck.* [3]) infestiores *ΔΓ Rhen.* inferiores *π.* interiores *Lips. idem in edd. serioribus* iis seriores *coniecit.* [4]) ac mod. *ΔΓ.* et mod. *π.* — exfugeris *Δ.* [5]) cuncta *ΔΓ Rhen.* cuncts *π*1. cunctis *π*2*π*3. — terrae *Rhen.* terram *ΔΓπ. Pp.* 89.

deant lacessere et aggredi. Porro fama celebrantur et in maius augentur maxime remota, longinqua, abdita, incognita. Nam *omne ignotum pro magnifico est.* Liv. XXVIII, 44 *maior ignotarum rerum est terror, bona malaque hostium ex propinquo ingressus fines adspicias.* Thucyd. VI, 11 *τὰ γὰρ διὰ πλείστου* (i. e. remotissima) *πάντες ἴσμεν θαυμαζόμενα καὶ τὰ πεῖραν ἥκιστα τῆς δόξης δόντα.* Curt. IV, 14, 3 (52) *nomina modo vana gentium ignotarum ne extimescerent.* IV, 14, 13 (53) *audete modo vincere, famamque, infirmissimum adversus fortes viros telum, contemnite.* Ann. I, 47 *at per filios facilius adiri maiestate salva, cui maior e longinquo reverentia.* Iam intelligis, quam egregie concinant *recessus* (i. e. *longinquitas ac secretum* c. 31., quod ibidem *tutius* dicitur) et *sinus famae. Recessus* enim *famam* comparabat, eaque quasi *sinu* suo eos protegebat, ut, quia fortes et validi haberentur, ab aliis extimescerentur. Nunc terminus Britanniae *patet,* ideoque et fama evanuit eiusque praesidium. Nunc id unum reliquum est, ut quales habiti simus tales nos praebeamus factis. Liv. XXXIII, 8 *fama stetisse, non viribus, Macedoniae regnum, eam quoque famam tandem evanuisse.* Bisher schützte uns unsere abgeschiedene ferne und der bergende schooss des rufes (mit seinem nimbus). Jetzt ist das heiligthum geöffnet, und der nimbus zerstreut und mit ihm die heilige scheu vernichtet.

atque omne ignotum pro magnifico] Pp. 128.

sed nulla iam ultra gens] Satis quidem notus est ille particulae *sed* usus, quo oratio interiectis verbis intercepta resumitur, de quo Goerenz ad Cic. de legg. II, 1, 2, Matthiae ad Cic. Catil. III, 2, 3, alii disputarunt (adde: Cic. pro Mil. 27, 75. Philipp. I, 11. II, 4, 8. 32, 80. de fin. V, 23, 64. 30, 90. de orat. I, 9, 37. 18, 82. III, 12, 45. Tusc. II, 1, 3. 14, 32. de off. I, 30, 105. III, 26, 97. pro Planc. 4, 10. Paullulum differt in hoc genere *sed tamen* Tusc. V, 19, 54. pro Mil. 22, 59. 30, 81. Philipp. II, 13). Verum idem *sed* non modo intercepta enuntiati structura, sed etiam interrupta **sententiarum serie** locum habet, ut, quum deflexit scriptor a **primaria** sententia, rediturus ad illam hac particula utatur. Livius praef. §. 8 *Sed haec et his similia* cett. Cic. Lael. I, 2 *Sed mihi, cum de senectute* cett. Tusc. V, 26, 75 *sed quum is dicat* cett. Brut. 10, 41 *Sed tum fere Pericles* cett. Ann. I, 74 *Sed Marcellum insimulabat* cett. Hist. IV, 49 *Sed tum in Africa* cett. Sic igitur hoc loco, quod supra dixerat *nullae ultra terrae,* ad id interiectis aliis sententiis secundariis revertitur dicens: *Sed nulla iam ultra gens nihil nisi fluctus et saxa: Doch, wie gesagt,* cett. Frustra igitur laborant Walchius, alii in explicando sententiarum nexu.

infestiores] infesta sunt saxa et mare i. e. non securitatem et salutem praebent fugientibus, infestiores autem sunt Romani, qui ab altera parte imminent.

effugeris] ἐκφύγοις ἄν. cf. c. 24 *miscuerit.*

cuncta vastantibus] participium habet vim gerundivam, temporis notatione destitutam. c. 6 *peccantibus.* Walth. ad dial. c. 6. p. 243. Ad sententiam confert Walch. Mithridatis orat. apud Sall. fragm. hist. IV, 5. 17. *Namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una et ea vetus caussa bellandi est, cupido profunda imperii et divitiarum. — An ignoras Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convertisse, neque quidquam a principio nisi raptum habere, domum, coniuges, agros, imperium? — qui-*

tantur; si locuples hostis est, avari; si pauper, ambitiosi; quos non Oriens non Occidens satiaverit. Soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscunt. Auferre, trucidare, rapere, falsis nominibus *imperium*, atque, ubi solitudinem faciunt, *pacem* appellant."

„Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit. Hi per delectus, alibi servituri, auferuntur: coniuges sororesque, etiamsi hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hospitum polluuntur. Bona for- 31

[3]) opes atque inopiam *ΔΓπ*1*π*2 *Riv. Rhen.* atque opes inopiam *π*3. [6]) carissimos *Γ*. [8]) etiamsi *Brot.* ẽt si *ΔΓ.* et si *π*. etsi *Ern.* [9]) polluuntur] *Estne* polluunt *scribendum? Magis id convenit verbis* nomine amicorum *et sequenti* conterunt, *nisi forte ibi* conteruntur *placet.* — fortunaeque *Walth.* fortunę quę *ΔΓ. sed margini cod. Γ adscriptum est* q (*i. e.* que). fortuna quae *π*. *Cf. Garaton. ad Cic. Mil. c.* 36.

bus non humana ulla neque divina obstant, quin socios, amicos, procul iuxtaque sitos, inopes potentesque trahant, excidant, omniaque non serva et maxime regna hostilia ducant?

Soli omnium] i. e. prae ceteris id peculiare habent, uti Graeci dicunt *μόνοι ἀνθρώπων, μόνοι Ἑλλήνων, μόνοι πάντων*. Demosth. Ol. III, §. 24 *μόνοι δὲ ἀνθρώπων κρείττω τὴν ἐπὶ τοῖς ἔργοις δόξαν τῶν φθονούντων κατέλιπον*. Philipp. II, 10. Thucyd. I, 69. II, 64. Soph. Ant. 821. *μόνη δὴ θνατῶν* O. C. 1126. 1250. 260. Elect. 531. Lucian. Demon. §. 11.

opes atque inopiam] Frustra quaerit Virdung, quomodo inopiam concupiverint. Amant veteres, ut universa complectantur, contraria componere. Sall. Cat. 11 *avaritia neque copia neque inopia minuitur.* 15 *neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat.* Ann. XV, 37 *ipse per licita atque illicita foedatus nihil flagitii reliquerat.* Hist. III, 56 *in omne fas nefasque avidi.* Soph. Ant. 39 *τί δ' ἐγώ λύουσ' ἂν ἢ θ' ἅπτουσα προσθείμην πλέον;* v. 1108 *ἴτ' ἴτ' ὀπάονες, οἵ τ' ὄντες, οἵ τ' ἀπόντες.* Elect. 305 *τὰς οὔσας τέ μου καὶ τὰς ἀπούσας ἐλπίδας διέφθορεν.* Aiac. 647 *ὁ χρόνος φύει τ' ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται.* v. 1237 *ποῖ βάντος ἢ ποῦ στάντος* (cf. Philoctet. 834). Plat. Crit. c. 3 *οὔτε φρόνιμον οὔτε ἄφρονα δυνατοὶ ποιῆσαι.* Thucyd. II, 51 *σῶμά τε αὔταρκες ὂν οὐδὲν διεφάνη πρὸς αὐτὸ ἰσχύος πέρι ἢ ἀσθενείας.* Paulus ad Corinth. I, 3, 22 *πάντα γὰρ ὑμῶν ἐστιν — εἴτε ζωὴ εἴτε θάνατος.* ad Rom. 8, 38 *οὔτε θάνατος, οὔτε ζωή, οὔτε ἐνεστῶτα, οὔτε μέλλοντα, οὔτε ὕψωμα, οὔτε βάθος δυνήσεται ὑμᾶς χωρίσαι ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ θεοῦ.* Paullulum differt, quod frequens est apud Platonem et Demosthenem *οὔτε μέγα οὔτε μικρόν*, cui similia habet Weiske de pleonasmis p. 218. A. G. Lange Vindiciis trag. Rom. p. 49.

falsis nominibus] Hist. I, 37 *falsis nominibus severitatem pro saevitia, parsimoniam pro avaritia, supplicia et contumelias disciplinam appellat.*

Cap. 31. *alibi servituri*] Hist. I, 70 *praemissis Gallorum, Lusitanorum Britannorumque cohortibus.* II, 57 *ipse e Britannico delectu octo milia sibi adiunxit.* Orelli confert inscript. suarum 804. 1627. 2233. 3155. Notitiam dignitatum ed. Böcking I, p. 34. 75. sed ea pertinent ad tempora seriora.

etiamsi] in dem glücklichen falle, dass sie cett. Liv. IV, 15 *Maelium iure caesum pronuntiavit, etiamsi regni crimine insons fuerit.*

hostilem] quam inferunt, quum primum ut hostes invadunt.

tunaeque in tributum, aggeratur annus in frumentum: corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis inter verbera ac contumelias conterunt. Nata servituti mancipia semel veneunt atque ultro a dominis aluntur: Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit. Ac sicut in familia recentissimus quisque servorum etiam conservis ludibrio est; sic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos et viles in excidium petimur. Neque enim arva nobis aut metalla aut portus sunt, quibus ex-

1) aggeratur] aggerat ΔΓπ1. agerat π2π3 *Riv. Pp.* 60. ager et annus *coni. Seyffert.* 2) emuniendis inter verbera ac contumelias ΔΓ *Brot.* verbera emuniendis inter ac contumelias π. emun. verbera inter ac cont. *Rhen.* 6) etiam Γ *Beck.* et π. *om.* Δ. 8) nec enim Δ. 9) arva ΔΓ *Rhen.* arma π.

mancipia semel veneunt] Alibi si quis servum sibi emit, semel pretium solvit eumque servum alit; at Britannia, ut sui sint servi, quotidie pretium solvit et dominos pascit. Significat tributa et frumentum, quo aluntur (contemtim dicit *pascuntur*) Romani domini. Pariter nervose et minus argute Boudicea apud Dionem LXII, 3, postquam de annuis tributis et de agris pro Romanis arandis conquesta est, pergit: *καὶ πόσῳ κρεῖττον ἦν, ἅπαξ τισι πεπρᾶσθαι μᾶλλον, ἢ μετὰ κενῶν ἐλευθερίας ὀνομάτων κατ᾽ ἔτος λυτροῦσθαι;* Quae ab nostro loco eo differunt, quod Galgacus *nata servituti mancipia*, Boudicea eos, qui semel in servitutem abducti, non inani specie libertatis decipiantur, comparat. Lipsius contendit Salvianum lib. VI. extremo, ubi queritur, Romanos tributa pendere barbaris, quae *munera* vocabant: *dicimus donum esse, quod pretium est, et quidem pretium conditionis durissimae ac miserrimae. Omnes quippe captivi, cum semel redempta fuerint, libertate potiuntur: nos semper redimimur et nunquam liberi sumus.* Hanc sententiam, quam Lipsius plane comparem et veluti ex Tacito haustam asserit, similiorem equidem dixerim Boudiceae orationi.

ac sicut in fam.] de particula *ac*, qua graviora adiunguntur, vide quae adnotata sunt ad c. 1. Atque nos adeo graviora perpessuri sumus, quam reliqui Britanni nationesque antehac in servitutem redactae.

novi nos et viles in excidium petimur] sic nos, utpote novi in hoc orbis famulatu et viles, quovis ludibrii genere usque excruciabimur, donec perierimus, neque aliam ob caussam petimur, nam petimur *in excidium.* His igitur verbis consilium indicatur. An conferendum Ann. II, 62 *utque fracto iam Maroboduo usque in exitium insisteretur? Novi* spectat ad cruciatus, quos perpessuri sint a conservis, *viles* ad incuriam dominorum referendum, qui nihil curaturi sint, si cruciatibus perierint, nullam enim se praebere illis utilitatem, ut sibi parcere operae pretium videatur.

quibus exercendis reservemur] Omnes qui aliqua re quaestum faciunt, a Latinis dicuntur eam rem *exercere.* Itaque *agros exercere* dicunt arantes Ann. XI, 7. Germ. 29. *metalla auri atque argenti exercere* Liv. XLV, 29. *fodinas auri exercere* Dig. VII, 1, 13, §. 5. *armorum officinas* Hist. II, 82. *foenus exercere* Ann. VI, 16. *navem exercere* Dig. IV, 9, 1, §. 2. *cauponam* vel *stabulum exercere* ibid. §. 5. Sic h. l. *portus exercere* dicuntur Romani, quia alibi portubus utuntur ad vectigalia et portoria exigenda. Iam quum navigantibus, quibus hoc vectigal imponitur, praestanda sint varia officia in navibus in portum deducendis, iis saburra vel gravandis vel levandis aliisque ministeriis, multaque sint in portu reparanda, moles, aggeres fluctibus obiiciendi: ad ista omnia Romani utebantur indigenarum opera. Iam quoniam neque arva, neque metalla, neque portus nobis sunt, Romani nos non conservabunt et ad id reservabunt, ut nostram in his rebus iis commodemus operam.

ercendis reservemur. Virtus porro ac ferocia subiectorum ingrata imperantibus; et longinquitas ac secretum ipsum quo tutius, eo suspectius. Ita sublata spe veniae tandem sumite animum, tam quibus salus, quam quibus gloria carissima est. Brigantes femina duce exurere coloniam, expugnare castra, ac nisi felicitas in socordiam vertisset, exuere iugum potuere: nos integri et indomiti, et in libertatem non in poenitentiam laturi, primo statim congressu ostendamus, quos sibi Caledonia viros seposuerit. An 32
eandem Romanis in bello virtutem, quam in pace lasciviam adesse creditis? Nostris illi dissensionibus ac discordiis clari, vitia hostium in gloriam exercitus sui vertunt. Quem contractum ex diversissimis gentibus ut secundae res te-

[2]) ac secr. *ΔΓπ.* et secr. *Walch.* [4]) sūmite *Γ.* — carissima *π.* charissima *Γ.* clarissima *Δ.* [5]) Brigantes *ΔΓπ.* Trinobantes *coni. Cambdenus. Pp.* 188. — et expugnare *Δ.* [6]) secordiam *π.* [7]) et in libertatem non in poenitentiam laturi *ΔΓ.* et in libertatem non in praesentiam laturi *π. Mihi scribendum videtur* et in libertatem non in poenitentiam la*bora*turi. *Pp.* 61. *Forsitan placuerit etiam* et in lib. non in poenitentiam *arma* laturi. *Cf. Liv. VII,* 25 Latinos pro sua libertate potius quam pro alieno imperio laturos arma. *Ann. IV,* 48 Thraces tanto infensius caesi, quanto perfugae et proditores ferre arma ad suum patriaeque servitium incusabantur. *Scripsit* et lib. non in praesentia laturi *Rhen.* et lib. non in praesens vindicaturi *coni. Dahl.* et lib. non in poenitentiam vindicaturi *Halm. Alii:* et lib. non in poenitentiam laturi, *quod explicant:* „lib. non ita reportaturi *sive* recuperaturi, ut mox liberos fuisse nos poeniteat, ut Brigantes postea poenituit.“ *At neque pro recuperanda libertate pugnant Caledones, utpote nondum domiti, neque libertatis poenituit Brigantes, sed rebellionis.* [9]) hostendamus (*sed deleta littera* h) *Γ.* ōndamus *Δ.* unde ostendamus *π. Pp.* 18. *In quasdam editiones recentt. irrepsit fortuito* concursu *pro* congressu. — Caledonia *Δπ.* Calidonia *Γ.* [11]) dissensionibus *Τ Rhen.* dissentionibus *ΔΓ.* discessionibus *π.* [13]) contractum *Γπ.* contactum *Δ.*

secretum] Hist. I, 10 *in secretum Asiae repositus.* c. 25 *tanquam aperto maris sui secreto.*

exuere iugum potuere] *potuere* semel dictum, etsi duplicem habet significatum. Nam *expugnare castra — potuere* est *οἷοί τ' ἦσαν*, tantum valuerunt, ut expugnarent, sed *iugum exuere potuere* est fieri poterat, ut exuerent, ni cett. Cf. c. 33 *finem Britanniae non fama nec rumore, sed castris et armis tenemus.*

integri] quaeri potest, utrum sit integris adhuc viribus sumus, an intacti, expertes servitutis (c. 30).

Cap. 32. *in gloriam vertunt*] Ann. II, 84 *cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat.* I, 28 *quae casus obtulerat, in sapientiam vertenda ratus.*

nent, ita adversae dissolvent: nisi Gallos et Germanos et (pudet dictu) Britannorum plerosque, licet dominationi alienae sanguinem commodent, diutius tamen hostes quam servos, fide et affectu teneri putatis. Metus ac terror est, infirma vincula caritatis: quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient. Omnia victoriae incitamenta pro nobis sunt: nullae Romanos coniuges accendunt, nulli parentes fugam exprobraturi sunt: aut nulla plerisque patria, aut alia est. Paucos numero, trepidos ignorantia, coelum

[1]) nisi si Gallos *ΔΓπ. Pp.* 69. [2]) licet dom.] *om.* licet *π*3. *Hinc Rhen.* commodantes *coniecerat.* [3]) commodent *π.* commendent *ΔΓ. Idem vitium in quibusdam codd. Ann. XV,* 53. — diutius tamen hostes quam servos *Δ.* diutius tamen servos hostes quam servos *Γ.* diutius tamen hostes servos *π.* [4]) metus ac terror est *ΔΓ.* metus et terror est *π.* metus et terror sunt infirma vincula *Beroald.* [5]) vincula *π.* vincla *ΔΓ.* Vincla *Tacitus et Livius videntur catenas dixisse. Ann. XV,* 56. *Hist. III,* 14. 23. *Liv. V,* 9. *III,* 56. *codd. apud Alschefski.* — qua ubi *π.* [7]) accedunt *π.* [8]) exprobraturi *Δ.* exprobaturi *Γ.* exprobaturi *π.* [9]) paucos numeros *Lips. Male.* — circum trepidos *Γ.* circumtrepidos *Δπ*1. circum *deleverunt ex coni. Heumanni Oberlin, Dronk,, Orelli. Irrepsit ex sequenti linea. Pp.* 69.

commodent] Liv. XXXIV, 12 *quamquam vereatur, ne suas vires aliis eas commodando minuat.*

metus et terror est] sc. quo tenentur.

vincula] Ann. I, 55 *quae apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos erant.* Hist. IV, 70 *quo minore spe veniae cresceret vinculum sceleris.* Liv. XXII, 13 *quod unum vinculum fidei est.*

timere] uti saepissime apud Thucydidem δείδω, absolute dictum. Cf. *metuentes* c. 34.

victoriae incitamenta] Hist. IV, 18 *simul omnium coniuges parvosque liberos consistere a tergo iubet, hortamenta victoriae vel pulsis pudorem.* Cic. pro Arch. 10, 23 *hoc maximum et periculorum incitamentum est et laborum.*

aut nulla plerisque patria aut alia est] nullam patriam esse dicit militibus Romanarum legionum, quos tanquam mercedis caussa unam militiam exercentes, quum non pro patria pugnent, nullam patriam habere dicit, addit autem *plerosque,* quia non diffitetur inter eos esse cives Romanos. *Aliam* autem patriam esse significat Batavis, Gallis, Germanis, qui cum habeant patriam, nunc certe in hoc Britannico bello non pro sua patria pugnent. Walchius eos, quibus nulla patria sit, dicit esse Britannos, qui Romanorum signa sequantur, qui „patriam eiurarint eamque prodiderint". In quo ille ignorat omnem vim eloquentiae. Quid enim? eos, quos paullo post dicit *suae caussae favere* et libenter a Romanis defecturos esse, eos nunc invidiose dicet patriam eiurasse? Non tam inepte sibi ipsi obloquetur orator, qui idem Gallos, Romanos, quos et ipsos suis partibus favere affirmat, admodum clementer aliam patriam habere dicit. Britannorum in illis verbis nulla videtur significatio et mentio iniecta esse.

trepidos ignorantia — spectantes] i. e. quippe omnia circum ignota spectantes. Quorum igitur ignari sint, ea continentur commate insequenti. Liv. XXXVI, 43 *multum etiam adiuturam notitiam maris terrarumque et ventorum, quae omnia ignaros turbatura hostes essent.* Pp. 69. De collocatione vocis *ignota* cf. Pp. 60.

ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circum spectantes, clausos quodammodo ac vinctos Dii nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aspectus et auri fulgor atque argenti, quod neque tegit, neque vulnerat. In ipsa hostium acie inveniemus nostras manus: agnoscent Britanni suam causam; recordabuntur Galli priorem libertatem; deserent illos ceteri Germani, tamquam nuper Usipii reliquerunt. Nec quicquam ultra formidinis: vacua castella, senum coloniae, inter male parentes et iniuste imperantes aegra mancipia et discor-

1) silvis *Δ*. — circum spect. *Beck.* circumspectantes *ΔΓπ*. 2) vinctos dii *ΔΓ Lips.* victos alii *π*. 4) nec tegit nec *Δ*. 5) recordabuntur *ΔΓ Rhen.* recordabunt *π*. 7) Usipi *Γ*. — nec quicquam *π*. nequicquam *Γ*. nequaquam *Δ*. 8) senium *Δ*. 9) aegra *Rhen.* Egra *ΔΓ*. erga *π*. tetra mancipia Al'. *M.* — mancipia *M.* municipia *ΔΓπ*.

vanus adspectus] adspectus rerum vanarum. Sic saepe ὄψις.

nostras manus] quae pro nobis erunt.

tanquam] i. e. quemadmodum, ut. Gernhard ad Cic. Cato mai. 19, 71. 23, 83. Tusc. V, 5, 13.

ultra] i. e. si vicerimus hoc praelio. Occurrit iis, qui dicturi sint: quid proderit hoc praelio vicisse, novis denuo agminibus invadent et nos oppriment Romani.

aegra mancipia] Recenset orator reliquas Romanorum in Britannia vires. Primum castella vacua sunt, quia omnes copias in hanc aciem contraxerunt; colonias veterani senes (Ann. XIV, 31) tuentur. Praesidia autem si quae in aliis oppidis habentur, sunt ea *aegra mancipia et discordantia*. Dicit tirones in aliis terris conscriptos et in Britanniam transmissos, qui *aegri* sunt i. e. desiderio patriae et aegritudine laborantes (reminiscere Usipiorum c. 28), et *discordantes* i. e. immorigeri et seditiosi. Cf. Ann. I, 16 *lascivire miles, discordare, pessimi cuiusque sermonibus praebere aures.* c. 34 *nil usquam turbidum aut discors.* c. 38 *coeptavere seditionem praesidium agitantes vexillarii discordium legionum.* Hist. I, 11 *provinciam lascivia discordem.* II, 99 *quantumque hebes ad sustinendum laborem miles, tanto ad discordias promptior.* Iam hi cum per se neque Romanis fiduciam, neque nobis timorem praebere possunt, tum illi sunt *inter male parentes,* i. e. incolas urbium, et *iniuste imperantes*, i. e. duces et centuriones Romanos. Nihil igitur ab his timendum. Vulgata scriptura *aegra municipia* vix ferenda est. Quae enim sunt illa *municipia?* Unum novimus in Britannia municipium Verulamium Ann. XIV, 33, idque scriptor complecti videtur numero plurali *coloniarum,* nam coloniam quoque unam tantum novimus, cf. ad c. 5. *Aegra* autem dici aiunt haec municipia, quia ambigua sit eorum fides. At *aegras esse* Latini et νοσεῖν Graeci dicunt eas civitates, quae intestinis inter cives dissensionibus perturbatae sunt. (Ann. XI, 23. Hist. II, 86. Liv. XXIV, 2. Demosth. Philipp. III, 12. 39. 50. Diod. Sic. XI, 86 ἐνόσουν αἱ πόλεις καὶ πάλιν εἰς πολιτικὰς στάσεις καὶ ταραχὰς ἐνέπιπτον.) Talem statum si referre vis ad ambiguam illorum in Romanos fidem, eum Calgacus quidem non morbum, sed convalescendi potius initium dixisset. Deinde *male parentes* vix alii cogitari possunt, quam illarum urbium incolae, quomodo igitur municipia inter male parentes et iniuste imperantes quasi in medio positi dici possunt? Cf. Hist. IV, 56 *inter ambiguos milites et occultos hostes optimum e praesentia ratus mutua dissimulatione — grassari.* Ann. I, 42 *meque precariam animam inter infensos trahere.* II, 75 *femina nobilitate princeps, modo inter venerantis gratantisque adspici solita.* Liv. XXXIV, 8 *disciplina erat custos infirmitatis, quam inter validiores optime timor continet,* i. e. si qui circumdati sunt a validioribus. XXI, 30 *Pyrenaeum saltum inter ferocissimas*

dantia. Hic dux, hic exercitus; ibi tributa et metalla et ceterae servientium poenae, quas in aeternum perferre aut statim ulcisci in hoc campo est. Proinde ituri in aciem et maiores vestros et posteros cogitate."

33 Excepere orationem alacres, ut barbaris moris, cantu fremituque et clamoribus dissonis. Iamque agmina et armorum fulgores; audentissimi cuiusque procursu simul instruebatur acies: cum Agricola quamquam laetum et vix munimentis coercitum militem accendendum adhuc ratus, ita disseruit.

2) perferre *ΔΓ Brot.* proferre *π.* 5) alacres ut barbaris moris cantu fremituque et clamoribus *ΔΓ Beck.* alacres et barbari moris cantu, fremitu et clamoribus *π. Ita videretur* fremitus *multum differre a* barbari moris cantu. *Hinc Rhenanus scribi malebat* et fremitu clamoribusque. *Ne cum Walthero moneas, certe scribendum fuisse:* et ut barbaris moris, *reputes quaeso, alacritatem proditam esse cantu fremituque, quod ipsum in more barbarorum positum erat.* 7) procursu *π.* pro cursu *ΔΓ.* — instruebatur *ΔΓ.* instruebantur *π.* institue Al' *M. Eandem varietatem adnotavit Drakenb. apud Livium V,* 43, 2 *et Kreyssig ad Liv. XXXIII,* 15. 9) munimentis *ΔΥ Brot.* Al' munimentis *M.* monitis *Γπ.* — militem *Δπ.* milit^{e}um *Γ.* — militem accendendum adhuc ratus *ΔΓΥ Brot.* militem adhuc ratus *π. inde Grotius:* militem adhortatus. *Quod Ursinus monet: in alio libro:* militem adhuc cohortandum ratus, *ea est haud dubie novitia alicuius coniectura. Cf. Pp.* 13.

gentes superatum. XXVI, 2 *feroces et inquieti inter socios, ignavi et imbelles inter hostes.* Ne ad ea me releges, quae Hand Tursell. III, 406 disputavit, in iis acquiescerem, si scriptum legeretur: *municipiorum inter male parentes et iniuste imperantes nulla fides.*

hic dux, hic exercitus] Hic exercitus estis cum duce; hinc si fugeritis, servi eritis ad poenas damnati et nullo in numero habiti.

in hoc campo est] Ann. II, 14 *si taedio viarum ac maris finem cupiant, in hac acie parari.* Plin. paneg. 31 *superbiebat — quod in suo flumine, in suis navibus vel abundantia nostra vel fames esset.* Roth confert Ann. II, 46 *illo in corpore decus omne Cheruscorum.* Cic. ad Att. II, 22, 5 *sed totum est in eo, si ante, quam ille ineat magistratum* (te videro). De simili usu praepositionis ἐν vide exempla apud Matth. gr. gr. §. 577, 6.

Cap. 33. *ut barbaris moris*] c. 42 *quibus moris est.* Ann. I, 56 *quod illi moris.* Hist. I, 15 *ut moris est.*

agmina et armorum fulgores] Pp. 71.

vix coercitum] non adnumeraverim cum plerisque hunc locum iis exemplis, in quibus participia perfecti in adiectivorum naturam abierunt, de quo usu bene disputavit Kritz ad Sall. Iug. 76, 1. Nam hoc loco de illo potissimum tempore agitur: qui vix coercebatur procursantibus Britannis. Aliter *neque metu coercitum* Sall. Iug. 91, 7. *invictum* supra c. 18. *inexhaustum* Hist. V, 7. Germ. c. 20.

accendendum adhuc] apud Livium et Tacitum *adhuc* pro *praeterea, insuper* itemque pro *etiam,* quod alias comparativis additur, dici solet. Hand Tursell. I, p. 163. Walther ad Germ. c. 19.

„Octavus annus est, commilitones, ex quo virtute et auspiciis imperii Romani fide atque opera vestra Britanniam vicistis. Tot expeditionibus, tot proeliis, seu fortitudine adversus hostes, seu patientia ac labore paene adversus ipsam rerum naturam opus fuit, neque me militum, neque vos ducis poenituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniae non fama nec rumore, sed castris et armis tenemus. Inventa Britannia et subacta. Equidem saepe in agmine, cum vos paludes montesve et flumina fatigarent, fortissimi cuiusque voces audiebam: *quando dabitur hostis, quando acies?* Veniunt, e latebris suis extrusi: et vota virtusque in aperto, omniaque prona victoribus, atque eadem victis adversa.

1) octavus annus ΔΓπ. *Acidal. et Brot.* septimus annus *scribi malunt. Equidem suspicor non* VIII annus, *sed* XIII annus *scriptum fuisse. Pp.* 196. 2) opera vestra π. opera nr̄a Δ. (*Codicem Γ ab hoc discrepare mihi non adnotatum est, sed dubito num in hoc* nostra *legatur.* 4) hostis Δ. 5) nec vos Δ. 6) ego vet. π. ergo vet. Δ. 9) saepe in agmine ΔΓ *Brot. om.* saepe π. — cum vos Δπ. quom vos Γ. 11) voces ΔΓ *Brot.* voce π. vocem *Beroald. Rhen.* — acies *Rhen.* animus ΔΓπ. *Pp.* 142. 12) e latebris ΔΓπ. a latebris *Lipsii typothetae.*

octavus annus] Pp. 195.

virtute et auspiciis imperii Rom.] His verbis hac in allocutione utitur, quia qui in acie constiterant, plerique socii erant (c. 35), non Romani. Eadem de caussa dicit *fide atque opera vestra*, quae sollemnis est sociorum laudatio. Liv. XXIII, 46 *eorum forti fidelique opera in eo bello saepe usi sunt Romani.* XXIV, 47 *operaque eorum forti ac fideli persaepe respublica usa est.* Iam ne cum Peerlkampio in voce *virtute* offendaris, cf. Plaut. Epid. III, 2, 45 *virtute atque auspicio Epidici cum praeda in castra redeo.* (Estne forsan conferenda dictio: *virtute Deum* Plaut. Aul. II, 1, 44. Pers. III, 1, 62. Trinumm. II, 2, 65. Mil. glor. III, 1, 82. 85. Capt. II, 2, 74.?)

Britanniam vicistis] Liv. XXI, 43 *per tot ferocissimos Hispaniae populos vincentes huc pervenistis.* Germ. 37. *tam diu Germania vincitur.* Liv, IX, 3 *quem* (hostem) *per annos iam prope triginta vincimus.* Est igitur siegreich bekämpfen.

non fama nec rumore] qui fama aliquid cognovit, ipse non oculis vidit, qui rumore, non comperta audivit. Cf. Doederl. synonym. I, p. 233. Dicit igitur, neque iis adnumerandi sumus, qui Britanniam non adierunt, neque iis, qui ante Claudii tempora fabulas de Britannia audiverunt. *Tenemus* dupliciter intelligendum. cf. c. 31 *potuere.*

vota virtusque] Liv. XXXIV, 13 *tempus, inquit, quod saepe optastis, venit, quo vobis potestas fieret, virtutem vestram ostendendi.* Mureto, qui en vota virtusque scribi voluit, bene opponit Acidalius, tum verba *veniunt e latebris suis extrusi*, non antecedere sed sequi debuisse.

omniaque victoribus prona] omnia, si vicerimus, fausta erunt et facile cedent. Hist. III, 84 *et omnia prona victoribus.* Sall. Iug. 114 *alia omnia virtuti suae prona esse.* Liv. IX, 3 *omnia plana et aequa erunt Romano in perfidum Samnitem pugnanti. Victoribus* et *victis* hypothetice dictum, c. 25 *tanquam — ultimum victis perfugium clau-*

Nam ut superasse tantum itineris, silvas evasisse, transisse aestuaria pulchrum ac decorum in frontem: ita fugientibus periculosissima, quae hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadem notitia, aut commeatuum eadem abundantia; sed manus et arma, et in his omnia. Quod ad me attinet, iam pridem mihi decretum est, neque exercitus neque ducis terga tuta esse. Proinde et honesta mors turpi vita potior, et incolumitas ac decus eodem loco sita sunt. Nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturae fine cecidisse."

34 „Si novae gentes atque ignota acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra decora

1) superasse *ΔΓ Rhen.* superesse *π.* — transisse *Γπ.* transiisse *Δ.* 2) ita *Rhen.* item *ΔΓπ. Pp.* 71. 4) locorum *Δπ.* decorum *Γ.* 6) nec exercitus *Δ.* 8) et decus *typotheta Walchii.*

edretur. Liv. XXI, 43 *praemia vobis ea victoribus proponit.* Alia exempla praebet Gronov. ad Liv. IX, 18, 4. Sententia eadem apud Sall. Cat. 58, 9 *si vincimus, omnia nobis tuta erunt, sin metu cesserimus, eadem illa advorsa fient.*

in frontem] *Frons* est antica pars aciei, quae spectat in hostem. Hoc autem loco significat die fronte-stellung, dico eum statum, quum milites hosti obversi sunt. Jam uti deinceps dicit *exercitus terga non tuta sunt* i. e. non tutum est, si exercitus terga dederit, ita poterat dicere *non periculosa est frons* i. e. nullum periculum est, quum frons obvertitur hosti. Porro *in frontem* eodem modo dictum est, uti Hist. II, 20 *nihil in summam profutura temeritas.* Ann. XIII, 38 *nihil in summam pacis proficiebatur.* Liv. XXXIV, 6 *in navis administratione alia in secundam alia in adversam tempestatem usui sunt.* (Cf. Hand Tursell. III, 314.) Est igitur ad sententiam i. q. *progredientibus*, oppositum enim est *fugientibus*; atque scripsisset Tacitus *progredientibus*, ni abhorrens a Ciceronis concinnitate et congruentia membrorum, dicendi formas amaret variare.

manus et arma] c. 25 *ad manus et arma conversi.* Liv. XXII, 29 *arma dexteraeque.* XXV, 6 *tanquam nec manus nec arma habeamus.*

et in his omnia] Sall. Jug. 51 *neque illis castra esse, neque munimentum ullum, quo cedentes tenderent, in armis omnia sita.* Liv. XXXIX, 1 *nihil praeter arma et viros, omnem spem in armis habentes.* Caes. b. c. II, 41 *suos hortatur, ut spem omnem in virtute reponant.* Curt. IV, 14, 25 *in dextris vestris iam libertatem, opem, spem futuri temporis geritis.*

neque exercitus neque ducis terga] de genitivis cf. ad c. 25, de sententia confert Virdung Sall. Cat. 58, 16 *nam in fuga salutem sperare, cum arma, queis corpus tegitur, ab hostibus averteris, ea vero dementia est.*

proinde et — et] complectitur summam deliberationis: Ergo una virtus amplectenda est, quia et mors, quae forsan subeunda sit, turpi vita potior est, et incolumitas hac una ratione parari poterit.

eodem loco sita sunt] proposita sunt tanquam certaminis praemia.

Cap. 34. *vestra decora*] non puto h. l. esse virtutis praemia, sive dona militaria (Ann. I, 44. II, 9. Hist. II, 89. IV, 46. Liv. III, 58. VII, 37. XXV, 18. Sueton. Octav. 8. 25. Polyb. VI, 39), sed insignia facinora. Liv. XXI, 43 *nemo vestrum est, cui non idem ego virtutis spectator ac testis notata temporibus locisque referre sua possim decora.* VII, 33 *Samnitibus ferociam augebant novae res gestae, Romanis contra quadringentorum an-*

recensete, vestros oculos interrogate. Hi sunt, quos proximo anno unam legionem furto noctis aggressos clamore debellastis: hi ceterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tam diu superstites. Quomodo silvas saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal contra ruere, pavida et inertia ipso agminis sono pelluntur: sic acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt: reliquus est numerus ignavo-

1) interogate *Γ*. — hi sunt *ΔΓ*. ii sunt *π*. 3) hi ceterorum *ΔΓ*. ii ceterorum *π*. 5) fortissimum quodque *π*. fortissimum q̊; (*i. e.* quoque) *Γ*. fortisš quoque *Δ*. quodque puto *notatur in marg. cod. Γ*. — animal contra ruere *ΔΓ Brot.* animal ruere *π*. animal robore *Rhen.* 6) pelluntur *π*. pellebantur *ΔΓ*. *Mihi scribendum videtur* pelli solent. *Pp.* 87.

norum decora. VI, 20 *ut sciant homines, quae et quanta decora foeda cupiditas regni non ingrata solum sed etiam invisa reddiderit.*

Hi sunt] Scripsi ex codd. *hi sunt*, quod iam olim Peerlkampius voluit, sed minus ille idoneis usus exemplis. Nam Ann. II, 15 *hos esse Romanos Variani exercitus fugacissimos, qui* cett. Caes. b. g. I, 40 *hos esse eosdem, quibuscum saepenumero Helvetii congressi — superarint* dissimilia sunt, quia in istis *hos* est subiectum, non praedicatum. Simile autem nostro loco affert Sall. Iug. 49 *cum his certamen fore, quos antea victos sub iugum miserint.* Unus optime de hac re disputavit Reisigius schol. lat. p. 357, ubi videndus Haasius. Non satis restrictus est Kritz ad Sall. Cat. 2, 4, quo in loco mihi quidem scribendum videtur *nam imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum est.* Non enim ibi de Romano potissimum imperio agitur, sed universe dictum est; *hic qui* autem tum demum scribendum est, si res proponitur audientibus aliquatenus nota, ut adiecto enuntiato relativo non, *quae* res significetur, sed quid illi proprium sit, adnotetur. Nostro loco vertendum: es sind jene (euch schon bekannten) feinde, die cett. Non ignota acies constitit, sed, qui constiterunt, *hi sunt, quos* cett.

furto noctis] „Virg. Aen. IX, 397 *fraude loci et noctis — oppressum.* Curt. IV, 13, 9 *meae gloriae — furtum noctis obstare non patiar; palam luce aggredi certum est.*" Ed. Bipont. Liv. XXVI, 51 *necopinato adventu ac prope furto unius diei urbem—interceptam.*

clamore] Liv. XXV, 21 *ergo ne clamorem quidem atque impetum primum eorum Romani sustinuere.*

caeterorum Britannorum fugacissimi] adnotavit iam olim Doëderlin., hoc dictum esse ex imitatione Graecorum. Soph. Ant. 100 *κάλλιστον τῶν προτέρων φάος.* v. 1212 *δυστυχεστάτην κέλευθον τῶν παρελθουσῶν ὁδῶν.* Thuc. I, 1 *ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων.* 10 *μεγίστην τῶν πρὸ αὐτῆς.* 11 *ὀνομαστότατα τῶν πρίν.* 50 *μεγίστη τῶν πρὸ ἑαυτῆς.* V, 60 *στρατόπεδον κάλλιστον τῶν μέχρι τοῦδε.* VI, 31 *εὐπρεπεστάτη τῶν ἐς ἐκεῖνον τὸν χρόνον.* Iam in graecis ille genitivus facile explicatur, est enim *σκοποῦντι ἀπὸ τῶν προτέρων* (cf. me ad Soph. Ant. v. 100), apud latinum autem scriptorem non potuit ita dici nisi ex mera Graecorum imitatione, quoniam illam genitivi vim et significatum Latini alias exprimunt ablativo.

contra ruere] c. 37 *quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre.* Liv. XXXVIII, 21 *alii ruentes in hostem undique configebantur.* Ovid. Met. VIII, 338 *aper ruit spargitque canes, ut quisque ruenti obstat.* Doederlin. apte confert Hom. Iliad. XXI, 573 *ἠΰτε πόρδαλις εἶσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο ἀνδρὸς θηρητῆρος ἐναντίον, οὐδέ τι θυμῷ ταρβεῖ οὐδὲ φοβεῖται, ἐπεί κεν ὑλαγμὸν ἀκούσῃ.*

sono pelli] Curt. III, 8, 10 (19) *delituisse inter angustias saltus ritu ignobilium ferarum, quae strepitu praetereuntium audito silvarum latebris se occuluerunt.*

rum et metuentium. Quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt; novissimae res extremo metu corpora defixere in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus; imponite quinquaginta annis magnum diem: approbate reipublicae, nunquam exercitui imputari potuisse aut moras belli aut caussas rebellandi."

35 Et alloquente adhuc Agricola militum ardor eminebat, et finem orationis ingens alacritas consecuta est; statimque ad arma discursum. Instinctos ruentesque ita disposuit, ut peditum auxilia, quae octo milium erant, mediam aciem firmarent, equitum tria milia cornibus affunderentur. Le-

[1]) quod tandem invenistis *ΔΓπ*. quod tamdiu non invenistis restiterunt. Sic legendum puto *notatur in margine cod. Γ*. [2]) restiterunt *Γπ*. restituerunt *Δ*. — novissimę res, et extremo metu *ΔΓ*. novissime id et extremo metu *π*. *Pp*. 107. novissimi haesere et extr. metu ac torpore defixere aciem *Halm ex coni. Bezzenbergeri*. [3]) defixere a c i e m in his vestigiis *ΔΓπ*. *Pp*. 107. 142. *Vocem* aciem *omiserunt Rhen. Pichena. Ern. Walch. In Rhenani textu haud scio an casu fortuito exciderit. Nam in Castigationibus adnotat: „dicit* defixere aciem *non* constituere *sive* direxere. *Illud stupidis prae metu convenit.*" [5]) quinquaginta *Γπ*. L^{ta} *Δ*. [6]) imputari *π*. imputare *ΔΓ*. [7]) rebellandi *ΔΓπ*. debellandi *Rhenani typothetae*. [8]) et alloq.] et *om*. *Riv*. [11]) octo milium *ΔΓ*. octo milia *π*. *Liv*. *VI*, 22 quatuor legionibus quaternum milium scriptis. *VII*, 25 decem legiones scriptae dicuntur quaternum milium peditum equitumque trecenorum. *Caes. b. g. V*, 5 Galliae equitatus, numero milium quatuor.

non restiterunt] non sponte substiterunt. Pp. 107.

deprehensi sunt] Curt. V, 3, 19 (12) *nec id miserrimum viris fortibus erat, sed quod inulti ferarum ritu velut in favea deprehensi caederentur*. V, 4, 19 (15) *quasi feras bestias ipsos posse deprehendi*. VII, 4, 4 (15) *inter latebras deprehensus hostis ne fugae quidem nedum resistendi occasionem fuerit habiturus*. — Liv. XXI, 40 *nec nunc illi, quia audent, sed, quia necesse est, pugnaturi sunt*. Curt. IV, 14, 2 (52) *reprehensos ex fuga Persas pugnaturos, quia fugere non possint; tertium iam diem metu exsangues in eodem vestigio haerere*.

transigite] „i. e. finite expeditiones. Sumtum e re pecuniaria et forensi. Finita est controversia, ubi cum litigatore, debitore, creditore transegimus." ERN. Ann. II, 65 *posse de controversiis colloquio transigi*. Germ. 19. Spalding ad Quintil. VII, 1, 14 *et pulchre fuerit cum materia tumultu et clamore transactum*.

quinquaginta] numerus rotundus; ab anno 796—838.

caussas rebellandi] „intellige ignaviam, dissolutionem, securitatem et vecordiam militum, unde fiduciam concepisse credi poterant hostes." Gronov. ad Stat. Silv. c. 52 p. 347 ed. H. Melius Pichena cogitavit iniurias provincialibus illatas.

Cap. 35. *mediam aciem firmarent*] cf. ad c. 14.

giones pro vallo stetere, ingens victoriae decus, [citra Romanum sanguinem bellandi] et auxilium, si pellerentur. Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterat ita, ut primum agmen aequo, ceteri per acclive iugum connexi velut insurgerent; media campi covinnarius eques strepitu ac discursu complebat. Tum

1) [citra Rom. sang. bellandi] *vulgo sine uncis. Pp.* 110. *Rhenanus* bellanti *scribi voluit.* 4) constiterat *ΔΓ Brot.* constiterant *π.* — agmen aequo *Rhen.* agmine quo *ΔΓπ.* agmen in aequo *I. Bekk. Cf. contra Hist. III,* 19 coloniam plano sitam. 5) connexi *Δπ.* conuexi *Γ. Pp.* 19. — convinnarius *ΓM.* covinarius *Δπ* (*c.* 36 covinnarii *Δ.* convinnarii *Γ. Apud Martialem XII,* 24 *cum plerisque codd.* covinnus *scripsit Schneidewin itemque apud Pomp. Melam III,* 6, 5 *Tzschuckius*). 6) eques *ΔΓπ Walch.* et eques *Rhen.*

pro vallo stetere] Non recte interpretes Tac. ad Ann. II, 81 hunc locum iis accensent, ubi *pro muris, pro vallo* fere idem esse videtur quod *in muris*. Non ita mirum hoc est, si singuli *pro muris* alios *alloquuntur*, Ann. II, 81. Hist. I, 36. III, 31. uti alii *pro rostris* verba faciunt, aut ubi, cum ab hostibus castris insultatur, singulae caterv ae *pro munimentis* adstiterunt Ann. XII, 33. II, 13. At totae legiones non possunt in vallo stare, sed ante vallum illae steterunt. Neque sic intelligendum erit Ann. II, 80. XIV, 25 ubi extra munimenta pugnatum esse facile vides.

per acclive iugum] Plurali numero deinceps c. 36 *colles* et c. 37 *summa collium* nominantur.

connexi velut insurgerent] Quum *insurgere* non insolite dictum sit, exspectaveris potius: *velut connexi insurgerent*, sed videtur *connexi insurgerent* in unam notionem copulandum esse, ut *velut* inter utramque vocem interpositum non magnopere mirum sit. Nam id maxime notandum videtur scriptori, quod alius pone alium conferti starent, ideoque *veluti connexi insurgerent.* Alibi enim qui arctius collocati dicuntur, cogitantur iuxta compressi. Alteram scripturam *convexi* non ferendam puto, nam tum profecto utique *velut convexi* scribendum erat. Hoc si legeretur, conferrem equidem cum Hertelio Claudian. VI cons. Honor. 613 *cum regia Circi convexum gradibus veneratur purpura vulgus*, et montem suspicarer eandem curvaturam ◡ habuisse ut cuneos spectaculorum in theatro. Sic Plinius IV, 8, 31 *in eo cursu Tempe vocantur — attollentibus se dextra laevaque leniter convexis iugis*, quae non sunt iuga „a cacumine leni clivo descendentia," sed, uti Plinius paullo ante ipse dicit, *theatrali modo inflexa.* Neque apud Ovid. Met. XIII, 911 *convexus ad aequora vertex*, aut XIV, 154 *convexum per iter* videtur „declive" vel „acclive" esse, sed uti apud Virg. Aen. XI, 515 *convexo in tramite silvae* i. e. tortuoso per *anfractum vallis* (v. 523). Aliud est, ubi de *convexo mundo* et caelo agitur.

media campi] i. e. medius campus inter utramque aciem, Liv. IV, 18 *utrinque acies inter bina castra in medium campi procedunt.* VI, 23 *nec iam pro castris tantum suis explicare aciem, sed procedere in medium campi.* II, 30 *medio inter castra campo ante suum quisque vallum infestis signis stetere.* XXXVII, 41 *medio inter duas acies campo.* Ceterum cf. nota illa: *strata viarum* Virg. Aen. I, 422. *occulta saltuum* Ann. I, 61. *inania famae* Ann. II, 76.

covinnarius] „Lucan. Phars. I, 426 *et docilis rector rostrati Belga covinni.* Sil. Ital. XVII, 418 *caerulus haud aliter cum dimicat incola Thules, agmina falcifero circumvenit arcta covinno.* Martial. epig. XII, 24." Virdung. Apud Caesarem b. g. IV, 24. 32. 33. V, 9. 15 et apud Cic. ad fam. VII, 6. 7. 10 dicuntur *essedarii* et currus *esseda.* Graff in thesauro linguae theodiscae in vocibus theodiscis recenset, alii celticam putant. Virdung et Camden derivant a verbo „*covain*, vehiculo vehi."

Agricola superante hostium multitudine veritus, ne [simul] in frontem simul et latera suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior acies futura erat, et arcessendas plerique legiones admonebant, promptior in spem et firmus adversis, dimisso equo pedes ante vexilla constitit.

36 Ac primo congressu eminus certabatur, simulque constantia, simul arte Britanni ingentibus gladiis et brevibus cetris missilia nostrorum vitare vel excutere, atque ipsi magnam vim telorum superfundere: donec Agricola Batavorum cohortes ac Tungrorum duas cohortatus est, ut rem

1) ne simul *ΔΓπ*. *uncos ego addidi, nam* simul *delendum censeo. Pp.* 68. 2) latera *Γπ*. altera *Δ*. 5) pedes *omissum fortuito in quibusdam edd. recc.* 6) simulque *ΔΓ Beck.* simul *π*. *Cf. c.* 5. 8) cetris *Δ*. coetris *Γ*. caeteris *π*. 9) Batavorum *Δπ*. Vatavorum (B.) *Γ*. — Batavorum coh. *ΔΓ*. p Batavorum coh. *π*1. per Batavorum coh. *π*2 *π*3. tres Batavorum coh. *Rhen. vulgo. Pp.* 18. 10) Tungrorum *ΔΓ Riv. Rhen.* tongrorum *π*. *Illud habent inscriptiones apud Gordon tab. XXXV sq.* — rem *ΔΓ Riv. Rhen. Quia in π*1 *π*2 *typothetae errore pro* rē *expressum erat* rō, *inde enata est ed. Venetae lectio* ratio.

diductis ordinibus] Liv. V, 38 *instruit aciem diductam in cornua, ne circumveniri hostium multitudine posset.* Vide ibi Dukerum.

porrectior] acies porrecta non poterat non extenuata esse. Liv. V, 38 *cum extenuando infirmam et vix cohaerentem mediam aciem haberent.* Walch. confert Liv. XXV, 21 *in longitudinem porrecta acies. clamantibus tribunis nihil introrsus roboris ac virium esse et quacunque impetum fecisset hostis, perrupturum* cett. Sall. Iug. 49 *extenuata acies.* Veget. III, 15 *nam si acies nimium fuerit tenuata, cito ab adversariis — perrumpitur.*

promptior in spem] cf. ad cap. 21. Ann. XV, 25 *promptus in pavorem.*

firmus adversis] Widerwärtigkeiten die stirne bietend, muthig der gefahr entgegengehend. Walch. confert Ann. XI, 21 *adversus superiores tristi adulatione, arrogans minoribus.*

dimisso equo] Caes. b. g. I, 25 *Caesar primum suo, deinde omnium ex conspectu remotis equis, ut aequato omnium periculo spem fugae tolleret.* Sall. Cat. 59 *deinde remotis omnium equis, quo militibus exaequato periculo animus amplior esset, ipse pedes exercitum instruxit.* Liv. III, 62 *equites ex equis desiliunt — et aequato periculo animos peditum incendunt.*

ante vexilla] cf. c. 18 *ipse ante agmen* cett.

Cap. 36. *vitare vel excutere*] vitabant scuto, excutiebant gladio. Liv. XXXVIII, 21 *ita prae se habentium scuta, ut missilia tantum vitarent.* Veget. I, 4 *obliquis ictibus venientia tela deflectere.*

atqui ipsi — superfundere] cogitandum igitur est, sinistra manu eos gladium tenuisse ad tela excutienda, a sinistro brachio scutum pependisse, quo missilia vitarent, dextra autem manu ipsos tela emisisse.

Tungrorum] reperta in Britannia harum cohortium monumenta, in quibus COH. TVNGR. vel COH. TVNGR. MIL. legitur. Vide apud Gordon tab. XXXV sq. Roy military antiquities p. 200. Stuart Caledonia tab. IV. XV. Sed pleraeque harum inscriptionum ad seriora tempora pertinent.

ad mucrones ac manus adducerent; quod et ipsis vetustate militiae exercitatum et hostibus inhabile. [parva scuta et enormes gladios gerentibus] Nam Britannorum gladii sine mucrone complexum armorum et in arto pugnam non tolerabant. Igitur ut Batavi miscere ictus, ferire umbonibus, ora foedare et stratis qui in aequo adstiterant, erigere in colles aciem coepere, ceterae cohortes aemulatione et impetu connisae proximos quosque caedere; ac plerique semineces aut integri festinatione victoriae relinquebantur. Interim equitum turmae, ut fugere covinnarii, peditum se proelio miscuere, et quamquam recentem terrorem intule-

1) ac manus *Δπ.* et (ac) manus *Γ.* 2) [parva — gerentibus] *uncos ego addidi. Pp.* 111. 4) armorum *Δπ.* armarum (o) *Γ.* — in arto *ex coni. Fr. Medicis Lips. Brot.* in aperto *ΔΓπ. Pp.* 57. 5) Batavi *Δπ.* uatavi *Γ.* — ictus, ferire *Δπ.* ictus ferire ictus *Γ.* 6) foedare et stratis *Ern.* fędare et tratis *Δ.* foedare et tratis *Γ.* foede recti *M.* foedare et tractis *π.* fodere et fractis *Gesner. Praeterea in marg. cod. Γ notatur:* Trates. ut traces. — in equo *Δ.* — adstiterant *ΔΓ Beck.* obstiterant *π.* 7) coepere *Γπ.* capere *Δ.* — cęterę *ΔΓ.* caetere *π.* caeterę *Riv.* 8) connisae *ΔΓ.* commistae *π.* commixtae *Walch.* — caedere *π.* cędere *Δ.* cedere* *Γ.* 10) equitum turmae fugē: covinnarii peditum *ΔΓπ. Pp.* 64. *Quod scripsi* ut fugere cov. *a Doederlino quoque et Halmio propositum video. Poteras etiam* ubi fugere *aut* fugere enim cov. *suspicari.* 11) quamquam *Γπ.* quaquam *Δ.* — recentem *Γπ.* recentes *Δ.*

ad mucrones ac manus] Liv. XXXIV, 46 *nec dextris magis gladiisque gerebatur res, quam scutis* cett. II, 46 *pugna iam ad manus, iam ad gladios venerat.* (Sic recte Rhenanus, vulgo *in manus.* Nam *in manus* dicitur hostis venire, si pugnae copiam facit, Sall. Iug. 89. 101. Ann. II, 80. Hist. IV, 76; contra *ad manus* venit sive pugna sive hostis, si cominus pugnatur, Liv. II, 30 *ubi ad manum venisset hostis, tum coortos tota vi gladiis rem gerere.* Hist. IV, 71 ubi itidem cum Ryckio *ad manus* scribendum videtur.)

vetustate militiae] cf. Hist. IV, 12.

miscere ictus] *denserent ictus* Ann. II, 14.

ora foedare] „Ann. II, 286 *vultus foedare.* Plaut. Amphit. I, 1, 90 *impetu alacri foedant et proterunt hostium copias.* Ennius: *ferro foedati iacent*" Walch. Gesneri probabilis coniectura *fodere* commendatur his locis. Ann. II, 21 *nuda ora fodientes.* Curt. IV, 15, 31 (59) *resistentium adversa ora fodiebat.* Liv. VIII, 10 *hastis ora fodientes*, ubi vide Drakenb.

adstiterant] vox militaris: sich aufstellen. Exempla vide apud Boetticherum lexico p. 45.

connisae] Liv. III, 63 *undique omnes connisi hostem avertunt.* IX, 31 *conniterentur modo uno animo omnes invadere hostem.* X, 33 *clamore sublato connisi primum resistunt.* XXXI, 21. XLI, 4.

quamquam recentem terrorem intulerant] quamquam terror, quem equites intulerant, quum covinnarios persecuti in pedites impetum facerent, recens erat, ut crederes hostes perturbatos terga daturos esse, tamen non ex sperato res cessit, nam hostes substiterunt densisque eorum agminibus impediti equites Romani haerebant. *Recens*

rant, densis tamen hostium agminibus et inaequalibus locis haerebant: minimeque aequa nostris iam pugnae facies erat, cum aegre iam diu ante stantes simul equorum corporibus impellerentur. Ac saepe vagi currus, exterriti sine rectoribus equi, ut quemque formido tulerat, transversos aut obvios incursabant.

37 Et Britanni, qui adhuc pugnae expertes summa collium insederant et paucitatem nostrorum vacui spernebant, degredi paulatim et circumire terga vincentium coeperant: ni id ipsum veritus Agricola quattuor equitum alas, ad su-

1) in ęqualibus *Δ*. 2) miēque equestres, ea enim pugnae facies erat *ΔΓ*. *Pro* ea *in cod. Γ.* eā *legitur.* minimeque equestres. Ea .n. pugnae facies erat *π* (*in π*3 *plene scribitur:* ea enim). minimeque equestris ea pugnae facies erat *Rhen. Pp.* 67. 3) egra diu aut stante *ΔΓ.* aegra diu aut stante *π.* aegre diu stantes *Brot. Ern. Pp.* 68. aegre diu adstantes *coni. Passov. Halm.* aegre clivo stantes *Triller.* aegre in acclivi stantes *Ritter olim.* in gradu stantes *Rhen.* 7) expertes *Δπ.* expertis *Γ.* — summa *Δπ.* summam *Γ.* 9) degredi *Γπ*1 *Pichena.* digredi *π*2*π*3. — circuire *Δ.* — vincentium *Γπ*1*π*2. vicentium *Δπ*3. 10) ni id *Γπ.* in id *Δ.*

terror est qui m o d o illatus est, ut etiamnunc vim habiturus esse videatur. Hinc saepe dicuntur duces *recenti terrore usi esse.* Ann. XIV, 23 *Corbulo post deleta Artaxata utendum recenti terrore ratus ad occupanda Tigranocerta pergit.* Liv. XXXVI,9 *nihil inde moratus rex, dum recens terror esset, — mittit* cett. Cic. Tusc. III, 31, 75 *r e c e n s sic interpretantur, ut non tantum illud recens esse velint, quod p a u l l o a n t e acciderit, sed quam diu — v i s quaedam i n s i t, ut vigeat et habeat quandam viriditatem, tam diu appelletur recens.* Pessime Walchius *recentem* terrorem confundit cum *novo.* Hodie non opus est,quid intersit discriminis inter utramque hanc vocem, explicare. Cf. Doederl. synonym. IV, 95. Kritz ad Sall. Iug. 75, 8. Manutium ad Cic. ep. ad fam. XI, 21, 4.

h a e r e b a n t] Liv. VIII, 38 *haerent impediti impedimentis nostris.* X, 36 *obiacente sarcinarum cumulo haeserunt impediti.* XXII, 5 *alii fugientes pugnantium globo illati haerebant.* XXXIV, 15 *suomet ipsi agmine in arto haerentes.* XXIX,33 *ipse — evasit, duae turmae haesere.* Ann. I, 68 *postquam haesere munimentis.*

t r a n s v e r s o s] i. q. ex transverso. Liv. I, 14 *inde subito exorti Romani transversam invadunt hostium aciem.*

Cap. 37. *v a c u i*] Alibi *vacui* opponuntur *occupatis* (Hist. IV, 17 *proinde arriperent vacui occupatos, integri fessos*), hoc autem loco *vacui* sunt non anxii, non intenti, sorglos, ruhig. Ann. II, 46 *quoniam tres vacuas legiones et ducem fraudis ignarum perfidia deceperit.* Hist. II, 90 *vulgus vacuum curis.* I, 80 *quo magis vacuus quietis castris iussa exsequeretur.* Sall. Iug. 52,6 *postquam Rutilium consedisse iam et animo vacuum accepit.* Plin. ep. VIII, 19 *vacuo animo laetoque scribere.*

t e r g a v i n c e n t i u m] Romanorum, quum vincerent. Hi quum vincere coepissent, tum non amplius vacui erant.

s u b i t a b e l l i] „*subita belli* dicuntur, quae ante bellum praevideri non possunt, sed eo iam suscepto saepe subito et praeter exspectationem incidunt, quae metuentes cauti duces partem aliquam copiarum a reliquo corpore secernunt et selectam ac separatam habent, quae subitis illis occurrat." Duker ad Flor. I, 1, 15. Liv. VI, 32 *qui si qui alibi motus exstitisset, ad subita belli mitti posset.* XXV, 15 *ut ad subita belli — Gracchum cum*

bita belli retentas, venientibus opposuisset, quantoque ferocius accurrerant, tanto acrius pulsos in fugam disiecisset. Ita consilium Britannorum in ipsos versum; transvectaeque praecepto ducis a fronte pugnantium alae aversam hostium aciem invasere. Tum vero patentibus locis grande et atrox spectaculum. Sequi, vulnerare, capere, atque eosdem, oblatis aliis, trucidare. Iam hostium, prout cuique ingenium erat, catervae armatorum paucioribus terga praestare, quidam inermes ultro ruere ac se morti offerre. Passim arma et corpora et laceri artus et cruenta humus. Est aliquando etiam victis ira virtusque. Postquam silvis appropinquaverunt, collecti primos sequentium, incautos et locorum ignaros, circumveniebant. Quod ni frequens ubique Agricola validas et expeditas cohortes indaginis modo

2) accurrerant *π*. accucũrerant *Γ*. occurrerant *Δ*. 6) oblatis *Rhen.* ablatis *ΔΓπ*. 7) pro ut *Δ*. 10) Est aliquando *Bosius. Walch.* et aliquando *ΔΓπ*. *Tota haec sententia videtur additamentum esse. Pp.* 121. 11) appropinquaverunt *ΔΓ*. appropinquarunt *π*. 12) itẽ primos sequentium incautos collecti et locorum ignari circumv. *ΔΓ*. collecti primos sequentium incautos et locorum ignaros circumv. *π*. *Hanc Puteolani emendationem fere omnes recte secuti sunt; Pp.* 89. *Quid lateat in syllabis* itẽ, *quas omisit Puteolanus, difficile est ad exputandum. Dronkius non male coniiciebat:* iterum collecti, *saepissime enim* iterum *et* item *confunduntur* (*Cf. Ann. XV,* 11. *Hand Tursell. III. p.* 523)*; at non* iterum, *sed* rursus *potius vel* denuo *requiri monet Doederlin. Peerlkampius* tum *coniiciebat. Halm* identidem. *Audaciorem aliquam suspicionem meam vide Pp.* 121. 13) ni frequens *Γπ*. infrequens *Δ*.

equitatu venire iuberet. Hist. V, 13 *quando impetus et subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare statuit.* V, 16 *dux sibi delectos retinuerat ad improvisa.*

transvectae] *transvehi* et *transire* dicuntur milites, qui, ut circumveniant terga hostium, ex pugna discedunt, frontem pugnantium praetervecti, Liv. XXVIII, 33.

grande — spectaculum] Lipsius ut simile conferri iubet Sall. Iug. 101.

catervae armatorum — quidam inermes] *οἱ μὲν — οἱ δέ,* alii plures numero et armati terga praestiterunt paucioribus, alii singuli et inermes ultro in hostem irruerunt.

collecti] cf. ad c. 16.

indaginis modo] in his *indago* non intelligenda est corona, quae ipsa immota silvam cingit, uti apud Hirtium b. g. VIII, 18 *velut indagine hunc insidiis circumdederunt.* Flor. III, 6, 11 *quicquid piratarum fuit, quadam indagine inclusum et oppressum est.* IV, 12, 48 *inde partito exercitu — amplexus Cantabriam, efferam gentem ritu ferarum quasi indagine debellabat,* sed hoc loco est continuum agmen, quod progreditur una serie, uti apud Livium VII, 37 *profectus agmine instructo, quum praemissus eques velut indagine dissipatos Samnites ageret.* Hanc indaginem constituunt validae expeditaeque cohortes, quibus additi sunt pro antesignanis equites, qui dimissis equis peditum munere funguntur. Nimirum sicubi arctiora

et, sicubi artiora erant, partem equitum dimissis equis, simul rariores silvas equitem persultare iussisset, acceptum aliquod vulnus per nimiam fiduciam foret. Ceterum ubi compositos firmis ordinibus sequi rursus videre, in fugam versi, non agminibus ut prius, nec alius alium respectantes, rari et vitabundi invicem longinqua atque avia petiere. Finis sequendi nox et satietas fuit. Caesa hostium ad decem milia: nostrorum trecenti sexaginta cecidere; in quis A. Atticus, praefectus cohortis, iuvenili ardore et ferocia equi hostibus illatus.

38 Et nox quidem gaudio praedaque laeta victoribus; Britanni palantes mixtoque virorum mulierumque ploratu trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos ac per iram ultro incendere; eligere latebras et statim relinquere; miscere invicem consilia aliqua, deinde separare; aliquando frangi aspectu pignorum suorum, saepius concitari; satisque constabat, saevisse quosdam in coniuges ac liberos, tam-

1) sic ubi *Δ*. — artiora *Δ*. arctiora *Γπ*. 2) equitem persultare *Rhen.* equite persultari *Γπ*. equites perlustrari *Δ*. 5) versi *π*. versis *Δ*. 6) rari et vitabundi invicem] *Haec vereor ne a glossatore aliquo addita sint. Pp.* 112. *Ed. Bip. scribi voluit* sed rari *cett.* 7) satietas *π*. sacietas *Γ*. savetas *Δ*. — ad X. mil. nostrorum CCCLX *ΔΓ*. ad decem milia: nostrorum trecenti quadraginta *π*. ad sex millia cett. *Walchii typotheta.* 8) in quis *Γπ*. in queis *Δ*. 9) Aulus Atticus praefectus *Γπ*. A. Atticus praes. *Δ*. 12) Britanni *π*. Britannique *ΔΓ*. — palantes *Δ*. palantęs *Γ*. pallantes *π*. — ploratu *Γπ*. proratu *Δ*. 15) deinde *ΔΓ*. dein *π*. *Scilicet in codd.* deiñ *scriptum est.* — separare *ΔΓ Lips.* sperare *π*.

erant, per quae indago penetrare non posset, quin ordo interrumperetur, istis in locis immittebantur illi parmati, qui contis suis praetentarent artiora. Omnino equites, qui pedestrem pugnam subeunt, validiores habentur quam pedites, cf. Liv. II, 20. IV, 38. VI, 24. Ab his equitibus plane seiungendus est *eques* (die Reiterei), qui rariores silvas persultare iubetur. Noli enim cogitare eosdem equites modo dimissis equis modo equites (beritten, cf. Kritz ad Sall. Cat. p. 313. Liv. XXVIII, 9) operam navasse. Zeugma, quod inest in his verbis, quum ex voce *persultare* desumendum sit: expeditas cohortes *progredi* sive per silvas *penetrare* iussit, non magnopere mirum est.

Cap. 38. *nox gaudio praedaque laeta*] die freude über den sieg und die beute rief lauten iubel hervor.

miscere consilia] Ann. XV, 68 *sed coniurati consilia cum Vestino non commiscuerunt.*

pignora] Liv. II, 1 *priusquam pignora coniugum ac liberorum — animos eorum consociasset.*

quam misererentur. Proximus dies faciem victoriae latius aperuit: vastum ubique silentium, secreti colles, fumantia procul tecta, nemo exploratoribus obvius. Quibus in omnem partem dimissis, ubi incerta fugae vestigia, neque usquam conglobari hostes compertum, et exacta iam aestate spargi bellum nequibat, in fines Borestorum exercitum deducit. Ibi acceptis obsidibus praefecto classis circumvehi Britanniam praecipit. Datae ad id vires, et praecesserat terror. Ipse peditem atque equites lento itinere, quo novarum gentium animi ipsa transitus mora terrerentur, in hibernis locavit. Et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit, unde proximo Britanniae latere lecto omni redierat.

1) misererentur *Γπ.* misererĕt *Δ.* 2) secreti *ΔΓπ. Ex Ern. coni.* deserti *scribendum censeo.* 4) nec usquam *Δ.* 6) fines *π.* finis *ΔΓ.* — Borestorum *ΔΓ.* Horestorum *π.* 7) praefecto *Γπ.* profecto *Δ.* 8) praecipit *ΔΓ.* praecepit *π.* 10) terrerentur *Γπ.* terrentur *Δ.* 12) trutulensem *π.* trutulens est *Δ.* trucculensem *Γ.* Trutu. Al'. *M.* trucculensis portus *in indice nominum ad marg. cod. Γ.* 13) Britanniae latere *ΔΓ.* latere Britanniae *π. Coniecit nescio quis* littore. — lecto *ΔΓπ.* praelecta *M. quod, si scribis* praelecto, *non spernendum erit. Ann. VI,* 1 Campaniam praelegebat. *Hist. II,* 79 oram Lyciae praelegentes.

tanquam misererentur] Liv. III, 50 *misericordia se in crudelitatis speciem lapsum.* Germ. c. 8 *captivitatem longe impatientius feminarum suarum nomine timent.*

secreti colles] Mihi una vera videtur Ernestii coniectura *deserti.* Secreta enim (das abgeschiedene, entlegene) solent quidem plerumque deserta (einsam) esse, verum ea natura sua et quovis tempore deserta sunt, non certo potissimum tempore. Hic autem non de natura illorum collium, sed de temporali eorum statu agitur.

datae ad id vires] domandae enim simul erant Orcades insulae. c. 10 Pp. 90.

secunda tempestate et fama] Ann. XIV, 51 *prospera populi et militum fama. Secundam famam* refer ad debellatas Orcadas.

portum tenuit] Liv. XXVIII, 18 *saevis in alto iactatus ventis die quarto novae Carthaginis portum tenuit.* XXII, 22 *classis cum magna laetitia civium portum Tarraconis ex alto tenuit.* XXXVI, 29 *duodecimo is die, quam conscenderat navem, perfecta legatione rediens Phalera in sinu Maliaco tenuit.* XXI, 49 *novem Liparas, octo insulam Vulcani tenuere, tres in fretum avertit aestus.* XXX, 24 *per adversos fluctus* Apollinis promontorium tenuit. I, 1 ab *Sicilia classe Laurentem agrum tenuisse.*

unde redierat] non adeo laborassent interpretes in hoc loco facili et expedito, si ad plusquamperfectum *redierat* satis animos advertissent. Hoc enim non significat *rediit in portum,* istud enim modo dixerat Tacitus verbis *portum tenuit;* sed *redierat* est: sie war umgekehrt, heimgekehrt. Ex Trutulensi portu (sc. egressa) legerat latus proximum lectoque latere omni redierat. Id in brevius contractum *unde proximo latere lecto omni redierat.* Quid in his mire, quid nove dictum? Piget exempla afferre, in quibus prior alicuius enuntiati pars cum antecedenti verbo copulata est pronomine relativo,

39 Hunc rerum cursum, quamquam nulla verborum iactantia epistolis Agricolae auctum, ut erat Domitianus, fronte laetus, pectore anxius excepit. Inerat conscientia, derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum

[1]) nulla *Γπ.* in illa *Δ.* [2]) auctum *Lips. Brot.* actum *ΔΓπ.* — ut Domitianus erat *Δ.* Al' ut erat Domitianus *M.* ut Domitiano moris erat *Γπ.* [3]) excepit *Γπ.* cępit *Δ.* [5]) crines *π.* crinis *ΔΓ Beck.* (*c.* 11 torti crines).

quod nihil omnino pertineat ad reliqua eiusdem enuntiati verba. Ann. XI, 38 *ferrumque accepit, quod frustra iugulo admovens ictu tribuni transfigitur.* Curt. III, 1, 22 (3) *Iamque ad urbem Ancyram ventum erat, ubi numero copiarum inito Paphlagoniam intrat.* Cum hoc usu non confundenda erant ea exempla, in quibus – omitto Walchium, qui enuntiata correlativa admiscere audet: *unde clamor acciderat,* (eo) *circumagere corpora* – pronomen relativum, quum ad utramque enuntiati partem pertineat, praemissae protasi adaptatum est: Cic. Brut. 70, 245 *Torquatus, cui si vita suppeditavisset, sublato ambitu consul factus esset.* Ann. XV, 52 *villa Pisonis, cuius amoenitate captus Caesar crebro ventitabat.* pro Planc. c. 41 *cui quum omnes metus – proponerentur, haec perpeti, si acciderent, maluit.* Liv. XXI, 43 *cui si quis – ostendat, ignoraturum certum habeo* cett. Nubem eiusmodi exemplorum habent Wopkens lect. Tull. p. 217 sq. Madvig ep. crit. ad Orell. p. 106 sq. Klotz quaest. Tull. I, p. 17 sq. Stürenburg ad Cic. pro Arch. p. 138 sq. In his sane nobis licet transmutatum fingere pronomen, ut dicamus *cui si* dictum esse pro *qui, si ei* cett., quamquam Latinis id non obversatum esse documento est Liv. IX, 17 *victus esset consiliis iuvenis unius senatus ille, quem qui ex regibus constare dixit, unus veram speciem Romani senatus cepit.* Nec in aliis exemplis commode id fieri poterit, ubi grammaticus relativi nexus cum altero membro plane nullus est, sed logica sane aliqua ratio intercedit, ut ne ea quidem cum nostro illo loco recte ea contenderis. Cic. pro Mil. c. 29 *et de eius nece lata quaestio est, qui si eadem lege reviviscere posset, lata lex nunquam esset.* c. 15 *quem qui tum interemisset, non de impunitate eius, sed de praemiis cogitaretur.* de orat. I, 28, 126 *esse permulta, quae orator a natura nisi haberet, non multum a magistro adiuvaretur.* §. 132 *quae quibus a natura minora data sunt, tamen illud assequi possent, ut* cett. de off. I, 17, 56. II, 11, 38. — Usus vocis *redierat* bene concinit cum iis, quae Ausonius Popma p. 594 definit: *qui regreditur, antequam eo pervenit, ubi animum intenderat, is non redire dicitur sed reverti redire autem qui coeptum iter absolvit.* Cic. ad Att. XVI, 7 *quam valde ille reditu vel potius reversione mea laetatus.* Absolverat autem iter suum praefectus navium, quum proximo i. e. orientali latere Britanniae lecto satis cognovisset, Britanniam insulam esse.

Cap. 39. *auctum*] Quamvis Agricola res a se gestas admodum verecunde exposuisset neque ullo modo iactanter auxisset et exaggerasset, quod fieri plerumque solebat in litteris laureatis, tamen anxius excepit Domitianus. Cic. de orat. I, 31, 143 *extrema autem oratione ea, quae pro nobis essent, amplificanda et augenda.* Liv. XXIX, 3 *omnia in maius metu augente.* Ann. II, 82 *cunctaque ut ex longinquo aucta in deterius adferebantur.* Tac. hist. III, 53 *litteras ad Vespasianum composuit iactantius quam ad principem.* Secus interpretatur verba Kritz ad Sall. Cat. 3, 2. Doederlinum mireris hodie quoque corruptelam *actum* defendere. Aliud est *res agi,* aliud rerum *cursum agi,* monuit Peerlk.

falsum e Germania triumphum] Dio Cass. LXVII, 4 *ἐκστρατεύσας δ' εἰς Γερμανίαν καὶ μηδ' ἑωρακὼς που πολέμιον ἐπανῆκε.* Suet. Domit. 6 *de Cattis Dacisque post varia proelia duplicem triumphum egit.* Plin. paneg. 16 *accipiet ergo aliquando capitolium non mimicos currus, nec falsae simulacra victoriae.* Germ. 37 extr. *proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt.* Reimarus ad Dion. l. l. et Scaliger ad Euseb. p. 204 illam in Cattos expeditionem incidisse asserunt in annum 837.

quorum habitus — formarentur] idem fecit Caligula Suet. Cal. 47.

speciem formarentur: at nunc veram magnamque victoriam tot milibus hostium caesis ingenti fama celebrari. Id sibi maxime formidolosum, privati hominis nomen supra principis attolli: frustra studia fori et civilium artium decus in silentium acta, si militarem gloriam alius occuparet: cetera utcunque facilius dissimulari, ducis boni imperatoriam virtutem esse. Talibus curis exercitus, quodque saevae cogitationis indicium erat, secreto suo satiatus, optimum in

[1]) at nunc *ΔΓ Rhen.* ac nunc *π.* [2]) milibus *ΔΓπ.* militibus *Beroald.* [5]) cetera] et cetera *ΔΓπ.* et, *quod ex repetita syllaba antecedenti enatum videtur (Pp. 69), delendum censui. Caussa enim et ratio additur, non nova res adiicitur.* [6]) virtutem esse *ΔΓπ.* virtutem non esse *Riv.* [7]) quodque *Γπ.* quodve *Δ.* — saevae *Γπ.* sevę *Δ.*

formidolosum] timendum. Cic. in Verr. lib. II, 31, 77 *illud, illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum.* Ann. XI, 19 *sin prospere egisset, formidolosum paci virum insignem et ignavo principi praegravem.* XIII, 53 *formidolosum id imperatori dictitans, quo plerumque prohibentur conatus honesti.*

frustra] Ann. XVI, 22 *frustra Cassium amovisti, si gliscere et vigere Brutorum aemulos passurus es.*

studia fori — in silentium acta] i. e. et forensem eloquentiam oppressam, et senatorum, qui rerum civilium prudentia censentur, industriam et studia ad silentium damnata esse. Ann. III, 75 *Capito Ateius principem in civitate locum studiis civilibus adsecutus. Decus* autem *civ. art.* dicit, quia illae artes singulis decus afferunt, ut insignes sint prae ceteris. Philosophorum in his nulla mentio, nisi quod philosophi illi relegati iidem senatores in curia pro suis placitis sententias ferebant. De silentio illo cf. supra c. 3. et Plin. ep. VIII, 4.

utcunque facilius] Pp. 102.

dissimulari] Veteres, quod equidem sciam, *sua* tantum *dissimulari* dicunt, sed a Tacito, Plinio cett. etiam aliena vel vitia vel virtutes *dissimulari* dicuntur. Hist. II, 82 *vitia magis amicorum quam virtutes dissimulans.* II, 56 *Valens ob lucra et quaestus infamis eoque alienae etiam culpae dissimulator.* Vell. Paterc. II, 14 *agebat medium plurima dissimulantis, aliqua inhibentis.* Sen. de ira II, 32 *saepe autem satius fuit dissimulare* (iniuriam) *quam ulcisci.* Plin. ep. IX 13, 21 *quod senatum invidia laborassem, qua flagrabat apud ordines alios, quod severus in ceteros, senatoribus solis dissimulatione quasi mutua parceret.* Agr. c. 6 *redempturus esset mutuam dissimulationem mali.* Ann. XIII, 49 *quod si summa dissimulatione transmitterentur, quanto magis inanibus abstinendum.* Hoc loco est: ignoriren, in den hintergrund drängen. Mira de hoc loco excogitarunt tum Walchius tum Doederlinus.

imperatoriam virtutem] i. e. per quam quis escendat ad imperatoris fastigium et splendorem. Nullum esse imperatori periculum ab iis, qui civilibus artibus excellant, at qui boni ducis gloriam assecutus sit, eum prope accedere ad imperatoris splendorem et maiestatem, ut timendus sit aemulus. Sic Tiberius *bellica Germanici gloria angebatur* Ann. I, 52.

secreto suo satiatus] *satiari* apud Latinos non modo est ad satietatem aliqua re frui, sed etiam delectari aliqua re, an etwas sich vergnügen, sich weiden, alicui voluptati se dare (Similiter nostra vox *vergnügen* descendit a *genug.* Schiller: des herzens heissen drang muss ich vergnügen, satiare). Hor. Od. I, 2, 37 *heu nimis diu satiate ludo, quem iuvat clamor galeaeque leves.* Sen. de ira II, 8 *Ferarum iste conventus est, nisi quod illae inter se placidae sunt morsuque similium abstinent, hi mutua laceratione satiantur.* Er gab sich seinem hange zur einsamkeit hin, brütete für sich. Plin. paneg. 48, 5 *non adire quisquam, non alloqui audebat,*

praesentia statuit, reponere odium, donec impetus famae et favor exercitus languesceret. Nam etiamtum Agricola Britanniam obtinebat.

40 Igitur triumphalia ornamenta et illustris statuae honorem et quicquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata decerni in senatu iubet, addique insuper opinionem, Syriam provinciam Agricolae destinari, vacuam tum morte Atilii Rufi consularis et maioribus reservatam. Credidere plerique, libertum ex secretioribus ministeriis missum ad Agricolam codicillos, quibus ei Syria dabatur, tulisse cum praecepto, ut, si in Britannia foret, traderentur; eumque libertum in ipso freto Oceani obvium Agricolae, ne appellato quidem eo ad Domitianum remeasse: sive verum istud, sive ex ingenio principis fictum ac compositum est. Tradiderat interim Agricola successori suo provinciam quietam tutamque. Ac ne notabilis celebritate

2) etiam tum *ΔΓπ*. 6) additque *coni. Muretus*. 8) Atilii *π*. Atili *Γ*. Actilii *Δ*. — Rufi *ΔΓ*. Ruffi *π*. 10) ei *Γπ*. eis *Δ*. 11) in Britannia *π*. in Britanniam *ΔΓ*.

tenebras semper secretumque captantem. Suet. Domit. 3 *quotidie secretum sibi horarum sumere solebat.* Sen. ep. 11 *aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat.*

Cap. 40. *triumphalia ornamenta*] Virdung ex Dion. Cass. LIV, 24 refert, inde ab anno 740, quo Agrippa triumphum sibi decretum recusavit, receptum esse morem, ut duces non ipsi triumphum agerent, sed honoribus tantum triumphalibus ornarentur. His ne repugnare videretur Suetonii Aug. 38 memoria: *super triginta ducibus iustos triumphos et aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit*, operam dederunt Reimarus ad Dion. l. l. et Casaubonus ad Suet. l. l. Ornamenta triumphalia sunt toga picta, tunica palmata, corona laurea, sella curulis, statua, quae h. l. *illustris*, alibi *laureata* Ann. IV, 23, vel *triumphalis* nominatur Ann. XV, 72. Hist. I, 79.

quidquid pro triumpho datur] supplicatio et sacra.

cumulata] Plin. ep. X, 11 *publicae necessitudinis pignora privatis cumulat officiis.* III, 4, 6 *antiquiora beneficia subvertis, nisi illa posterioribus cumules.*

addique] senatus decretum iis verbis componendum curavit, ut adspergeretur opinio, destinatam ei esse Syriam.

sive verum istud, sive — fictum] Bene Walchius adnotat particularum *sive, sive*, εἴτε — εἴτε usum quendam quodammodo ellipticum, ubi animo intelligendum est: libera est existimatio, nihil decernam, incertum est. C. 43 *sive cura illud, sive inquisitio erat.* Liv. IV, 8 *hunc annum, seu tribunos modo seu tribunis suffectos consules quoque habuit, sequitur annus haud dubiis consulibus.* Soph. Philoct. 345 λέγοντες, εἴτ᾽ ἀληθὲς, εἴτ᾽ ἄρ᾽ οὖν μάτην, ὡς οὐ θέμις γίγνοιτο cett.

successori suo] successorem fuisse Sallustium Lucullum suspicatur Broterius ex Suet. Domit. 10. Paullo post destitisse Romanos a debellanda Britannia, consequitur ex Hist. I, 2 *perdomita Britannia et statim missa.*

et frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio noctu in urbem, noctu in palatium, ita ut praeceptum erat, venit; exceptusque brevi osculo et nullo sermone turbae servientium immixtus est. Ceterum ut militare nomen, grave inter otiosos, aliis virtutibus temperaret, tranquillitatem atque otium penitus hausit, cultu modicus, sermone facilis, uno aut altero amicorum comitatus: adeo ut plerique, quibus magnos viros per ambitionem aestimare mos est, viso aspectoque Agricola quaererent famam, pauci interpretarentur.

Crebro per eos dies apud Domitianum absens accusa- 41
tus, absens absolutus est. Causa periculi non crimen ullum aut querela laesi cuiusquam, sed infensus virtutibus princeps et gloria viri ac pessimum inimicorum genus, lau-

2) praeceptum *Γπ*. praetemptum *Δ*. 4) turbae serv. *Γπ*. *om.* turbae *Δ*. — immixtus *Γπ*. immistus *Δ* (immixtum *π*3). — ut milit. *π*. uti milit. *ΔΓ*. 6) penitus *Γπ*. pęnitus *Δ*. *Klein coni.* peritus. — hausit] auxit *ΔΓπ*. *Pp.* 87. 9) quaererent *π*. quererent *ΔΓ*. — paucis *π*1.

officio] cf. ad c. 18.

brevi osculo] „i. e. raptim impertito, quippe quod ex more magis quam affectu daret. Ann. XIII, 18." Buchn.

immixtus est] se immiscuit. cf. ad c. 16.

tranquillitatem atque otium] Sall. fragm. hist. I, 9 (p. 939) *itaque illa quies et otium cum libertate, quae multi probi potius quam laborem cum honoribus capessebant, nulla sunt.* c. 42 *quietem et otium laudare.*

per ambitionem] „e specie externa, splendore vitae, frequentia deducentium cett." ERN. Plin. paneg. 56 *contemtor ambitionis animus.* Germ. 27 *funerum nulla ambitio.* Nep. Dio 2 *magnaque cum ambitione Syracusas deduxit.* Alias Latini dicunt *aestimare ex re, ab re,* aut simpliciter *re aliqua.* cf. ad c. 45.

quaererent famam] *Quaerere aliquid* saepe idem est quod *quaerere de aliqua re.* Frequens est illud Tullianum: *honestum illud, quod quaerimus.* Caes. de bello civ. I, 67 *disputatur in consilio ab Petreio atque Afranio, et tempus profectionis quaeritur.* Cic. Tusc. V, 29, 84 *sed quaeramus unamquamque reliquorum sententiam.* Sic illi Agricolae famam quaerentes cogitandi sunt inter se disputasse et quaesivisse, quae tandem esset illa fama, unde collecta, qua re niteretur. Nam quum Agricola nihil prae se ferret, quo insignis prae ceteris videretur, ut clarus homo haberi posset, intelligere non poterant, quo tandem modo tantam famam sibi comparasset.

pauci interpretarentur] sc. famam. Pauci intelligebant, qualis esset eius fama, quibus virtutibus parata esset, nur wenige begriffen seinen ruf. *Interpretari aliquam rem* est sane explicare, qualis ea res sit, sed interpretatio suspensa est ab intellectu. Itaque *interpretari* saepe dicitur pro *intelligere.* Cic. Phil. I, 15 *Quid igitur? hoc vos, per deos immortales, quale sit, non interpretamini?* Cic. Brut. I, 5 *sin, tamquam illi ipsi acerbitatis aliquid acciderit, angimur, summam eius felicitatem non satis grato animo interpretamur,* i. e. non intelligimus, in quo ille summam suam felicitatem posuerit (sc. in laboribus forensibus suscipiendis).

Cap. 41. *absens accusatus, absens absolutus*] repetita vox *absens* indicat, talia fuisse illa crimina et tam inania visa esse ipsi Domitiano, ut nulla quaestione habita opprimerentur. Walch.

pessimum inimicorum genus, lau-

dantes. Et ea insecuta sunt reipublicae tempora, quae sileri Agricolam non sinerent. Tot exercitus in Moesia Daciaque et Germania et Pannonia temeritate aut per ignaviam ducum amissi: tot militares vici cum tot cohortibus expugnati et capti; nec iam de limite imperii et ripa, sed de hibernis legionum et possessione dubitatum. Ita cum damna damnis continuarentur, atque omnis annus funeribus et cladibus insigniretur, poscebatur ore vulgi dux Agricola, comparantibus cunctis vigorem, constantiam et expertum bellis animum cum inertia et formidine. Quibus sermonibus satis constat Domitiani quoque aures verberatas, dum optimus quisque libertorum amore et fide, pessimi malignitate et livore pronum deterioribus principem exstimulabant. Sic Agricola simul suis virtutibus simul vitiis aliorum in ipsam gloriam praeceps agebatur.

2) Misia *ΔΓ*. Mysia *π*. 3) et Pannonia *ΔΓ Beck.* Pannoniaque *π*. 4) vici *ex coni. Gronovii.* viri *ΔΓπ*. *Pp.* 73. 6) possessione *Γπ*. possessionum *Δ*. 7) dañ a dannis *Δ*. 9) vigorem const. *Γπ*. vigorem et const. *Δ*. 10) formidine eorum. Quibus *ΔΓπ*. inerciȩ et formidini Al' *M. Pp.* 139. 11) Domitiani *Γπ*. Domitianum *Δ*.

dantes] apte confert Lipsius Mamertinum panegyrico ad Iulianum 4: *callido nocendi artificio accusatoriam diritatem laudum titulis peragebant, in omnibus conventiculis quasi per benevolentiam iactantes: Iulianus Alemanniam domuit* cett. *Hae voces fuerunt ad inflammanda odia probris omnibus potentiores. Si enim comminisci aliqua flagitia tentassent, facile ipso splendore laudis et gloriae refutarentur; invenerunt accusandi genus, quod nullus refelleret.*

in Moesia Daciaque] Cf. Engel comment. de Traiani expedit. ad Danub. p. 136—143. Francke zur geschichte Trajan's p. 79 sq.

et possessione] Cic. Acad. II, 43, 132 *est enim inter eos non de terminis, sed de tota possessione contentio.*

dubitatum] c. 5 *in ambiguo fuit Britannia.*

libertorum] Quanta fuerit illa aetate libertorum potentia, ex multis Taciti, Plinii, Senecae locis apparet. Hist. I, 7 *praepotentes liberti.* Ann. XIV, 39 *apud quos nondum cognita libertorum potentia erat.* Hist. I, 22 *intimi libertorum.* Plin. paneg. 42 *nec enim iam servi nostri principum amici.* c. 88 *plerique principes quum essent civium domini, libertorum erant servi.* Apud Senecam apocolocynth. Narcissus libertus Claudii *dominus domini* nominatur.

amore et fide] in Domitianum, quia vere timebant, ne Agricolae claritudo obesset Domitiano.

dum — exstimulabant] de imperfecto cf. Walch. Emend. Liv. p. 185. Matthiae ad Cic. pro Rosc. Am. c. 32. Hand Tursell. II. p. 304.

simul vitiis aliorum] Ritterus non malignitatem et livorem libertorum intelligi vult, sed „vitia a legatis Moesiae et Pannoniae commissa". Non probaverim. Nam ducum illorum vitiis commissisque peccatis negari quidem non potest magis exsplenduisse Agricolae virtutes et gloriam, sed ut ea in perniciem verteret, id malignitate demum illorum libertorum principem exstimulantium factum est.

in ipsam gloriam praeceps age-

Aderat iam annus, quo proconsulatum Asiae et Africae sortiretur: et occiso Civica nuper nec Agricolae consilium deerat, nec Domitiano exemplum. Accessere quidam cogitationum principis periti, qui, *iturusne esset in provinciam*, ultro Agricolam interrogarent: ac primo occultius quietem et otium laudare, mox operam suam in approbanda 42

[1]) Asiae et Africae *Υπ*. Asiae et Aphricae *Δ*. Aphricae et Asiae *Γ*. Asiae aut Africae *coni. Danesius et Lips.* [2]) Civica *ΔΓ*. Cinica *π*. [3]) deerat *Γπ*. aderat *Δ*. *Eadem discrepantia est cap.* 9.

batur] Ad acumen horum verborum animos advertunt Virdung et Ernesti. Nimirum ad gloriam provehi sub Domitiano fere idem valebat atque in perniciem agi. Itaque praecipitem in ipsam gloriam agi dicit, quasi dicturus in ipsam perniciem agi. Cf. c. 5 *nec minus periculum ex magna fama quam ex mala.* c. 42 *non famam fatumque provocabat.* Simul autem in illo praecipitem agi hoc inest, Agricolam nolentem quasi obtorto collo in gloriam actum esse.

Cap. 42. *aderat annus, quo procons. Asiae et Africae sortiretur*] Asiae et Africae proconsulatus erant summae dignitatis et ultimum fastigium honorum. Quas provincias sortiebantur consularium vetustissimi, i. e. quorum post consulatum plurimi interiecti essent anni. Ann. III, 58 *provincia Africa Iunio Blaeso prorogata, Servius Maluginensis ut Asiam sorte haberet postulavit* (anno 775, idem consul fuerat a. 763), sed quia illi, ut flamini Diali, non liceret egredi Italia, *sors Asiae in eum, qui consularium Maluginensi proximus erat, collata* (Ann. III, 71). Ann. III, 32 M. Lepidus propter motam rursus Africam huic provinciae impar habetur, atque Sext. Pompeius eum *etiam Asiae sorte depellendum incusavit adverso senatu.* — *Igitur missus in Asiam et de Africa decretum, ut Caesar legeret, cui mandanda foret.* Nunc igitur Agricola, utraque provincia in sortem coniecta, sorte ducebat, utram earum regeret. Quoto post consulatum aut post administratam Britanniam anno id factum sit, evinci non potest. Nam quod Maecenate suadente (Dio Cass. LII, 20) Augustus decrevit (Dio Cass. LIII, 14. cf. etiam Suet. Aug. 36) *κοινῇ δὲ δὴ πᾶσιν αὐτοῖς ἀπηγόρευσε, μηδένα πρὸ πέντε ἐτῶν μετὰ τὸ ἐν τῇ πόλει ἄρξαι κληροῦσθαι*, id nihil ad Agricolam pertinet. Magis in hunc convenit, quod Maecenas imperia provinciarum continuari dissuasit (Dio Cass. LII, 23): *διόπερ οὐδὲ ἐπαλλήλας τὰς μείζους ἡγεμονείας οἱ καί τισι προσῆκον δίδοσθαι*, quod retinuit vel renovavit Claudius (Dio Cass. LX, 25): *οὐδενὶ ἀρχὴν ἐπ' ἀρχῇ παραχρῆμα ἐδίδου.* At quale annorum intervallum constitutum fuerit, nuspiam indicatum est. Ad illud quinquennium quod attinet, mireris C. Galbam a Suetonio (Galb. 8) dici *prohibitum a Tiberio sortiri anno suo proconsulatum.* Nam apud Tacit. Ann. VI, 40 *Coss. Q. Plautio Sex. Papinio* i. e. anno 775 *provinciam sortiri prohibitus* narratur. Consul autem fuit a. 763 igitur decimo tertio ante anno.

occiso Civica] Suet. Domit. 10 *complures senatores, in his aliquot consulares, interemit, in quibus Civicam Cerealem in ipso Asiae proconsulatu.*

ultro — interrogarent] quamquam ab Agricola non ad deliberandum adhibiti erant, neque is iam sortitus erat.

occultius — laudare] i. e. primum occultius agentes quietem laudare. Quietem enim satis aperte et palam laudabant, sed occultum erat quod animo agebant, ut Agricola provinciam excusaret. Alias Tacitus tum non adverbio sed adiectivo utitur, uti statim *non iam obscuri — pertraxere.* c. 22 *non avidus intercepit.* (Aliter Ann. IV, 12 *occulti laetabantur.* Sall. Iug. 61 *uti ad se occultus veniat.*)

excusatione offerre; postremo non iam obscuri, suadentes simul terrentesque pertraxere ad Domitianum. Qui paratus simulatione, in arrogantiam compositus, et audiit preces excusantis, et cum annuisset, agi sibi gratias passus est; nec erubuit beneficii invidia. Salarium tamen proconsulari solitum offerri et quibusdam a se ipsq concessum Agricolae non dedit, sive offensus non petitum, sive ex

1) non iam *Rhen.* non tam *ΔΓπ.* 2) terentesque *π*1*π*3 (*non π*2). 3) simulatione *ΔΓπ.* nis Al' *M* (*i. e.* simulationis). 5) proconsulari *Γπ.* pro-cos (r) *Δ.* proconsulare *coni. Bletterius. Hoc probatum Ernestio omnino adoptandum erit, donec exemplo aliquo demonstratum fuerit, Latinos dixisse:* homo proconsularis.

excusatione] dicunt enim Latini *excusare munus*, ablehnen.

pertraxere] illorum opera pertractus est ad Dom. i. e. commotus, ut ad Dom. properaret. Ann. I, 39 *extractum cubili Caesarem.* Hor. Sat. I, 1, 11 *qui rure extractus in urbem est.* Liv. XXIII, 23 *tempus hoc sedulo terens, ne deducendi sui caussa populum de foro abduceret.* Cf. ea, quae supra Pp. 108 disputavimus.

paratus simulatione] Confert Walchius Cic. ad Att. IX, 13 *hunc ita paratum video peditatu, equitatu.* Suet. Claud. 42 *cuidam barbaro graece et latine disserenti, quum utroque, inquit, sermone sis paratus.* Adde Cic. de orat. I, 9, 38 *eius filii diserti et omnibus vel naturae vel doctrinae praesidiis ad dicendum parati.* Usitatior est addita praepositio *ab.* Cic. ad fam. X, 8 *ab omni re paratus.* ad Att. VII, 15 *imparatus a pecunia.* de orat. I, 19, 85 *excitabatur homo promptus ab [homine] abundanti doctrina.* Sed tamen haud spernenda est scriptura cod. Ursini: *paratus simulationis*, cui haud dissimilia sunt Ann. VI, 12 *scientiae caerimoniarumque vetus.* 44 *vetus regnandi.* IV, 21 *validus orandi.* Hist. III, 53 *insolens obsequii* aliaque, quae enumerat Boetticher. lex. Tac. p. 213 sq.

in arrogantiam compositus] Ann. XIII, 20 *compositus ad maestitiam.* Hist. I, 54 *in squalorem maestitiamque compositi.* Liv. XXVI, 19 *in ostentationem compositus.* Plin. paneg. 76 *imperator in senatu ad reverentiam eius componebatur, ceterum egressus* cett. Saepius absolute dicitur, ubi est i. q. fictus. Sen. ad Helv. 16 *per ipsum tamen compositum fictumque vultum lacrimae profunduntur.* Ann. I, 7. II, 34. 82. IV, 1. Hist. III, 37. *Arrogantia* est h. l. affectata gravitas, hoheits-miene. Ann. I, 8 *arroganti moderatione.*

excusantis] sc. provinciam.

beneficii invidia] Non intellexerim cum Ernestio „invidiosos sermones, quos concitaturum esset tale beneficium", sed *invidia* uti c. 1 activam habet vim. Nimirum dum beneficium se simulat praestare, nil nisi invidiam et odium suum satiat. Iam quum sibi conscius esset, se malitiam suam pro beneficio venditare, exspectares eum erubuisse. Sed non magis erubuit quam Tiberius, qui quum Asinium Gallum interfici iussisset, *consultus an sepeliri sineret* eum, qui se peremisset, *non erubuit permittere.* Ann. VI, 23. Pichena confert Sen. de benef. IV, 17 *Quis est, qui non beneficus videri velit, qui non velit — et iis videri beneficium dedisse, quos laesit? Gratias itaque agi sibi ab his, quos afflixere, patiuntur.*

salarium] Dio Cass. LXXVIII, 22 refert Aufidium Frontonem denegata sibi provincia Africa salarium decies sestertium (*τὸ ἱκνούμενον γέρας*) sprevisse, *εἰπὼν, οὐκ ἀργυρίου ἀλλ' ἡγεμονίας δεῖσθαι.* Dubitat Reimarus, an *τοῦτο τὸ γέρας* idem sit quod *ἡ μισθοφορά* sive *ὁ μισθός*, quem magistratibus in provinciam euntibus datum esse idem Dio referat LII, 23. LIII, 506. Illo loco quum Dio dicat *τό γε μὴν ἱκνούμενον γέρας καὶ οἴκοι μείναντι αὐτῷ δοθῆναι εἰσηγήσατο*, apparet illum, non quia domi manserit, sed licet non abierit in provinciam, salarium oblatum esse.

conscientia, ne, quod vetuerat, videretur emisse. Proprium humani ingenii est odisse quem laeseris: Domitiani vero natura, praeceps in iram et, quo obscurior, eo irrevocabilior, moderatione tamen prudentiaque Agricolae leniebatur, quia non contumacia, neque inani iactatione libertatis famam fatumque provocabat. Sciant, quibus moris est illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum reipublicae usum ambitiosa morte inclaruerunt.

3) irrevocabilior *π*. inrevocabilior *ΔΓ*. 5) nec inani *Δ*. 6) moris est] est *om*. *π*3. 9) eo laudis *cett.*] *Suspicor scribendum:* eorum laudes excedere, qui. *Pp*. 140. 10) in nullum reipublicae usum *Υ Muret*. in ullum rei post usum *ΔΓ*. in nullum re p̄ usum Al' *M*. in nullum rei post usum *π*.

odisse quem laeseris] Seneca de ira II, 33 *hoc habent pessimum animi magna fortuna insolentes: quos laeserunt et oderunt.* III, 29 *quod iniquissimum est, pertinaciores nos facit iniquitas irae. Retinemus enim illam et augemus, quasi argumentum sit iuste irascentis graviter irasci.* Minucius Felix Octav. c. 27 *naturale est enim odisse quem timeas, et quem oderis infestare, si possis.* T. Ann. I, 33 *anxius occultis odiis, quorum caussae acriores, quia iniquae.* Thucyd. III, 40 *μάλιστα δὲ οἱ μὴ ξὺν προφάσει τινὰ κακῶς ποιοῦντες ἐπεξέρχονται.*

tamen — leniebatur] *tamen* additum est propter inserta verba: (quamquam) *praeceps in iram et — irrevocabilior* (erat). Exempla apud Ciceronem ubique obvia. pro Mil. 1 *non afferunt tamen* cett. c. 5 *nunquam tamen senatus* cett. ibid. *rempublicam tamen* cett. c. 22 *tamen illis praemium* cett. de orat. I, 21, 96 *tamen nos aliquid* cett. III, 1, 3 *tamen omnium consensu* cett. III, 4, 15 *tamen maius aliquid* cett. de Off. II, 13, 44 *tamen quaedam praecepta* cett. Liv. XXI, 48 *tamen quarta vigilia* cett. XXII, 13 *tamen — moverunt* cett. XXIII, 7 *Hannibal ingressus urbem — quamquam praeceps ingenio in iram erat, tamen — consumpsit.*

irrevocabilior] implacabilior. Ern.

famam fatumque] cf. ad verba c. 41 *in ipsam gloriam agebatur.* Germ. 35 *quieti secretique nulla provocant arma.*

illicita mirari] *Illicita* dicit quae patrant ii, qui per ambitiosam libertatis iactationem imperatori adversantur, qui abrupta ista contumacia nihil nisi multitudinis plausus movent et in nullum reipublicae usum ultro in perniciem ruunt. Quorum mores et facinora Tacitus, libertati ipse animo deditus, non vult *inhonesta* dicere, utpote ex elato animo et libertatis amore quamvis temerario et perverso enata, at sunt *illicita* i. e. legibus publicis vetita. Plin. ep. V, 14, 9 *oportet quidem, quae sunt inhonesta non quasi illicita, sed quasi pudenda vitare; iucundum tamen, si prohiberi publice videas, quod nunquam tibi ipse permiseris.* Seneca Troad. 334 *quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.* Sic Ann. III, 27 *illiciti honores* dicuntur, qui legibus publicis denegati erant plebeiis, et Ann. III, 12 quod alias dicitur *nitimur in vetitum*, a Tacito sic effertur: *quia illicita praevalent.* Contumaces igitur illos quia vulgus admirari et laudibus efferre solet, moderatos contra et temporum gnaros homines tanquam serviles et abiectos calumniatur, jam meliora multitudinem edocere vult Tacitus, ut rectius de his rebus iudicare discat. Vide de reliquis verbis Pp. 140. Doederlin. *illicita* voluntariam mortem illorum hominum intelligit, quasi Tacitus Platonis disciplinae deditus sit.

43 Finis vitae eius, nobis luctuosus, amicis tristis, extraneis etiam ignotisque non sine cura fuit. Vulgus quoque et hic aliud agens populus et ventitavere ad domum et per fora et circulos locuti sunt: nec quisquam audita morte Agricolae aut laetatus est, aut statim oblitus. Et augebat miserationem constans rumor, veneno interceptum: nobis nihil comperti, ut affirmare ausim. Ceterum per omnem valetudinem eius crebrius quam ex more principatus per

3) aliud agens *ΔΓ Riv. Rhen.* alius agens *π*. 4) et circulos *Γπ*. et per circulos *Δ*. 5) oblitus est. Augebat *ΔΓπ. Pp.* 88. *Idem coni. Fröhlich apud Halm.* 6) nobis *Δ Rhen.* nobis *Γ*. vobis *π*. 7) nihil comperti affirmare ausim *ΔΓπ*. *Quod supra ex coni. scripsi (Pp.* 63. 157*), idem nuperrime invenit C. Halm, nisi quod hic* affirmare ut ausim *scribit. Acidal. coni.* quod affirmare ausim. *Ritter:* quodve affirmare ausim. 8) valitudinem *ΔΓ*. — principatus] *Ursinus* principis *coniecit.*

Cap. 43. *extraneis*] *extranei* h. l. non sunt peregrini sed alieni. Suet. Claud. 4 *ac ne heredes quidem nisi inter tertios ac paene extraneos e parte sexta nuncupavit.* Multa ex iuris fontibus exempla vide apud Dirksen Manual. p. 358 et Brissonium de verb. signif. — Ad Agricolam nostrum num recte referat Lipsius epigramma quoddam Antiphili Anthol. Brunck. II, 180 (Palatina IX, 549) dubium et incertum est:

α. Κρηναῖαι λιβάδες, τί πεφεύγατε; ποῦ τόσον ὕδωρ;
τίς φλὸξ ἀενάους ἔσβεσεν ἠελίου;
β. Δάκρυσιν Ἀγρικολάο τετρύμεθα· πᾶν δ' ὅσον ἡμῖν
ἦν ποτὸν, ἡ κείνου διψὰς ἔχει σποδιή.

aliud agens populus] Alibi *aliud agere* is dicitur, qui minus attentus est ad id, de quo agitur. Ter. Eun. II, 3, 56 *alias res agis.* Hecyr. V, 3, 28 *ille alias res agere se simulare.* Cic. Brut. 66, 233 *ita furebat tamen, ut mirarere tam alias res agere populum, ut esset insano inter disertos locus.* pro Rosc. Am. 22, 60 *usque eo animadverti eum iocari atque alias res agere, antequam Chrysogonum nominavi, quem simulatque attigi, homo se erexit, mirari visus est.* Hoc autem loco *aliud agens* adiectivi naturam habet: *incuriosus*, gleichgültig, gedankenlos, theilnahmlos, nihil curans res, quae dignae sunt, ad quas animos advertant. Sen. cons. ad Polyb. c. 29 *quotidie praeter oculos nostros transeunt notorum ignotorumque funera: nos tamen aliud agimus, et subitum id putamus esse, quod nobis tota vita denuntiatur futurum.* Sen. ep. 1 *magna vitae pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* ep. 74 *ex quibus* (bonis) *quaedam aliud agentibus inciderunt, quaedam, quia nimis captabantur, amissa.* Cic. pro Cluent. 57, 155 *simul et illud, quam sit iniquum, cogitemus, populum Romanum aliud nunc agere, vobis rempublicam et fortunas suas commisisse, ipsum sine cura esse, non metuere, ne* cett. (Diversa sunt Sen. ep. 95 *dum aliud agit Virgilius noster, descripsit virum fortem.* ep. 108 *sed ne et ipse, dum aliud ago, in philologum aut grammaticum dilabar.* Cic. pro Cluent. 64, 179 *ut hunc Oppianicum aliud agentem et nihil eiusmodi cogitantem ad hanc accusationem detraheret.*) Eundem populum Tacitus Hist. II, 90 dicit *vacuum curis.* Hist. I, 90 *communium curarum expertem.* Discrepantes interpretationes Walchii („der geschäftlose grosse haufe") et aliorum nihil moror.

veneno interceptum] Dio Cassius LXVI, 20. Ann. II, 71 *scelere Pisonis interceptus.*

per nuntios visentis] crebrius quam fieri solet, cum principes per nuntios visunt, venere (i. e. missi sunt) libertorum primi.

nuncios visentis et libertorum primi et medicorum intimi venere, sive cura illud, sive inquisitio erat. Supremo quidem die momenta ipsa deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat, nullo credente sic accelerari, quae tristis audiret. Speciem tamen doloris animo vultuque prae se tulit, securus iam odii, et qui facilius dissimularet gaudium quam metum. Satis constabat, lecto testamento Agricolae, quo coheredem optimae uxori et piissimae filiae Domitianum scripsit, laetatum eum velut honore iudicioque. Tam caeca et corrupta mens assiduis adulationibus erat,

1) visentis *Γπ.* viseritis *Δ.* 3) momenta ipsa *ΔΓ Beck.* *om.* ipsa *π.* 4) constabat *Rhen.* constabant *ΔΓπ.* 5) speciem tamen *ΔΓ Rhen.* speciem tum *π.* speciem tantum *Riv.* 7) testamento *ΔΓ Riv.* testimonio *π.*

medicorum intimi] cum quibus videri posset consilia miscuisse de tollendo Agricola. Confert Walchius Ann. IV, 3 *sumitur in conscientiam Eudemus amicus ac medicus Liviae.*

cursores] „apparet Domitianum non fuisse tum Romae, sed in Albana villa aut alibi.“ Rhen.

animo vultuque] Offensioni fuerunt interpretibus haec verba, quia alibi, ubi iuxta ponuntur, *animus* ipsum animi affectum, *vultus* externum eius indicium, sive simulatum sive congruens cum illo, indicat. Cic. Act. in Verr. c. 8 *animi dolorem vultu tegere.* Liv. LXV, 5 *et animo magis quam vultu ea crimina accipiebat.* Sen. cons. ad Polyb. 24 *indue dissimilem animo tuo vultum.* Curt. VI, 9, 1 (32) *vultu praeferens dolorem animi.* Hist. IV, 31 *sacramentum non vultu neque animo satis affirmans.* Hist. I, 85 *animum vultumque conversis.* Plin. ep. VII, 1 *ad abstinentiam — animum vultumque composui.* Hoc autem loco etiam *animus* aliquid est, quod affectatur ad simulandum dolorem. Sit igitur necesse est externus aliquis quasi gestus, quo doloris speciem prae se ferre posset. Intellige igitur eum animi habitum (stimmung), unde alii suspicari possent, eum dolore percitum esse. Itaque *quod duces magni faciunt rebus affectis*, quod Seneca ait consol. ad Polyb. 24, *ut hilaritatem de industria simulent et adversas res adumbrata laetitia abscondant, ne militum animi, si fractam ducis sui mentem viderint, et ipsi collabantur,* item Domitianus, qui audita morte Agricolae laetabatur, sed dolere ea videri vellet, adumbrata maestitia doloris speciem prae se ferebat. Ne dicas, id fieri non posse nisi vultu, memineris animi affectiones prodi *vultu, oratione, omni reliquo motu et statu* (Cic. Tusc. III, 22, 52), *oculis, vultu, fronte* (de fato c. 5), *vultus, voces, motus statusque commutantur eorum, qui aut libidine aliqua aut metu commoti sunt* (de off. I, 29, 102). Sed ut ipse Tacitus sua interpretetur, lege sequentia *securus iam odii* i. e. sine curis odii, vacuus curis, quibus antea eum odium stimularat. Quia igitur animo iam quieto et securo erat, facile ei erat, qui alias vehemens, iracundus, praeceps in iram erat, lenitatem quandam et sedatum animi statum induere, hanc autem tranquillitatem et lenitatem venditabat pro maestitia et tristitia, quam non modo vultu sed sono vocis, incessu et quovis motu statuque affectabat. Noli hendiadyn statuere; cum dictione autem *odii securus* non suaserim conferre *dedecoris securus* Hist. III, 41, *potentiae securus* Ann. III, 28, *securus magnitudinis* Plin. paneg. 71. Haec enim ab illa dictione aliquantum differunt, quoniam illud neutiquam videtur esse: *„tranquille désormais sur l'objet de sa haine“.*

honore iudicioque] honos cernebatur in iudicio aliquo Agricolae. Pp. 170.

ut nesciret, a bono patre non scribi heredem nisi malum principem.

44 Natus erat Agricola Caio Caesare tertium consule Idibus Iuniis: excessit quarto et quinquagesimo anno decimo Kal. Septembr. Collega Priscoque coss. Quod si habitum quoque eius posteri noscere velint, decentior quam sublimior fuit: nihil metus in vultu, gratia oris supererat. Bonum virum facile crederes, magnum libenter. Et ipse quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis ere-

[3]) Caio Caesare tertium consule *Ursin. Lips.* C. Caes. ter Cos *ΔΓπ.* C. Caesare primum consule *coni. Buchnér. et Petavius. Pessime. Pp.* 199. [4]) quarto et quinquagesimo *ex coni. Broterii.* VI° et L^mo^ *ΔΓ.* sexto et quinquagesimo *π. Pp.* 199. [5]) Septembr. *Δ.* Septembris *Γ.* Septembres *π.* — Priscoque *Γπ.* Piscoque *Δ.* [7]) nihil metus in vultu *π.* nihil impetus in vultu *Γ.* metus Al'. *M.* nihil mętus et impetus in vultu *Δ. Pp.* 99. — supererat *Γπ.* superat *π*3.

non scribi heredem nisi malum principem] fecerunt enim hoc plerique, quia metuebant, ne si heres ex parte non scriptus esset princeps, rescisso testamento omnia bona suis deperirent. Ann. XVI, 11 *nec defuerunt, qui monerent magna ex parte heredem Caesarem nuncupare atque ita nepotibus de reliquo consulere.* Erepta hoc modo bona heredibus narrat Sueton. Calig. 38. Nero 32. Domit. 12. Propterea Caesares posteriores evitarunt eiusmodi hereditatum invidiam, Plin. paneg. 43. Capitolinus Antonin. philos. 7 *existimationis autem tantam curam habuit, ut — hereditates delatas reddens proximis aliquando respuerit.* Ael. Spartian. Hadrian. c. 17. A primordio regni etiam Domitianus (Suet. c. 9) *relictas sibi hereditates ab iis, quibus liberi erant, non recipiebat.* Neque Tiberius (Ann. II, 48) *hereditatem cuiusquam adiit, nisi quum amicitia meruisset.* Ceterum mireris Dionem Cassium de Agricola, qui Caesarem heredem scripsit, LXVI, 20 dicere: *ἔν τ' ἀτιμίᾳ τὸ λοιπὸν τοῦ βίου καὶ ἐν ἐνδείᾳ — ἔζησε.*

Cap. 44. *habitum*] c. 11 *habitus corporum.*

decentior quam sublimior] illud ad symmetriam corporis refert Boxhornius. Sueton. Domit. c. 18 *praeterea pulcher ac decens et toto quidem corpore exceptis pedibus, quorum digitos restrictiores habebat.*

nihil metus in vultu] nulla erat in ore maiestas, quae metum iniicere posset, quod alias proprium est hominum magnorum et eminentium. Cf. Hist. II, 1 (in Vespasiano) *decor oris cum quadam maiestate.* Ovid. Metam. II, 857 *nullae in fronte minae, nec formidabile lumen, pacem vultus habet.* Quintil. Instit. VI, 2, 21 *metum tamen duplicem intelligi volo, quem patimur et quem facimus.*

supererat] nulla inest comparatio. *Superesse* enim et alibi esse solet *abunde suppetere,* c. 45. Germ. 6. 26. Ann. I, 67. Hist. I, 51. Plin. paneg. 41. ep. I, 10, 12. et hoc loco affluens gratia oris et plena suavitatis intelligenda est.

libenter] hominis, qui invisus nobis est, invito animo et aegre agnoscimus quas habet virtutes, contra quem amamus, eius bona volenti animo et libenti agnoscimus et praedicamus.

et ipse] cf. ad c. 13.

medio in spatio integrae aetatis] Noli cum Walchio et aliis, ut Agricolae aetas LIV annorum dimidiata pars vitae unius hominis videatur, dial. c. 17 conferre: *centum et viginti anni ab interitu Ciceronis in hunc diem colliguntur, unius hominis aetas.* De his non cogitavit Tacitus, neque *integra aetas* est plenum vitae spatium, sed florens vitae aetas, qua integrae sunt vires, quam

ptus, quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit. Quippe et vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat, et consulari ac triumphalibus ornamentis praedito quid aliud adstruere fortuna poterat? Opibus nimiis non gaudebat, speciosae contigerant filiae atque uxori superstitibus. Potest videri etiam beatus incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis futura effugisse.

2) sita sunt *Γπ*. *om.* sunt *Δ*. 3) consulari *ΔΓ Beck.* consularibus *π*. *Pessime.* 4) adstruere *ΔΓπ*. astruere *Walch.* 5) spetiose non contingerant filia atque uxore *Δ*. speciose non contigerant filia atque uxore *Γ*. Al' speciosę contigerant filia atque uxō *M*. speciose contigerat filia atque uxore *π*. speciosae contigerant. Filia atque uxore *Rhen.* *Illud dedimus ex Sellingii coni. Pp.* 98. *Maior interpunctio ante* Potest *invenitur in ΔΓπ*. *In particula* non, *quam habent ΔΓ, forsitan* enim *latuerit. Pp.* 98.
ci
7) amiciis *Γ*.

Plin. ep. I, 12, 5 *viridem aetatem dicit.* Sueton. Tib. 10 *integra aetate ac valetudine statuit repente secedere.* Terent. Andr. I, 1, 45 *egregia forma atque aetate integra.* Non multum differt, quod Germanicus Ann. II, 71 *intra iuventam maturo exitu* abreptum se dicit. Contraria est *affecta aetas* Cic. de orat. I, 45, 200 *in eius infirmissima valetudine affectaque iam aetate.* in Verr. IV, 43, 95 *nemo Agrigenti neque aetate tam affecta, neque viribus tam infirmus fuit.* Pariter ei, qui *affectus* est *aetate* (Cato Mai. 14, 47. in Catil. II, 9, 20) opponitur is, qui est integer aevi Virg. Aen. IX, 255. Albinov. III, 5. Alibi aetas, quae non amplius integra est, *vergens* dicitur. Ann. II, 43. IV, 8. XII, 44. *Medium spatium* autem non intelligendum est vitae spatium, sed medius rerum gerendarum cursus, qui incidit in aetatem integram. Cic. de orat. III, 2, 7 *inanes nostras contentiones, quae in medio spatio saepe franguntur et corruunt, et ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt.* Ereptus igitur est Agricola in medio curriculo, quod emetiri solet integra aetas, sive quod percurrimus in ipso aetatis flore.

vera bona impleverat] Plin. ep. II, 1, 2 *perfunctus est tertio consulatu, ut summum fastigium privati hominis impleret.* I, 12, 11 *implevit annum septimum et sexagesimum.* V, 16, 1 *nondum annos quatuordecim impleverat.* Seneca ep. 79 *extollere se, quae iustam magnitudinem implevere, non possunt.* Ann. XIV, 54 *sed uterque mensuram implevimus.* Aliena contendit Walchius.

consulari] Puteolani scriptura *consularibus* omnino improbanda, quia *consularia ornamenta*, cuiusvis consulis propria, tum demum tamquam insigne et praecipuum aliquid commemorantur, si cui concessa sunt, qui non vere esset consul. Suet. Claud. 5. Ann. XV, 72. XVI, 17. Dronkii verba: „de consularibus ornamentis sive insignibus nusquam est sermo“ et Orellium, qui codd. lectionem ideo praefert, „quia semel duntaxat consul fuerat Agricola, contra triumphalia ornamenta multiplicia sunt, vestis, statua cett.“ fateor me non intelligere.

adstruere] Vell. Pat. II, 55 *nam victus ab eo Pharnaces vix quicquam gloriae eius adstruxit.* Plin. paneg. 74 *civitas — nihil felicitati suae putat adstrui posse, nisi ut dii Caesarem imitentur.* ep. IX, 33, 11 *quamquam non est opus, adfingas aliquid aut adstruas; sufficit, ne ea quae vera sunt minuantur.* III, 2 *itaque magni aestimo, dignitati eius aliquid adstruere.* Cf. Heinsium ad Ovid. art. amandi 119.

opibus nimiis non gaudebat] quid sit, vide Pp. 98.

beatus — futura effugisse] cf. c. 29 *vulnere ictus — filium amisit.*

Nam sicut magnae cuiusdam felicitatis esset, durare in hac beatissimi saeculi luce ac principem Traianum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur: ita festinatae mortis grande solatium tulit, evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non iam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rem-
45 publicam exhausit. Non vidit Agricola obsessam curiam et clausum armis senatum et eadem strage tot consularium caedes, tot nobilissimarum feminarum exsilia et fugas. Una adhuc victoria Carus Metius censebatur, et intra Al-

[1]) sicuti *ΔΓπ. Pp.* 97. — sicuti magnae cuiusdam felicitatis esse, durare *T.* sicuti durare *omissis interpositis verbis ΔΓπ. Pp.* 93. — in hanc lucem *coni. Acidalius. Pp.* 96. [2]) quod augurio *ΔΓπ. Rhen.* quod *delevit. Pp.* 93. [3]) aures *π.* auris *ΔΓ.* [4]) grande *ΔΓπ.* grave Al' *M. sed rursus expuncta est haec nota.* [8]) clausum *Δπ.* clusum *Γ.* [9]) exilia *ΔΓπ.* [10]) Carus Metius *Rhen.* clarus mitius *Δ.* charus mitius *Γ.* Mettius Al' *superscriptum in Γ.* Charus Mettius *in indice nominum ad marg. cod. Γ.* Charus Nutius *π*1. charus nuntius *π*2*π*3. — Albanam arcem *ΔΓ Lips.* villā *notatur in marg. cod. Γ. Hinc* Albanam arcem vilam *π.* Albanam villam *Rhen.*

augurio votisque] Pp. 27.

intervalla ac spiramenta temporum] „intervalla temporum, quibus homines paullisper veluti respirare atque animos perculsos aliquatenus colligere poterant." Orelli.

velut uno ictu] Seneca de ira III, 19 *qui* (Caligula) *de toto senatu trucidando cogitabat, qui optabat, ut populus Romanus unam cervicem haberet, ut scelera sua in unum ictum et unum diem cogeret.*

Cap. 45. *Non vidit*] Cic. de orat. III, 2, 8 *non vidit* (L. Crassus) *flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos, non luctum filiae, non exilium generi, non acerbissimam C. Marii fugam, non* cett. Seneca consol. ad Marc. c. 20 *non vidisset strictos in civilia capita mucrones* cett. Similia apud Liv. XXVI, 13. Senecae Troad. v. 144 sq.

clausum armis senatum] Non alibi hoc narratur, sed idem admisit Nero. Ann. XVI, 27.

consularium caedes] Suet. Domit. 10.

feminarum exilia] dicit Gratillam, uxorem Aruleni Rustici, Arriam Thraseae coniugem, Fanniam eiusdem filiam, quae bis maritum secuta in exilium, nunc tertio propter eum relegatur. Plin. ep. III, 11. VII, 19.

Carus Metius] De hoc et reliquis, qui nominantur, vide Pp. 215 sq.

una adhuc victoria censebatur] Adhuc unam tantum victoriam reportaverat delationibus suis, ex qua quum satis aestimari posset, quam periculosus futurus esset, maiorem tamen omnium opinione nequitiam postea prodidit. *Censeri* sive *aestimari aliqua re* nota dictio. Cf. dial. 39 *ut ipsi quoque, qui egerunt, non aliis magis orationibus censeantur.* Plin. paneg. 15 *miles te commilitone censetur* i. e. eo melior habetur, quod tuo in commilitio fuit. Val. Max. V, 3, 3 extr. *Aristides, quo totius Graeciae iustitia censetur.* Iustin. IX, 2 *Scythas virtute animi et duritia corporis, non opibus censeri.* XI, 11 *hoc se patre censeri iubet.* Sen. ep. 47 *non ministeriis illos aestimabo, sed moribus.* ep. 45 *qui hominem ea sola parte aestimat, qua homo est.* Liv. VII, 32 *Ne Sedicinorum cladibus Samnitium aestimarent virtutem.* Hist. IV, 73 *quia apud vos — bona ac mala non sua natura, sed vocibus seditiosorum aestimantur.*

intra Albanam arcem] nondum palam in curia, sed clanculum in principis secessu. Sita erat illa villa ad montem Albanum, eamque quasi arcem et regiam habebat Domitianus. Dio LXVII, 1 τοῦτο τὸ χω-

banam arcem sententia Messalini strepebat, et Massa Baebius iam tum reus erat. Mox nostrae duxere Helvidium in carcerem manus, nos Mauricum Rusticumque divisimus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit. Nero tamen subtraxit oculos suos, iussitque scelera non spectavit. Praecipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre et aspici: cum suspiria nostra subscriberentur, cum denotandis [tot hominum] pallore oribus sufficeret saevus ille vultus et rubor, quo se contra pudorem muniebat.

[1]) Bebius *Γπ*. Boebius *Δ*. [2]) iam tum *Γπ*. tum *Γ*. [3]) Nos Mauricium Rusticumque divisimus *TM* (*praemissa nota* Al'). Nos Maurici rusticique visus *ΔΓπ*. Pp. 143. *In indice nominum ad marg. cod. Γ* Mauricus *legitur*, *non* Mauricius. *Pro* nos *Rivius habet* nostros. [4]) Senecio *Lips*. Senetio *ΔΓπ*. [5]) oculos suos *ΔΓ Beck*. *om*. suos *π*. [6]) pallore oribus] palloribus *ΔΓπ*. *Pp*. 63. *Praeterea* tot hominum *uncis inclusi*, *non quia excusari non possit verborum collocatio; cf. Ann. I*, 67 donec expugnandi hostes spe propius succederent. *XIV*, 2 ardore retinendae Agrippinam potentiae eo usque provectam, *sed quia in adiectis his verbis nulla vis inest*, *nullum acumen*. — rubor quo *Lips. Ern*. rubor a quo *ΔΓπ*.

ρίον ὑπὸ τὸ ὄρος τὸ Ἀλβανὸν, ἀφ᾽ οὗπερ οὕτως ὠνομάσθη, ὃν ὥσπερ τινὰ ἀκρόπολιν ἐξείλετο. Huc convocavit pontifices damnaturos Corneliam vestalem (Plin. ep. IV, 11). *Surgitur et misso proceres exire iubentur consilio, quos Albanam dux magnus in arcem traxerat attonitos et festinare coactos, tanquam de Cattis aliquid torvisque Sycambris dicturus*. Iuven. IV, 145.

Massa Baebius iam tum reus erat] Pp. 216.

nostrae duxere — manus] Pp. 215. Prorsus inanis est quorundam opinio, Tacitum tum absentem fuisse. Pp. 27.

Mauricum Rusticumque divisimus] Pp. 214.

nos sanguine Senecio perfudit] i. e. interfuimus eius supplicio. Pp. 213.

oculos suos] Ann. III, 53 *in hac relatione subtrahi oculos meos melius fuit*.

videre et adspici] miserum erat, interesse suppliciis et Domitianum, qui his spectaculis quasi praesidebat, videre ab eoque adspici.

suspiria nostra subscriberentur] i. e. a delatoribus notarentur, qui hoc quasi crimine nos arcesserent et criminarentur. *Subscribere* est notare apud Sueton. Octav. 27 *quum Pinarium subscribere quaedam animadvertisset*. Calig. 29 *numerum puniendorum ex custodia subscribens*, quod ibid. c. 27 dicitur *adnotavit*. Quinctil. XII, 8, 8 *nec tanta sit acturo memoriae fiducia, ut subscribere audita pigeat*. Ceterum consulto Tacitus propter ambiguitatem quandam videtur hac potissimum voce usus esse. Nam quum in rebus forensibus accusatores *subscribere in aliquem* dicantur et *subscriptores* nominentur, inesse potest simul ea sententia: suspiria illa adhibita esse tanquam indices et accusatores sive *subscriptores*. Duobus verbis in eadem re utitur Seneca de benef. III, 26 *quod factum simul et Maro ex notis illius temporis vestigatoribus notavit. At servus — cum Maro iam subscriptionem componeret, ostendit manu sua annulum* cett.

sufficeret] multorum machinis, quas non patitur grammatica (Pp. 63), in quibus voci *denotare* per quasdam quasi praestigias mirifice praegnans significatio adfingitur, novum commentum nuper addidit Doederlinus: „nam quo rubicundior Domitiani vultus, eo facilior agnitu ac deprehensu ipsa coloris diversitate eorum vultus, qui super saevo aliquo principis iussu pallescebant.“ Immo: non horror modo et miseratio pallore infecit; sufficiebat vel adspectus rubicundi vultus Domitiani, ut pallesceremus.

rubor] Plin. paneg. 48 *ad haec ipsa oc-*

Tu vero felix, Agricola, non vitae tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis! Ut perhibent, qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, constans et libens fatum excepisti, tamquam pro virili portione innocentiam principi donares. Sed mihi filiaeque eius praeter acerbitatem parentis erepti auget moestitiam, quod assidere valetudini, fovere deficientem, satiari vultu complexuque non contigit. Excepissemus certe mandata vocesque, quas penitus animo figeremus. Noster hic dolor, nostrum

2) perbibent *π*. perhiberent *ΔΓ*. 5) filiaeque eius *ΔΓ Dronk.* filioque eius *π*. filiaeque *om.* eius *Rhen.* 6) valitudini *ΔΓπ*. 7) complexuque *ΔΓ Beck.* complexu *π*. 8) contigit *ΔΓ Beroald.* contingit *π*. — excepissemus *Pichena.* excepissem *ΔΓπ*. 9) figeremus *Δπ*. figeremus (pin. ΑΓ) *Γ*.

cursu quoque visuque terribilis: superbia in fronte, ira in oculis, femineus pallor in corpore, in ore impudentia, multo rubore suffusa. Philostratus VII, 28 p. 308, quem Casaubonus ad Suet. c. 18 affert, *δεῖ δὲ καὶ πρὸς τὸ φθέγμα τοῦ βασιλέως παρεσκευάσθαι σε καὶ πρὸς τὸ δύστροπον τοῦ προσώπου. Φθέγγεται μὲν γὰρ βαρὺ, κἂν πράως διαλέγηται, ἡ δὲ ὀφρὺς ἐπίκειται τῷ τοῦ ὀφθαλμοῦ ἤθει· μεστὴ δ᾽ ἡ παρειὰ χολῆς· ταυτὶ γὰρ μάλιστα ἐπιφαίνει.* Quod Suetonius c. 18 ait *statura fuit procera, vultu modesto ruborisque pleno,* id Gesner ad Plin. l. l. cum illis conciliare studet interpretando: „nempe ille rubor modestiae speciem habebat, erat itaque in Domitiano impudentia, quae pudoris quasi vestem indueret.“ Mihi Suetonius quae de rubore Domitiani tradita legit, secus et in melius videtur interpretatus esse, uti ab aliis, quum etiamtum adolescens esset Domitianus, *ignotis adhuc moribus crebra oris confusio pro modestia accipiebatur* Hist. IV, 40.

opportunitate mortis] Cic. de orat. III, 3 *ego vero te, Crasse, cum vitae flore tum mortis opportunitate divino consilio et ortum et exstinctum esse arbitror.* Brut. I, 4 *sed quoniam perpetua quadam felicitate usus* (Hortensius) *cessit e vita suo magis quam civium suorum tempore — illius mortis opportunitatem benevolentia potius quam misericordia prosequamur.*

pro virili portione] Hist. III, 20 *ut pro virili portione armis ac manu victoriam iuverit.* A vulgari usu discedit etiam Livius, quum subinde non *pro virili parte,* ut solet Cicero, sed *pro parte virili* dicat X, 8. III, 71, quamquam hoc librariis potius quam ipsi Livio tribuendum videtur, qui alibi, praef. *pro virili parte et ipsum consuluisse* et VII, 7. XXVI, 36 a tali patavinitate sibi caverit.

innocentiam principi] „i. e. veluti hoc ageres, ut, quantum in te esset, innocentiam Domitiani ostenderes. Nempe cum libenter [et aequo animo] mori se ostenderet, apparebat, nullam ei vim adhibitam per venenum.“ ERN.

auget maestitiam] c. 43 *et augebat miserationem.* Cic. Brut. 1 *augebat etiam molestiam, quod* cett., quo in loco non recte *augebam* scribit Peter.

assidere] constans dictio maxime apud Senecam frequens: *aegro assidere.*

excepissemus — voces] Confert Lipsius Hom. Iliad. 24, 744 *οὐδέ τί μοι εἶπας πυκινὸν ἔπος, οὗτέ κεν αἰεὶ μεμνήμην νύκτας τε καὶ ἤματα δακρυχέουσα.*

noster hic dolor] i. e. proprius nobis, quem praecipuum habemus prae ceteris. Saepe sic *noster, meus* est i. q. proprius. Cic. pro Mil. 29, 79 *ita communis erat omnium ille hostis, ut in communi odio paene aequaliter versaretur meum.* de orat. I, 1. *quam spem cum graves communium temporum tum varii nostri casus fefellerunt.* 10, 40 *qui tuo magis studio quam proprio aliquo munere disertorum ius a nobis civile didicisti.* §. 44 *non id mihi videbitur orator, sed Crassus sua quadam propria, non communi oratorum facultate posse.*

vulnus, nobis tum nostrae absentiae conditione [ante quadriennium] amissus est. Omnia sine dubio, optime parentum, assidente amantissima uxore, superfuere honori tuo: paucioribus tamen lacrimis compositus es, et novissima in luce desideravere aliquid oculi tui.

Si quis piorum manibus locus, si, ut sapientibus pla- 46
cet, non cum corpore exstinguuntur magnae animae: placide quiescas, nosque, domum tuam, ab infirmo desiderio et muliebribus lamentis ad contemplationem virtutum tuarum voces, quas neque lugeri neque plangi fas est. Admiratione te potius quam temporalibus laudibus et, si na-

1) nobis *Γπ*. *om.* *Δ*. — tam n̄rę absentię *Δ*. tam long$\overset{e}{a}$ absentiae *Γπ*. tum Al' *M*. *Pp*. 26. ante quadriennium, *quod ex interpretamento enatum videtur, uncis inclusi.* 2) amissus est *ΔΓπ* *Walth.* amissus es *Rhen.* — optime *ΔΓπ*. optima *Beroald. Rhen.* 4) lacrimis *Γ*. lachrymis *Δπ*. — compositus *Mπ*. comploratus *ΔΓ Beck. Idem praefert Halm.* 5) desyderavere *Γ*. 7) extinguntur *ΔΓ*. exstinguntur *π*. 8) nosque *ΔΓπ Pichena.* que *om. Rhen. edit. II.* 9) muliebribus *Γπ*. mulieribus *Δ*. 10) nec lugeri nec *Δ*. — admiratione te potius temporalibus laudibus et si natura suppeditet militum [multum *Δ*] decoramus *ΔΓπ*. admiratione te potius quam aemulatione decoremus (*sine interpositis verbis*) *T*. *Ex hoc codice edit. Bip. Engel. Oberlin* quam *receperunt et* aemulatione decoremus. *Bene; ceterum equidem, ut propius accederem ad codd. ΔΓ, ex Heinsii coni. satius putavi* aemulatu *scribere;* similitudine *coni. Grotius.* admiratione te potius et temporalibus laudibus *cett. coni. Riv.* admiratione te potius, te immortalibus laudibus *Lips.* et immortalibus laudibus *Gesner.*

compositus] Hist. I, 47 *Pisonem Verania uxor ac frater — composuere.* Heind. ad Hor. sat. I, 9, 28 *omnes composui.* Heins. ad Ovid. art. amandi III, 740.

desideravere aliquid] filiam et generum.

Cap. 46. *ad contemplationem virtutum*] Ann. XV, 63 *rogat oratque, temperaret dolori, ne aeternum susciperet, sed in contemplatione vitae per virtutem actae desiderium mariti solatiis honestis toleraret.*

neque lugeri neque plangi fas est] Liv. XXV, 38 *vos quoque velim, milites, non lamentis lacrimisque tanquam exstinctos prosequi (vivunt vigentque fama rerum gestarum) sed quotiescunque occurret memoria illorum* cett. Ann. II, 71 *non hoc praecipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu, sed quae voluerit meminisse, quae mandaverit exsequi.*

quam temporalibus laudibus] temporales laudes i. e. cito transituras dicit laudationes funebres, quae Caesarum quoque temporibus in honorem magnorum hominum habebantur. Sueton. Tib. 6 *defunctum patrem pro rostris laudavit.* Plin. ep. II, 1 *huius viri exequiae magnum ornamentum principi, magnum etiam foro et rostris attulerunt. Laudatus est a consule Cornelio Tacito.* VIII, 12 *funebribus laudationibus interesse.* Quintil. III, 9 *nam et funebres laudationes pendent frequenter ex publico aliquo beneficio, atque ex senatusconsulto magistratibus saepe mandantur.* Etiam *decorandi* vox ad exequias videtur animos adver-

tura suppeditet, aemulatu decoremus. Is verus honos, ea coniunctissimi cuiusque pietas. Id filiae quoque uxorique praeceperim, sic patris, sic mariti memoriam venerari, ut omnia facta dictaque eius secum revolvant, formamque ac figuram animi magis quam corporis complectantur: non quia intercedendum putem imaginibus, quae marmore aut aere finguntur, sed, ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis aeterna, quam tenere et exprimere non per alienam materiam et artem, sed tuis ipsis moribus possis. Quicquid ex Agricola amavimus, quicquid mirati sumus, manet mansurumque est in

1) honos *ΔΓπ.* honor *vulgo.* 4) formamque *Muret.* famamque *ΔΓπ.* 6) interdicendum *coni. Ursin.* 8) imbecilla *Γπ.* imbecillia *Δ.*

tere. Ennius ap. Cic. Tusc. I, 15, 34 *Nemo me lacrymis decoret nec funera fletu faxit.* Virgil. Aen. XI, 24. At Agricolae virtutes Tacitus *neque lugeri neque plangi* vult, *verus honos est,* ait, *admiratio,* quae a n i m o non v e r b i s continetur, atque *aemulatio.* Seneca quaest. nat. VII, 23 *omne, quod caussa temporalis accendit, cito intercidit.* Quintil. VII, 2, 10 *adiiciunt quidam peritorum, πάθος temporale esse.* Ulpian. L. 1 de testam. mil. Dig. XXXIX, 1 *militibus liberam testamenti factionem Iul. Caesar concessit, sed ea concessio temporalis erat.* L. 4, 1 de muneribus et hon. Dig. L. 4 *deficientium facultatibus ad munera — excusatio non perpetua, sed temporalis est.* L. 32 de usufructu Dig. VII, 1 *habitationis exceptione sive temporali sive usque ad mortem eius, qui excipit.* Paullus L. 55 de verb. sign. Dig. L. 16 *creditor autem is est, qui exceptione perpetua summoveri non potest. qui autem temporalem exceptionem timet* cett. Alias dicitur *temporarius.* Plin. N. H. XXXIV, 7, 17 *temporarium tantum theatrum.* Quintil. V, 10 *ira temporarius motus.* Plin. ep. VIII, 6, 13 *temporaria simulatio concordiae.* paneg. 91 *non ergo temporarium et subitum est.* Lipsii coniecturam *et immortalibus laudibus* improbandam puto, quia Tacitus tum non eam evitasset suspicionem, ut videretur suis Agricolae laudationibus immortalitatem vindicare velle. Quod ut poetis grandiloquis licet (Hor. Od. III, 30. II, 20. Ovid. Metam. XV, 871) ita non satis congruit cum Taciti verecundia, qui „magni viri spiritum" aliis magis rebus, quam libris suis arroganter efferendis prodit et prae se fert.

formamque ac figuram] Cf. cum Doederlino synonym. III, p. 27 Tusc. I, 16, 37 *animorum — formam aliquam ac figuram quaerebant.* de orat. III, 45, 179 *referte nunc animum ad hominum vel etiam ceterarum animantium formam ac figuram.* de fin. V, 12, 35 *corporis nostri partes totaque figura et forma et statura quam apta ad naturam sit, apparet.* Plin. paneg. 55, 11 *formam principis figuramque non aurum melius vel argentum, quam favor hominum exprimat teneatque.* de orat. II, 24, 98 *suam quandam expressit formam figuramque dicendi.*

tuis ipse moribus] Ann. XV, 62 *quod unum iam et tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitae suae relinquere testatur, cuius si memores essent — famam constantis amicitiae laturos.*

manet mansurumque est] Vellei. II, 66 *vivit vivetque per omnem seculorum memoriam.* Plin. ep. II, 1, 11 *vivit enim vivetque semper atque etiam latius in memoria hominum et sermone versabitur.* Seneca consol. ad Marc. 1 *cuius viget vigebitque memoria, quamdiu fuerit in pretio, romana cognosci.* Cf. Drakenb. ad Liv. XXXIX, 40, 8.

animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum. Nam multos veterum velut inglorios et ignobiles oblivio obruet: Agricola posteritati narratus et traditus, superstes erit.

[2]) ignobiles *Δπ.* ignobilis *Γ*. *In fine additum in Γ est* Τέλος, in *π* Finis.

fama rerum] Non licebit intelligere famam rerum ab Agricola gestarum, quamquam sic Livius XXV, 38 *vivunt vigentque Scipiones fama rerum gestarum.* Hist. IV, 39 *claros rerum fama et militum studiis.* Non bene enim congruunt: *quidquid ex Agricola amavimus, quidquid mirati sumus, manet in animis hominum fama rerum.* Ferenda haec sunt tum demum, si *famam rerum* interpretaberis *historiam*, quam c. 2 dicit *conscientiam generis humani.* Ann. IV, 35 *sequentis aevi memoriam.* Cic. pro Mil. 35, 97 *posteritatis memoriam.* Plin. l. l. *memoriam hominum*, ut idem sit quod poeta in Anthol. lat. I. p. 344 ait, *vivus in aeternum docta per ora volat.*

multos oblivio obruet, Agricola — superstes erit] Supra Pp. 46 docuimus hoc dictum esse pro: *dum multos oblivio obruet, Agricola — superstes erit.* M. Hauptius in Museo Rhen. ed. Welck. et Ritschel III. p. 152 vult *obruit* legi, qua coniectura vis huius sententiae maxima ex parte enervabitur. Nam si illos veteres oblivio obruit, ea fuit eorum gloria et rerum fama, ut facile everti posset. Habuerunt igitur gloriam, non laudem, neque vere fuerunt homines magni et clari, quorum ipsorum gloriam antiqui scriptores si veram dicere volunt, dicere solent eam *nulla vetustate obrui, nulla oblivione deleri posse.* Tales igitur veteres superare gloriae perennitate, quae tandem magna laus erit? Verum enim vero Agricolam multo nervosius, multo magnificentius Tacitus dicit superstitem futurum esse multorum veterum, qui adhuc clari habentur et in ore hominum versantur, neque vero ita vivent per omnium seculorum memoriam uti Agricola, qui, cum illi velut inglorii et ignobiles oblivioni traditi erunt, unus exsplendescet nominis sui gloria. Hos igitur orationis nervos ultro elidamus? Ipsum Hauptium quovis pignore contendo dudum hanc suam coniecturam improbasse. Mitto igitur alia argumenta, nam etiam illud *velut inglorios et ignobiles* indicat illos veteres adhuc nobiles esse et gloria florere.

posteritati narratus et traditus] Enixe deprecamur, ne quis haec a Tacito ita dicta interpretetur, quasi hoc suo maxime libro Agricolae nomen ad immortalitatis memoriam consecratum iri iactitare velit. Maiorem ille propositurus est Agricolae claritatem, quam quae ab unius scriptoris memoria ac literis pendeat. Ergo non quia libellum suum nimis efferre, sed quia deminuere Agricolae claritudinem videretur, deprecamur illam plerorumque interpretationem, quam Walchius iam improbavit. Quid? si verba premimus, poterimus adeo affirmare, voces *narratus et traditus* omnino non ad literarum memoriam referendas esse, sed idem significari, quod Ennius dicit Cic. Tusc. I, 15, 34 *volito vivu' per ora virûm*, Plinius l. l. *in memoria hominum et sermone versabitur* et poeta supra laudatus *vivus in aeternum docta per ora volat.* Sub finem igitur assurgit orator et ita exaggerat Agricolae magnitudinem, ut eum vel sine scriptorum praeconio per omne futurum tempus in ore et sermone hominum versaturum esse praedicet. Ne quis contra moneat, parum cum his congruere Horatianum illud Od. IV, 9, 25

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrimabiles
Urgentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro:

multa et alia apud Tacitum leguntur, quorum neque Horatius, neque Livius, neque Cicero ullam cogitationem susceperunt.

MANTISSA

de pronominibus *suum quisque* et *suus quisque.*

Quod supra c. 16 reposui *suae cuiusque iniuriae ultor* i. e. suam cuiusque iniuriam ultus, id quamquam non vereor ne quis secus interpretaturus sit, tamen admonitus Io. Nicolai Madvigii ad Cic. de fin. V, 17, 46 et Caroli Lachmanni ad Lucret. II, 371. IV, 40 adnotatione, non abs re puto de ista re grammatica pauca disputare. Nam quum quattuor sint genera exemplorum, in quibus pronomina *suus* et *quisque* coniuncta leguntur, multi olim, veluti Gronovius in Livio, alii in aliis scriptoribus, omnia ad unum genus referentes variis coniecturis scriptorum verba tentarunt. Quorum libidinem coerciturus Dukerus ad Liv. III, 22, 6 diversissima quaeque confundit, neque Madvigius, qui distinctius quam ab illo factum est eam rem se tractaturum profitetur, satis explicate de ea videtur exposuisse. Cui quum adstipuletur Lachmannus, quo maior et gravior est utriusque viri auctoritas, eo magis verendum, ne alii invitis illis ulterius posthac grassentur, praesertim quum ne illi quidem artis principes linguae latinae analogiam satis tuiti videantur. Nam si Iuvenalem VII, 213 Madvigius ait *sed Rufum atque alios caedit sua quaeque iuventus* dixisse, „quum debuerit *quemque* dicere", equidem Iuvenalem assero non modo debuisse *quemque* dicere, sed aliter dicere non potuisse; atque codices multi, in his unus optimus Pithoeanus, *quemque* vere praebent. Sed missa paulisper controversia, ante omnia, ne diversa confundantur, exempla in sua genera dispertiamus.

Ac primum quidem genus dico pervagatum illud et vulgare: *trahit sua quemque voluptas*, *amicis quisque suis scribebant*, *neque suum cuique ius modum faciebat.* Ex eodem genere sunt Caes. b. g. VII, 32 *divisum senatum, divisum populum, suasque cuiusque eorum*

clientelas. Liv. II, 44 *suos cuique parti magistratus esse.* Cic. de orat. III, 61, 227 *in omni voce est quiddam medium, sed suum cuique voci.* III, 9, 35 *etenim videmus ex eodem quasi ludo summorum in suo cuiusque genere artificum et magistrorum exisse discipulos.*

Alterum genus dixerim eorum, in quibus *suus cuiusque* arcte copulatum idem est quod *proprius cuiusque.* Cic. de off. III, 33, 119 *ad suam cuiusque naturam consilium est omne revocandum.* I, 31, 113 *id enim maxime decet, quod est cuiusque maxime suum.* de fin. V, 24, 69 *officia quae oriuntur a suo cuiusque genere virtutis.* Plin. ep. II, 5 *veremur, ne quibusdam pars aliqua secundum suam cuiusque naturam non probetur.* Apud Quintil. Inst. VII, 10, 10 ex optimis libris repone: *nam medicus, quid in quoque valetudinis genere faciendum sit, quid quibusque signis providendum, docebit: vim sentiendi, pulsus venarum, — — quae sui sunt cuiusque ingenii, non dabit.* In hoc genere *suus* haud raro pertinet ad rei familiaris possessionem et ad ea, quae ita propria sunt, ut non sint communia, sed privata. Cic. de off. I, 7, 22 *ex quo, quia suum cuiusque fit, eorum quae natura fuerant communia quod cuique obtigit, id quisque teneat; eo si qui sibi plus appetet, violabit ius humanae societatis.* de fin. III, 20, 67 *non adversatur ius, quo minus suum quidque cuiusque sit.* de off. II, 22, 78 *ut sit libera et non sollicita suae rei cuiusque custodia.* III, 12, 53 *sed num ista societas talis est, ut nihil suum cuiusque sit?* quo in loco ut in formula constanti *cuiusque* praeferendum duco alteri scripturae *cuiusquam.* Ulpian. L. 41 de leg. (Dig. I, 3) *aut enim hoc agitur, quomodo quid cuiusque fiat.* Huc igitur referendum Agr. c. 16 *suae cuiusque iniuriae ultor* i. e. non communi poena cunctos punivit, sed suam et propriam cuiusque exagitavit culpam. Subinde *proprius suus* copulatur. Cic. de fin. V, 23, 67 *tamen proprium suum cuiusque munus est.*

Tertium genus est, in quibus *suus* est i. q. *legitimus* partimque cum nomine suo in unam notionem coalescit, cui adiicitur *quisque* i. e. *omnis.* Paulus L. 12 de usuris (Dig. XXII, 1) *nisi sua quaque die usurae exsolverentur.* *Suam diem* quam dicant iureconsulti, facile vides ex Ulpiano L. 47 de verb. obl. (Dig. XLV, 1): *qui sic stipulatur: quod te mihi illis Kalendis dare oportet, id dare spondes? videtur non hodie stipulari, sed sua die, hoc est Kalendis.* Iam si Paulus h. l. dicit *sua quaque die,* manifestum est eum dicere omnes dies, quibus pensiones praestandae sunt, sive omnium pensionum dies. Docet hoc Pomponius L. 8. §. 3 de pignerat. (Dig. XIII, 7) *si annua, bima, trima die stipulatus acceperim pignus pactusque sim, ut nisi sua quaque die pecunia*

soluta esset, vendere eam mihi liceret, placet, antequam omnium pensionum dies veniret, non posse me pignus vendere, quia eis verbis omnes pensiones demonstrarentur. Nec verum est, sua quaque die non solutam pecuniam, antequam omnes dies venirent, sed omnibus pensionibus praeteritis, etiamsi una portio soluta non sit, pignus potest venire. Sed si ita scriptum sit: si qua pecunia sua die soluta non erit, statim competit ei pacti conventio. Iam cum *sua die*, ad quam pecunia aliqua solvenda est, et *suo tempore* (i. e. statuto tempore), quo aliquid reddendum est (L. 17. §. 2 qu. in fr. cred. Dig. XLII, 8), apte comparatur *suum tempus*, quo opus aliquod in re rustica faciendum est. Hinc Gaius L. 25. §. 3 Locat. cond. (Dig. XIX, 2) *secundum legem conductionis ante omnia colonus curare debet, ut opera rustica suo quoque tempore faciat, ne intempestiva cultura deteriorem fundum faciat.* Quo in loco ne *suo quaeque tempore* scribendum putes, cf. Columell. XI, 3 *opera quae suis quibusque temporibus anni villicum exsequi oporteret.* Idem prorsus valet de tesseris frumentariis, quae in Digestis hic illic *emi, legari, comparari* et *ad certum* quidem *diem* dicuntur (L. 52, 1 de iudiciis. Dig. V, 1. L. 49, 1. L. 87 de legat. 2. Dig. XXXI). Intelliges igitur, quid sit apud Sueton. Octav. 40 *ac ne plebs frumentationum caussa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum quaternum mensium tesseras dare destinavit, sed desideranti consuetudinem veterem concessit rursus, ut sui cuiusque mensis acciperet.* In his *cuiusque mensis* tesseras intellige singulas duodecim mensium; eaedem autem erant *sui mensis* tesserae i. e. certo quaeque suo mense exhibendae eiusque nomine insignitae: für jeden monat eine auf diesen monat lautende marke. Simili fere modo explicandum erit quod Livius XXXIII, 46 narrat: *quin et pecunia, quae in stipendium Romanis suo quoque anno penderetur, deerat,* i. e. an jedem zahlungstermine, sive jedes mal, wenn der tribut zu zahlen ist. *Suum annum* dicit Livius, non *suam diem*, quia in annos dispertita erant tributa. Non ferendam esse Gronovii coniecturam *suo quaeque anno*, monuit iam Madvigius. Non enim singulorum annorum diversae erant pensiones, sed, uti narratur XXX, 37, *decem millia talentum argenti descripta pensionibus aequis in annos quinquaginta solverent* (τάλαντα μύρια ἐν ἔτεσι πεντήκοντα, φέροντας καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τάλαντα διακόσια. Polyb. XV, 18, 7). Huic loco simillimus est Vitruv. II, 9, 4 *ea enim quum suo quoque tempore* (sic duo optimi libri) *ad imum perforata castrantur, profundunt e medullis liquorem:* diese lassen immer, wenn sie zur gehörigen zeit gehauen werden, den saft fliessen. Non probandum quod vulgo scribitur *quaeque.* Nam unum tempus omnibus assi-

gnatum est. Dicit enim Vitruvius initio eiusdem capitis: *materia caedenda est a primo auctumno ad id tempus, quod erit antequam flare incipiat Favonius.* Tab. Heracl. V. 92 et 101 *quae stipendia in castris inve provincia maiorem partem sui cuiusque anni fecerit aut bina semestria.* In his *suus annus* est is annus, quo stipendia aliquis merere debet; *quisque* autem est unusquisque annus. Magnum est discrimen, utrum dicas: *illi suo quoque anno magistratus adepti sunt*, an *illi suo quisque anno magistratus adepti sunt.* Illud est: quemque magistratum illi suo anno adepti sunt, jedes amt zur gehörigen zeit; hoc erit: quem quisque eorum magistratum adeptus est, alter consulatum, alter praeturam, eum suo anno adeptus est. Huc itidem dixerim referri posse duo apud Varronem de re rust. exempla, si quidem Lachmannus recte hoc modo emendavit: I, 7 *quaecunque suo quoque loco sunt posita, ea minus loci occupant* (vulgo: *quae suo quidque loco*). I, 22, 6 *instrumentum et supellectilem rusticam omnem oportet habere scripta in urbe et rure dominum, villicum contra ea ruri omnia certo suo quoque loco ad villam seposita* (vulgo: *suo quaeque loco*). Nam si singulae res suo quaeque loco positae sunt, universae et cunctae suo quoque loco positae erunt; atque loquitur scriptor non de singulis potissimum rebus, sed de continuo cunctarum complexu.

Quae adhuc attulimus exempla, eorum nullum tale est quo demonstrari possit, Latinos habuisse pronomen aliquod *suus-quisque*, quod quasi „pro una voce“ haberi, ut Madvigius ait, et, uti vult Dukerus, cum *unusquisque, quotusquisque* conferri queat. Videamus iam quartum genus exemplorum. Cic. Academ. II, 7, 19 *ut nemo sit nostrum, quin in sensibus sui cuiusque generis iudicium requirat acrius.* Vitruv. I, 3, 2 *et ad regiones sui cuiusque generis apta et commoda distributio.* Varro de l. l. IX, p. 172 Bip. *nam cum sint verba alia infecta, alia perfecta, et debeant sui cuiusque generis in coniungendo copulari.* VIII, p. 132 [IX, p. 474] *non ex aquilis aquilae atque ex turdis qui procreantur turdi, sic ex reliquis sui cuiusque generis?* Cic. de orat. III, 57, 216 *acuta, gravis, cita, tarda, magna, parva; quas tamen inter omnes suo quoque in genere mediocris* (vulgo *quaeque,* illud ex bonis libris Lachmann). Lucret. II, 371 *non tamen omne quique suo genere inter se simile esse videbis, quin intercurrat* cett. Sic emendavit Lachmannus, ceterum equidem ante haec verba duo hemistichia excidisse suspicor, nam *postremo quodvis frumentum* non intelligo. Itidem Varro de l. l. VIII, p. 154, ubi ed. Bip. *quisque* habet, scribendum mihi videtur: *quocirca non si genus cum genere discrepat, sed in suo quoque genere, si quid deest, requirendum.* Varro VIII, p. 133 [IX, p.

475] *quid pueri et puellae? non horum ita inter se omnia similia membra, ut separatim in suo utroque genere similitudine sint paria?* Ex his exemplis cognoscitur, habere Latinos dictiones quasdam *sui cuiusque generis*, *suo cuique generi*, *in suo quoque genere*, quae conferri possunt cum nostra dictione: der *respective*, der *bezügliche*, der *betreffende*. Accusativi nullum invenitur exemplum, neque statuendus erit nominativus *suus-quisque*. Ubique enim illud attributivum est, non praedicativum. Huic igitur generi non dubito accensere haec exempla. Tac. Ann. XIV, 27 *non enim, ut olim, universae legiones deducebantur cum tribunis et centurionibus et sui cuiusque ordinis militibus, sed ignoti inter se diversis manipulis*. Caes. b. civ. I, 83 *primam aciem quaternae cohortes ex V legionibus tenebant, has subsidiariae ternae et rursus aliae totidem suae cuiusque legionis subsequebantur*. Liv. XXV, 17 *armatum exercitum decurrisse cum tripudiis Hispanorum motibusque armorum suae cuique genti assuetis*. III, 22 *Fabius non permixtam unam sociorum civiumque, sed trium populorum tres separatim acies instruxit*; *equites item suae cuique parti post principia collocat*. Sueton. Octav. 66 *reliqui potentia atque opibus ad finem vitae sui cuiusque ordinis principes floruerunt*. Colum. de re rust. III, 1 (arbores) *silvestres ac ferae sui cuiusque ingenii poma vel semina gerunt*. Varro de l. l. VIII, p. 154 [IX, p. 533] *cum analogiae sui cuiusque temporis verba debeant discriminare*. Gell. X, 9 *Translata autem sunt* (quaedam vocabula militaria) *ab ipsis rebus, quae ita proprie nominantur, earumque rerum in acie instruenda sui cuiusque vocabuli imagines ostenduntur*.

Videamus iam, quoniam nominativi nulla exempla esse asseruimus, alios quosdam locos. Cic. de fin. V, 17, 46 *sed quia cuiusque partis naturae et in corpore et in animo sua quaeque vis sit*. Hoc illud ipsum exemplum est, a quo Madvigius et Lachmannus exordiuntur. Aiunt illi, quia antecesserit *cuiusque partis*, propterea Ciceronem non dicere potuisse *sua cuiusque vis*, idcirco maluisse *sua quaeque vis* dicere. At si *sua quaeque* „pro una voce“ habendum esse dices et ei generi accensebis, quod ego quartum genus nominavi, in quo illud pronomen attributive dictum est, tum nullum omnino habebimus praedicatum. Nam illa *cuiusque partis sua quaeque vis* quid tandem esse praedicatur? Tu igitur praedicatum esse existimato *sua*, ad cuius notionem nihil omnino pertinet addita vox *quaeque*. Hoc ut appareat, illa verba graece reddamus. *Cuiusque partis sua vis est* (Cf. V, 9, 25 *sua cuiusque animantis natura est*) graece erit ἕκαστον μέρος ἰδίαν ἔχει φύσιν, at *cuiusque partis sua quaeque vis est* erit ἕκαστον μέρος ἰδίαν ἔχει τὴν φύσιν, i. e. ἡ φύσις, ἣν ἔχει,

ἰδία ἐστὶν ἑκάστου μέρους, sive *πᾶσα φύσις, ἣν ἔχει τὰ μέρη, ἰδία ἐστὶν ἑκάστου τοῦ μέρους*. Cf. Plat. Symp. p. 216 c. *τὴν δύναμιν ὡς θαυμασίαν ἔχει* i. e. *ὡς θαυμασία ἐστὶν ἡ δύναμις, ἣν ἔχει*. Sed nihil opus exemplis in re tralatitia, neque enim quemquam fugit, quid differant *πιστοῖς ἐχρήσατο φίλοις* et *πιστοῖς ἐχρήσατο τοῖς φίλοις*. Eandem igitur vim habet illud *quaeque* i. e. *quaeque vis*, quam habet aliqua pars, *cuiusque partis sua est* et propria, sive, ut Latini ipsi dicere solent: *quaeque vis, quam quaeque pars habet, sua cuiusque est.* Jegliches wesen, was die einzelnen theile haben, ist ein ihnen eigenthümliches. Sic, quia civitates Italiae diversum habent ius, latine dici puto: *cuiusque civitatis suum quodque ius est.*

Apud Cornelium Nepotem Att. 11 nuperrime editores C. L. Roth et C. Nipperdeius scripserunt: *sui cuique mores fingunt fortunam hominibus.* Quod Nipperdeius spicilegio p. 78 suaserat, ut *cuique* per appositionem subiungeretur sequenti voci *hominibus*, id haud scio an recte improbaverit Lachmannus, quia antecedere tum debebat *hominibus*, neque inverti talia possunt. Lachmannus igitur scribi vult *sui quique mores.* Hoc quidem mea sententia nil significare poterit nisi: *sui* (cuiusque) *mores, cuiuscunque sunt generis*, quod vereor ne cuivis ex supervacaneo et putide additum videatur. Verum ego omnino dubito, num *hominibus*, quod olim in editt. aberat, ab illis iure sit adoptatum. Nam ut gravissima sit eorum codicum auctoritas, ex quibus illam vocem arripuerunt, nonne vel in optimos codd. menda et additamenta invaserunt maximeque in versibus aut addendis aut explendis suam operam venditarunt veteres grammatici? Itaque equidem tum demum illud vocabulum recte additum credam, si demonstratum fuerit, quae adhuc legebantur verba *sui cuique mores fingunt fortunam* vere esse versus veteris alicuius poetae partem. Quis autem hoc praestabit? An ipse Cornelius Nepos? Is ait: *ut vere dictum videatur: sui cuique* cett. iterumque c. 19 *sicut supra significavimus, suos cuique mores plerumque conciliare fortunam.* An Nonius Marcellus p. 526, qui dicit: *sententia philosophica, quae ait sui cuique mores fortunam fingunt?* [Hunc adeo ordinem verborum praebet mea Merceri editio Lips. 1826, sed sit iste quidem error editoris Lipsiensis.] Bothium autem fragm. p. 234 quaeque iste sibi *con*fingit fabrica sua, non dignum profecto erat Lachmanni persona commemorare. Poetas, si illam sententiam pronunciarent, alia forma usos esse, docet Cicero paradoxis 34; atque hi quam unam vocem *cuique* communem habent cum vulgato proverbio, eam ipsam mutatam vult Lachmannus. Sed adeo si genuina sit scriptura *hominibus*, non opus puto illa Lachmanni coniectura. Nam si versus pateretur

scribere *sui cuiusque mores*, in eo profecto ipse acquiesceret Lachmannus. Quid autem? quod Latini proprium et suum *alicuius* dicunt, idem nonne dicere possunt suum et proprium *alicui?* Sic operas suas cuiusque mensis Palladius de re rust. I, 43 *operas* dicit *suas singulis mensibus*. Et quo alio modo explicabis frequentes illas dictiones *suo sibi gladio hunc iugulabo* Ter. Ad. V, 8, 35. *suo sibi succo vivunt* Plaut. Capt. I, 1, 13. *suam rem sibi salvam sistam* Poen. V, 2, 123. *locus argumento suus sibi est proscenium* Poen. prol. 57. *hunc telo suo sibi pellere* Amphit. I, 1, 113. *suo sibi servit patri* Capt. prol. 5. 50. *suo sibi argumento confutatus est* Gell. V, 10. *uvas suo sibi pampino tegito* Colum. de arbor. 11. *ut suo sibi iure ablui possint* de re rust. 12, 7. in suo sibi iure decoquuntur 12, 41. 54. *qui deo et patri indulgentissimo sua sibi opera praetulerunt* Lactant. II, 5, 6, ubi plura affert Buenemannus.

Sed ex attributivo genere esse exempla illa omnia, maxime apparere mihi videtur ex Virgil. eclog. VII, 54 *strata iacent passim sua quaeque sub arbore poma.* Hanc omnium librorum scripturam recte dicit Lachmannus retinendam esse, sed quomodo illud explicandum sit et quomodo huic generi adnumerari possit, non edocuit. Tu igitur a scriptore prosaico finge scriptum: *strata iacent passim sub arboribus sui cuiusque generis poma.* Iam poeta pro *cuiusque generis poma* scripsit *quaeque poma*, ut fere solent Graeci *πάντα* dicere, et aequaliter iam pro *sui generis poma* dixit *sua poma*, denique *sub arbore* pro *sub arboribus*. Nullo autem modo illud Virgilii dictum referri poterit ad primum quod diximus genus.

Non probaverim, quod Lachmannus affert Festum p. 344, 21 *sex Vestae sacerdotes constitutae sunt, ut populus pro sua quaque parte haberet ministram sacrorum.* Nam *quia civitas Romana*, ut Festus addit, *in sex est distributa partes, in primos secundosque Titienses, Ramnes, Luceres,* has nimirum populus dicit sex suas partes, pro quarum unaquaque si sacerdos constituta est, quid tandem mirum Festum dicere *pro sua quaque parte?* Quodsi monueris sententiam inesse, *ut suam quaeque pars sacerdotem haberet,* ut fere Livius X, 6 dicit *ut tres antiquae tribus suum quaeque augurem habeant:* non de sententia nunc quidem agitur, sed de verborum constructione et forma. Nec Lucretii verbis IV, 40

cum corpus simul atque animi natura perempta
in sua discessum dederint primordia quaeque

alienum putat Lachmannus adhibere illud artificium, ut pro *corpus et animus in sua quisque primordia discedit* dici posse existimet *in sua quaeque primordia.* Quominus id amplectatur, prohibetur ea una cogitatione, quod verba *discessum dederint* dativum flagitare videan-

tur. Scripsit igitur *quoique*. Neutrum probaverim. Nam ut *fugam dare* aliis plerisque locis sit *fugam concedere*, negari tamen non potest Aen. XII, 367 illud esse i. q. *fugere*, uti alibi poetae *saltum*, *motum*, *tortum* (in fugiendo) *dare* dicunt (Ovid. Met. III, 599. V, 629. Aen. V, 276). Itaque poeta idem mihi dicere videtur, quod paullo ante v. 28 dicit: *quove modo distracta rediret in ordia prima.* Illa autem *primordia quaeque* non sunt primordia *cuiusque* sive *utriusque*, sed quum animus et corpus conflatum poetae videatur e pluribus seminibus, quidni poeta et corpus et animum in omnia sua primordia, *minuta* illa *laevia* atque *rotunda* discedere dicat?

I. INDEX SCRIPTORUM.

II. INDEX RERUM ET VERBORUM.

CORRIGENDA.

Lege p. 20 not. *more ancient.* p. 21 l. 16 a Theodoro. p. 22 not. l. 8 ad sat. II, 99. p. 29 l. 15 fieri. p. 33 not. l. 24 omissum vellem exemplum ex Cic. ad fam. VI, 1. p. 35 l. 29 lege *propior timor.* p. 41 l. 10 temporis praeteriti momentum. p. 55 l. 24 corruptelae. p. 66 l. 19 dixerit quispiam. p. 93 l. 1 ulla laudis et famae. p. 100 not. l. 4 spernendam. p. 127 l. 25 addidit mensuram. p. 142 l. 9 ea tantum possunt. p. 146 l. 35 Nervae. p. 151 l. 28 paneg. c. 28. p. 161 l. 20 post vocem „litterae" adde: eas leget. p. 162 l. 24 deleas verba: subinde titulo — *lege feliciter.* p. 178 not. l. 13 lege: Cic. ad Att. X, 8, 6. p. 194 l. ult. *nor indeed.* p. 195 not. l. 9 somniat. p. 240 not. l. 14 ad Sall. Cat. 31, 5. p. 303 not. l. 20 lege: Philosophorum in his nulla mentio, nisi forte ad priorem philosophorum sub Domitiano expulsionem respici putas, quam breviter Pp. 217. not. attigimus. De intermissa eloquentia cf. Plin. ep. VIII, 14.

In adnotatione critica.

Lege p. 233 l. 3. *quod in Γ legitur.* p. 240 l. 6 fortunam *om. Γ.* p. 247 l. 5 remigrantibus *π.* p. 249 l. 9 *adscripsit.* p. 262 aut recentis *Rhen.* p. 272 *deinde* revecti *Rhen.*

Im Verlage von Friedrich Vieweg und Sohn in Braunschweig ist erschienen:

Handwörterbuch
der
Griechischen Sprache
von Dr. W. Pape,
Professor am Berlinischen Gymnasium zum Grauen Kloster.
In vier Bänden.

Lexikon=Octav. Erster und zweiter Band, jeder von 90 Bogen, das griechisch=deutsche Wörterbuch; dritter Band von 28 Bogen, die griechischen Eigennamen (Zweite überall berichtigte und vermehrte Auflage); vierter Band von 56 Bogen, das deutsch=griechische Wörterbuch enthaltend.

Subscriptionspreise.

Für das ganze Werk von vier Bänden	10 Thlr.
Für das griechisch=deutsche Wörterbuch von zwei Bänden	6 Thlr.
Für das Wörterbuch der griechischen Eigennamen	1⅓ Thlr.
Für das deutsch=griechische Wörterbuch	2⅔ Thlr.

Auf 6 Exemplare ein Freiexemplar.

Pape's griechisch=deutsches Wörterbuch ist in der neuen Auflage jetzt vollständig erschienen. Es ist diese eine durchweg vermehrte und verbesserte, die das treffliche Werk auf den Höhenpunkt der Wissenschaft stellt. Der Verfasser ist in dieser zweiten Auflage seinem ursprünglichen Plane treu geblieben, ein gründliches Studium der griechischen Sprache durch Zusammenstellung der in den Hauptschriftstellern vorkommenden Verbindungen eines Wortes zu fördern. Pape's Wörterbuch hat in seiner tiefen wissenschaftlichen Bedeutung, in der praktischen Tüchtigkeit, welche es für den Unterricht bietet, sich dem Gelehrten wie dem Schüler gleichmäßig so nützlich erwiesen und rasch eine so allgemeine Verbreitung gewonnen — die erste 5000 Exemplare starke Auflage wurde binnen 5 Jahren vergriffen —, daß zu seiner Empfehlung nichts hinzuzufügen ist. Der Gelehrte kann das Buch nicht entbehren und der Schüler erwirbt in ihm einen Schatz, der für's Leben dauert und nicht verworfen zu werden braucht, wie das mit allen kürzeren Wörterbüchern der Fall ist, die dem höheren Unterrichte nicht mehr genügen und dem Schüler nur doppelte Ausgaben veranlassen.

Von jeder Abtheilung des Pape'schen Wörterbuchs wird auf 6 auf einmal bestellte Exemplare ein Freiexemplar von jeder guten Buchhandlung gewährt, was die Einführung in die Gymnasien sehr erleichtert. Der Preis ist in der neuen Auflage trotz der sehr vermehrten Bogenzahl nicht erhöht worden.

Handbuch
der
griechischen und lateinischen
Literaturgeschichte.
Zum Schulgebrauch
von P. H. Tregder.
Frei für deutsche Schulzwecke bearbeitet
von E. Vollbehr.
8. Velinpap. geh. Preis 16 Sgr.

Ares.
Ein Beitrag zur Entwickelungsgeschichte
der
griechischen Religion.
Von Heinrich Dietrich Müller.
8. Velinpap. geh. Preis 16 Sgr.

Im Verlage von Friedrich Vieweg und Sohn in Braunschweig ist erschienen:

Lateinische Sprachlehre für Schulen.

Von Dr. J. N. Madvig,
Professor an der Universität in Copenhagen.

Zweite verbesserte Ausgabe.

gr. 8°. Velinpapier. geh. Preis: 1 Thlr.

Indem wir diese zweite verbesserte Auflage von Madvig's lateinischer Sprachlehre für Schulen anzeigen, machen wir darauf aufmerksam, daß wir, um die Einführung des trefflichen Buches möglichst zu erleichtern, trotz der vermehrten Bogenzahl, den Preis dennoch um 1/4 vermindert und auf einen Thaler festgesetzt haben.

Es sind vom Herrn Verfasser Vorkehrungen getroffen, welche den Gebrauch der ersten Auflage neben dem der zweiten vermitteln (siehe Vorrede pag. VI.) und in Berücksichtigung dieses Umstandes dürfte es von Interesse sein und die Einführung des Buches in die Schulen noch mehr erleichtern, daß wir einen Rest Exemplare erster Auflage auf 1/3 Thlr. im Preise herabsetzen. Außerdem geben wir von beiden Auflagen auf 6 auf einmal bezogene Exemplare ein Frei-Exemplar.

Gleichzeitig bringen wir zur Anzeige, daß sich Madvig's lateinischer Sprachlehre für Schulen auch eine kurze Bearbeitung für die unteren Klassen des baldigsten anreihen wird, welche den Preis von 1/3 Thlr. kaum übersteigen möchte. Eine Anleitung zum Uebersetzen aus dem Deutschen ins Lateinische, mit steter Bezugnahme auf die Regeln der Madvig'schen Sprachlehre, wird der kleinen Grammatik folgen. Ferner hat Herr Prof. Madvig ein allgemeines Werk über Wesen und Leben der Sprache unter der Feder, welches in unserm Verlage hoffentlich im Laufe dieses Jahres erscheinen wird.

Bemerkungen

über

verschiedene Punkte des Systems der Lateinischen Sprachlehre und einige Einzelnheiten derselben. Als Beilage zu seiner Lateinischen Sprachlehre für Schulen.

Von Dr. J. N. Madvig,
Professor an der Universität in Copenhagen.

gr. 8°. Velinpap. geh. Preis: 1/3 Thlr.

Syntax der griechischen Sprache,

besonders der attischen Sprachform, für Schulen.

Von Dr. J. N. Madvig,
Professor an der Universität zu Copenhagen.

8. Fein Velinpap. geh. Preis 20 Ggr.

Es war Aufgabe der Verleger, diesem trefflichen Buche durch einen sehr billigen Preis eine erleichterte Einführung in die Gymnasien zu vermitteln; jede Buchhandlung ist überdem in den Stand gesetzt, auf 6 Exemplare ein Frei-Exemplar zu bewilligen. Die Formenlehre wird in kurzer Frist folgen, und damit eine vollständige griechische Grammatik des berühmten Verfassers gegeben sein.